








D. MARTINI LUTHERI

OPERA LATINA

VARII ARGUMENTI

AD REFORMATIONIS HISTORIAM

IMPRIMIS PERTINENTIA.

CURAVIT

DR. HENRICUS SCHMIDT,
SCHOLAE LATINAE ERLANGENSIS PRAECEPTOR.



VOLUMEN I.

CONT. SCRIPTA LUTHERI A. 1515. 1516. 1517. 1518.

FRANKOFURTI AD M. ET ERLANGAE.
SUMPTIBUS C. HEYDERI ET H. ZIMMERI.
MDCCCLXV.

ERLANGAE TYPIS JUNGE ET FILII.

Index

Scriptorum V. A., quae hoc primo tomo continentur.

Praefatio.

Hoc volumine aggressi sumus alteram partem Operum Latinorum Lutheri, quae non melius commodiusque insigniri credidimus, quam ut Lutheri Opera Latina varii argumenti ad reformationis historiam imprimis pertinentia appellaremus. Amplectuntur enim haec quotquot Lutheri praeter libros exegeticos atque epistolas exstant scripta Latina, quae omnia fere ad historiam reformationis et illustrandam et adjuvandam pertinent. Interseruntur iis perpauca adversariorum scripta, quo melius ratio atque historia rerum, quae tum gerebantur, cognosci possit. Opera exegetica Lutheri, quae primam complent partem hujus editionis, nondum quidem sunt universa typis repetita, paucis tamen annis erunt evulgata omnia. Epistolas Lutheri in tertiam hujus editionis partem relegabimus omnes praeter perpaucas illas, quae ad historiam sacrorum reformatorum continuam pertinent atque arctissimo quasi vinculo cum aliis divi viri tam scriptis quam factis conjunguntur. Propter contextum enim rerum gestarum et quo accuratius historia earum cognosceretur necesse erat nos in edendis his Lutheri operibus varii argumenti diligenter servare temporis ordinem ac rerum seriem. Namque temporis ordine neglecto haec scripta non eum quem poterunt praebebunt usum, quum neque cernere inde liceat, qua via ac ratione Lutherus ipse paulatim ad clariorem lucem cognitionis atque doctrinae sit progressus, neque satis appareat, quantum singula scripta valuerint vel ad inchoatam sacrorum reformationem promovendam vel ad nova incrementa operis excitanda. Quanti vero esset

momenti in cognoscendis Lutheri scriptis temporis ordinem accurate observare, viri docti nunquam non intellexerunt atque commonuerunt. Ob eam potissimum rem Lutherus ipse in praefatione, quam operum suorum editioni Vittembergensi anno 1545 praemisit et quae in editione Jenensi repetitur, aperte fatetur: se unum fuisse ex illis, qui (ut Augustinus de se scribit) scribendo et docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint neque operati neque tentati neque experti, sed ad unum intuitum scripturae totum spiritum eius exhauriunt. Eadem luculentissime demonstrat Nicolaus Amsdorfius in praefatione, quam anno 1555 in primum tomum conscripsit collectionis Jenensis operum Germanicorum Lutheri, et quam in sermonem Latinum a quodam evangelii studioso conversam in primo volumine invenimus operum Lutheri Latinorum, quae ibidem inde ab anno 1556 usque ad annum 1558 typis expressa sunt. Quae Amsdorfii praefatio quamquam nonnulla affert, quibus, quae ratio intercedat inter editionem operum Lutheri Vittembergensem et Jenensem, diligenter demonstratur, tamen non dubitavimus eam hic typis repetendam curare; nam si exordium exceperis, quo ad opera Lutheri Vittembergae edita auctor respicit, tota praefatione egregie docemur, qua ratione Lutherus ipse in cognitione veritatis divinae profecerit quantique intersit temporum seriem diligenter servare in scriptis Lutheri et legendis et recte diiudicandis. Utramque igitur praefationem et Amsdorfii et Lutheri hic repetimus, quales in tomo primo editionis Jenensis leguntur:

Praefatio
D. Nicolai Amsdorfii
in primum tomum omnium operum R. Viri Martini Lutheri, Doctoris Theologiae, conversa e Germanico sermone in Latinum a quodam Evangelii studioso.

Illustrissimis Principibus ac Dominis, Domino Johanni Friderico Secundo, Domino Johanni Wilhelmo, et Domino Johanni Friderico tertio, Fratribus, ducibus Saxoniae, Landgraviis Thuringiae, Marchionibus Misniae, Dominis clementissimis: omnibus praeterea Christianis et sanctis toto orbe dispersis.

Gratiam dei, robur et constantiam per spiritum sanctum in agnitione Domini nostri Jesu Christi et antichristi, ut ea in vobis quotidie crescat et confirmetur, ad gloriam nominis divini, et ad verae ecclesiae consolationem et salutem.

Cum superioribus annis Celsitudinis vestrae parens, Saxoniae Elector piae et laudatae memoriae, Dominus meus clementissimus, pro sua pietate erga veram ecclesiam et necessariae doctrinae studia, praecipue in hanc curam incumberet, ut scripta Reverendi viri Doct. Martini Lutheri collecta in lucem ederentur, omnes pii certam spem concipiebant fore, ut hoc praeclarum depositum et magni pretii thesaurus universae ecclesiae communicaretur. Ac vivo quidem D. Luthero duo tomi operum ipsius typis expressi fuere, quorum bonitatem pii iudicio ac testimonio suo non solum approbarunt, sed etiam reliquorum editionem ardentibus votis ac toto pectore expetiverunt. Sed post obitum D. Lutheri, cum ecclesia propter peccata nostra et tyrannorum saevitiam sentiret et dissidiis dogmatum laceraretur,

insignis rerum conversio facta est. Etsi igitur aliquot tomi Vuitembergae editi exstabant, tamen magnae et graves causae mentem Illustrissimi Principis Electoris permoverunt, ut de nova editione operum Lutheri adornanda cogitaret. Primum enim pii desiderant quaedam scripta ἐλεγκτικά, quorum lectio propter historiam ecclesiae necessaria et salutaris est. Deinde multa in tomis, de quibus dixi, aut omnino, aut magna ex parte mutata, quaedam etiam omissa aut deleta sunt, ne animi et aures Potentum quorundam offenderentur. Tertio, etsi tituli tomorum nihil nisi libros Lutheri indicant, tamen legenti satis apparet aliorum doctorum scripta his voluminibus admixta esse, et aliud sonare chordam, aliud pedem, ut de inconcinne saltantibus dicitur. Quarto intertextae sunt tomis multae versiones non satis commodae, quae a mente et sententia Lutheri longissime distant. Postremo, scripta Lutheri sine singulari cura ordinis collecta sunt, cum quidem plurimum referat scire, quo tempore unumquodque ab autore editum sit. Nam multi non considerata temporum serie turpiter alucinantur, dum praetextu scriptorum Lutheri Christum et Belial conciliare student. Neque vero negari potest, virum Dei sub initium controversiae, cum adhuc fascinatus esset receptis opinionibus et monachorum exercitia magnifaceret, quaedam imprudenter scripsisse et adversariis concesssise.

Hi et similes naevi, quibus scripta D. Mart. Lutheri deformata erant, excitarunt piam mentem Illustrissimi Principis, Electoris nati, laudatae memoriae, ut post divinam liberationem de viis et rationibus cogitaret, quibus sancti viri monumenta propter publicam ecclesiae utilitatem pure, incorrupte, integre, ordine, et sine ullis medicamentis ederentur, et ad posteros optima fide transmitterentur. Itaque ex Dania vocavit venerandum et doctrina praestantem virum, dominum et fratrem meum in Christo carissimum M. Georgium Rorarium, cui Lutherus ipse hoc negotii dederat, et officinam typographicam Jenae instituit, ut omnes libri, quo-

rum iam saepe mentio facta est, accurata temporum notatione adhibita, integre et inviolate, ac procul remotis aliorum commentariis ederentur.

Hunc laborem haud dubie Deo gratum et ecclesiae salutarem vestra Celsitudo post obitum Patris laudatae memoriae eximia quadam pietate provehit et ornat, id quod confirmatio privilegii lucide, non obscure testatur. Deum aeternum patrem liberatoris nostri Jesu Christi ardentissima precatione oro, ut inchoatum opus propter suam et Filii gloriam perficiat, et ad felicem exitum perducat, et omnes conatus satanae et organorum ejus reprimat, qui eam metam prospiciunt, ut hoc mellificium turbetur atque impediatur. Neque vero dubium est, omnes pios toto orbe terrarum eadem vota facere, cogitantes de miranda repurgatione doctrinae divinitus facta per Reverendum virum Doctorem Martinum Lutherum, et de antichristi patefactione, quae res omnibus inter summa bona ducendae sunt.

Hactenus de causis editionis breviter dixi, sequitur, ut de argumento primi tomi pauca dicam.

Sciat igitur lector in hoc tomo librorum Doctoris Lutheri, quos sub initium controversiae, anno 17. 18. 19. 20. 21. edidit, recitari historiam, quae docet, qualia fuerint initia et progressiones disputationum de religione, quae causa Lutherum ad haec certamina impulerit, et quod lux spiritus sancti subinde clarior et firmior in mente ipsius facta sit, item, quod adversarii fulminibus iniustarum criminationum, et condemnationum Luthero occasionem praebuerint accuratius scrutandi scripturas, quae solae sunt monstratrices et testes minime fallentes veritatis.

Ut autem tota causa fieret conspectior et illustrior, quidam Germanici libelli in Latinam linguam translati sunt, et propter historiam nonnulla adversariorum scripta huic tomo intertexta sunt. Proinde pius lector ex primo tomo cognoscet, quomodo paulatim certamina de dogmatibus creverint, quibus et doctrina Evangelii repurgata est, et immensa turpitudo antichristi patefacta est. In ceteris tomis

res admirabili quadam continuatione et serie ita explicantur, ut nec peregrinis scriptis nec versionibus valde opus sit. Nemo igitur tales commentationes in iis requirat, nisi ad historiae intelligentiam necesse sit quaedam ex hoc genere intertexi.

Cum autem dissimilitudo scriptorum D. Lutheri non modo adversariis calumniandi occasionem praebeat, sed etiam pios et candidos lectores interdum offendat, necessaria admonitio hoc loco recitanda est, ut et hostes evangelii ἀντιλογίας ex scriptis Lutheri colligere desinant, et pii maiore iudicio et candore in his legendis versentur. Quantum igitur aurora a luce meridiana distat, tantum discrimen est inter libros Lutheri a principio scriptos, qui hoc tomo continentur, et eos quos aliquanto post edidit. Etsi enim in vestibulo causae, cum papista et haberi et nominari vellet, quaedam antichristo Romano concessit, tamen postea crescente luce fidei in exercitiis poenitentiae, in pavoribus, in persecutione et consolationibus, haec errata non agnovit solum, sed etiam emendavit. Erat enim, ut multi norunt, non Epicuri de grege porcus, sed monachus severam disciplinam praestans et vera animi reverentia et subiectione papam colens. Itaque in prima congressione nequaquam ei certum deliberatumque erat, Romani pontificis doctrinam vel autoritatem labefactare, sed huc nervos atque vires contendebat, ut inviolata Papae dignitate clamores quorundam sycophantarum refutarentur, qui tetre ac impie cum summa temeritate et impudentia venales indulgentias circumferebant.

Quamquam igitur, ut dixi, in primo aditu fascinatus admiratione papae multos errores et abusus non taxavit, tamen paulo post illustratus vera agnitione Christi tetram confusionem opinionum et cultuum, quae in regno antichristi floret et dominatur, verbo Dei constanter accusavit et condemnavit. Non enim curiositate, nec prava aliqua cupiditate, nec caeca pertinacia motus est, ut papae regnum invaderet, sed iusto zelo spiritus sancti et fidei, et severissimis mandatis, quae iubent recte

invocare Deum iuxta Evangelium et vetant coli idola.

Et quoniam adversarii sua idola, errores et abominationes non verbo Dei, sed fulminibus criminationum et condemnationum propugnabant, accendebatur in Doctore Luthero diligentia cogitandi accuratius de universa doctrina, et quaerendi testimonia scripturae, quae in omnibus controversiis de religione rebusque divinis certissima κριτήρια sunt. Nam initio harum disputationum non abhorrebat a studio publicae concordiae et pacis, nec inchoatam telam pertexuisset, nisi adversariorum importunitate ad respondendum impulsus fuisset. Sed verissimum est, et exemplo Doctoris Lutheri confirmatum, quod Proverbiorum 4. dicitur, Justorum semita similis est luci, quam aurora spargit. Ut enim haec paulatim usque ad meridiem crescit, ita in pectore Lutheri, legentis scripta prophetica et apostolica, Deus subinde clariorem et firmiorem lucem accendit, et utrumque ei patefecit, videlicet confessionis, quam ipse sonabat, veritatem immotam, et impiam fraudem hostium, qui instinctu diaboli et antichristi omnia divina et humana pervertunt.

Discant ergo pii lectores ex libris, quos initio D. Lutherus edidit, quomodo ex papista vere Christianus, et ex amico hostis atque inimicus papae factus sit, nec quisquam offendatur horum librorum lectione, quod in iis quaedam videre liceat consentanea adversariorum doctrinae, cuiusmodi sunt loci de potestate pontificis et episcoporum, de missa, et de una specie coenae Domini. Nam eo tempore, quo haec scripsit, anteceptis opinionibus impediebatur, quominus claram veritatis faciem cerneret. Postquam vero duce et comite verbo Dei ex tenebris eluctatus est et incrementa lucis divinae sensit, quadam excelsa constantia stilum convertit ad labefactandam papae tyrannidem, quo quidem in cursu admirabili et divina felicitate usus est, id quod pius et candidus lector notata temporum serie et distinctione facile animadvertet.

Etsi autem vir sapiens et divinus saepenumero

optavit universalem librorum suorum interitum, et vota fecit, ut omnes homines legerent scripta prophetica et apostolica, atque ex his tanquam fontibus aquae vivae, ad quos repurgandos tantum studium tantamque operam contulit, veram Dei agnitionem et invocationem haurirent: tamen major nobis ratio habenda est, quid ecclesiae Christi necessarium et salutare sit, quam quid auctor ipse de suis laboribus modeste iudicarit. Hoc enim non dubitans confirmare possum, neminem fuisse interpretem ex omnibus, quorum exstant literae, post apostolos, qui tanta luce et ardore spiritus propheticos et apostolicos libros illustrarit, et omnes fanaticos errores, imprimisque hunc antiquissimum et postremum, addo etiam pessimum ac nocentissimum, quod videlicet Bona Opera Ad Salutem necessaria sint, verbo Dei tam evidenter refutarit atque everterit.

Neque vero id solum praestitit, sed etiam de singulis doctrinae christianae capitibus ecclesiam salutariter erudivit, et quadam excelsa constantia nativam sententiam de baptismo et de coena Domini adversus anabaptistas et Cinglianos ita propugnavit, ut nemo sit, quem ei in hoc genere non dico anteponere, sed conferre et comparare possimus.

Quanto igitur cum fructu libri Reverendi patris Doct. Martini Lutheri legi possint, malo unumquemque ex ipsa lectione, quam ex meis literis cognoscere, praesertim cum vera, non fucata artificum laudatio in ipsis operibus exstet atque emineat. Res enim ostendit, ante Doctoris Lutheri aetatem tantas in ecclesia tenebras fuisse, ut nec doctores, nec discipuli certo scirent, quomodo detur remissio peccatorum, et societas vitae coelestis ac perbeatae. Quare cum miseri homines in summo errore versarentur atque in maximarum rerum ignoratione, variae ac diversae viae quaesitae sunt, ducentes ad metam aeternae salutis. Nam alii in solitudinem discesserunt, alii votis monasticis sese obligarunt, quidam longinquas peregrinationes susceperunt, nonnulli collegia sacrificulorum et monachorum maximis sumptibus instituerunt, ut his arduis et

difficilibus operibus remissionem peccatorum et vitam aeternam, qua nihil beatius cogitari potest, consequerentur.

Sed Reverendus vir, Doctor Lutherus, accensus divinitus doctrinam emendavit, et revocavit ecclesiam ad fontes, ostendit plenam esse errorum et hypocrisis opinionem, quae fingit homines coram Deo iustos esse propter propria exercitia, virtutes, cultus, disciplinam. Denique monstravit unicam viam et portum salutis, fidem scilicet, acquiescentem in solo mediatore, Domino nostro Jesu Christo, per quem sine omnibus operibus non modo traditionum humanarum, sed iis etiam, quae a Deo mandata sunt, vitae aeternae restitutionem consequimur, sicut filius Dei Dominus noster Jesus Christus testatur, inquiens, Ego sum Via, Veritas et Vita. Hanc rectam et compendiariam viam, ducentem ad aeternam cum Deo societatem, scriptis suis Reverendus vir Doctor Lutherus aperuit et patefecit, omni asseveratione confirmans, non esse aliam neque in coelo neque in terra, per quam ad metam aeternae beatitudinis recto cursu contendere possimus. Non enim dubium est, quin eodem modo, id est, fiducia mediatoris salvati sint et salventur, qui fuerunt, sunt et erunt vera ecclesiae membra ab Adam usque ad resurrectionem mortuorum.

Deinde omnibus persuasum fuit, Missam esse opus eximium et singulare, quo Deus iudicaret se honore affici et veris laudibus celebrari. Jam vero Dei concessu et munere didicimus, et quotidie ex scriptis D. Lutheri discimus, idque exploratum omnino habemus, missam papisticam esse idolum et abominationem foedissimam ac teterrimam, ab hominibus in ecclesiam horribili audacia importatam, qua Deus nec recte nec pie colitur, sed multo magis contumelia afficitur, et ira ipsius iustissima adversus totas gentes et civitates inflammatur. Qua de re cogitantes, omnes pios toto orbe terrarum gratias agere decet Deo aeterno patri Domini nostri Jesu Christi, qui D. Martini Lutheri ministerio ecclesiae puram doctrinam restituit, ac petere

ardentibus pectoribus, ut Deus confirmet hoc, quod operatus est in nobis, propter templum sanctum suum.

Postremo magna opinio fuit et multarum gentium firmata consensu, papam in ecclesia dominari tanquam Christi villicum et artiensem, et hac opinione fascinati divinos honores ei adhibuimus. Nunc autem per Dei gratiam, quam omnium mentes et linguae celebrare deberent, didicimus, et quotidie ex scriptis D. Lutheri discimus, papam esse antichristum, de quo universae scripturae, imprimisque divi Pauli luculenta vaticinia exstant. Nam ut de aliis signis monstrantibus antichristum non dicam, quis ignorat papam praetextu pietatis prohibuisse coniugia et certos cibos, quam quidem prohibitionem Spiritus sanctus a diabolo oriri affirmat.

Haec cum ita sint, certo nobis persuadeamus, virum Dei et postremae aetatis Eliam D. Martinum Lutherum, praecipue ad hoc officium divinitus excitatum fuisse, ut antichristum Romanum, illiusque immensam turpitudinem toti ecclesiae patefaceret, qua cognita haud dubie ἄνομος iste in plurimorum piorum pectoribus de gradu deiicitur, et spretus sine honore iacet. Hoc beneficium, videlicet patefactio antichristi, longe maius est, quam ut angelorum et hominum eloquentia satis enarrari possit. Nisi enim ministerio D. Martini Lutheri homo peccati et filius perditionis revelatus esset, impie ac tetre cum summa temeritate et impudentia diabolum et antichristum adoraremus, et una cum ipso in stagnum ignis ardentis praecipitaremur, ut Johannes in apocalypsi Cap. 20. inquit.

Quod si nullum praeterea fructum ex scriptis Doctoris Martini Lutheri capere possemus, illa tamen certe, de quibus dixi, tantum ponderis atque momenti habent, ut propter ea libri Lutheri magni faciendi, semperque in manibus habendi videantur. Praecipue vero ob hanc causam assidue legendi sunt, ut nos probe muniant adversus insidias antichristi et adiaphoristarum, qui doctis dolis et facetis fabricis glaucomam nobis ob oculos obiicere conantur, ut abominationem missae idolatricae suffragio

nostro comprobemus, et plausibili specie de mente et sanitate deturbati antichristum Romanum, qui optimo iure meretrix Babylonica appellatur, et bestiam gestantem hoc idolum adoremus, et charactere manibus ac fronti impresso mercaturam sine periculo exercere possimus, hoc est, ne vel corpora vel facultates in discrimen adducamus.

Huc adiungantur piae et eruditae confessiones, in quibus vir Dei omnes articulos fidei nostrae sic illustravit et confirmavit, ut omnes portae inferorum, etiamsi se rumpant, ne mutire quidem contra possint. Etsi autem omnes partes atque omnia membra doctrinae Christianae, ut dixi, praeclare ab eo munita sunt, tamen hi loci velut gemmae insignes in scriptis D. Lutheri eminent:

Primus, quod tres sint Personae divinitatis homousiae, aeternus Pater, Filius λόγος, qui est εἰκών aeterni Patris, et Spiritus sanctus.

Secundus, quod Jesus Christus, qui assumpsit naturam humanam ex virgine Maria, sit natura Deus et omnipotens.

Tertius, quod propter hunc Dominum gratis detur remissio peccatorum et acceptatio ad vitam aeternam agentibus poenitentiam et credentibus evangelio.

Quartus, patefactio antichristi Romani.

Hos articulos, quibus salutis nostrae ratio maxime continetur, nemo omnium post apostolos tanta perspicuitate enarravit et confirmavit, ut hic sapiens et peritus ecclesiae gubernator. Itaque libri ipsius omnibus regnis et opibus mundi longe anteponendi sunt.

Omitto ceteros articulos fidei Christianae, quorum luculenta enarratione nos ex densissimis et horrendis tenebris carceris Babylonici vel, ut verius dicam, Romanae tyrannidis eripuit, et in sedem atque regionem lucis, in qua veritas divina potissimnm floret et dominatur, collocavit. Harum maximarum rerum consideratione convincimur, ut fateri cogamur verba nobis deesse, quibus gratitudinem nostram Deo declaremus. Quae enim oratio par esse potest amplissimo beneficio, quod Deus

pro sua bonitate electum organum Dei, Doctorem Martinum Lutherum, excitavit, et magna donorum varietate instructum nostrae Germaniae dedit.

Quamobrem haec aurea scripta et perpetua vita dignissima D. Martini Lutheri, sancti et fidelis ministri Jesu Christi, commendo, et quasi de manu in manum trado, non iureconsultis et rabulis forensibus, nec delicatis quibusdam oratoribus, qui nihil probant, nisi ex sinu Demosthenis aut Ciceronis prolatum, nec astrologis, qui futuros rerum eventus se praedicere posse somniant, sed piis lectoribus, qui iudicant summa et maxima bona esse veram Dei agnitionem et invocationem. Constat enim inter omnes, qui iudicium et candorem in lectione adhibent, his monumentis universam ecclesiae doctrinam luculenter explicatam contineri, nec simile corpus doctrinae informatum esse, vel a synodis, vel a scriptoribus ecclesiasticis, quorum commentarii post apostolos editi sunt. In decretis quidem et decretalibus papae, quem supra aliquoties iustissimis causis permoti antichristum Romanum appellavimus, nulla pars doctrinae Christianae pie inviolateque explicatur, sed omnes paginae plenae sunt errorum, qui ecclesiae lucem eripiunt, et quasi noctem quandam offendunt.

Quod si veritas ingenue et aperte exponenda est, ipsa collatio enarrationum me in hanc sententiam ducit, ut existimen, omnes commentarios veteres et recentes, etiamsi in unam massam conflentur et id quod est optimum ex eis decerpatur, non tamen cum huius viri scriptis conferri et comparari posse. Non ignoro, quam gloriose haec dici videantur, et quam multos hoc encomium D. Lutheri offendat, sed quoquo modo alii de hac constanti asseveratione iudicent, ego sic statuo, neminem tanta praeditum sapientia, fide, constantia post apostolos fuisse aut deinceps futurum esse, quantam in reverendo viro D. M. Luthero non sine ingenti admiratione donorum Dei conspeximus. Nec dubito, quin pia posteritas idem iudicatura sit, senibus, qui nunc ecclesias regunt, ex hac mortali vita evocatis.

Ne igitur tam praeclarum depositum et tanti pretii thesaurus periret, sed exstaret, et in omnium piorum manibus esset, et ad posteritatem sine corruptelis ab humana sapientia admixtis transmitteretur, necessario et salutari consilio haec editio librorum D. Lutheri adornata est, in qua lector nihil peregrinum, aut aliunde importatum reperiet, sed ipsam vocem Lutheri pure et incorrupte sonantem audiet, atque ex ea non solum de excellentibus donis, quibus vir Dei ornatus fuit, iudicare poterit, sed etiam de incrementis sapientiae spiritualis, eundemque prudenter et ardenter discernat ab aliis doctoribus, qui persuasibilibus humanae sapientiae verbis suas sententias de religione ad hominum voluntates inflectunt, ut in perturbatione reipublicae sine periculo vivere possint.

Nam Evangelii doctrina est verbum crucis et scandali, offendens diabolorum et hominum sapientiam, qui omnibus temporibus Evangelium de Christo concinne interpretari norunt, et dexteritate explicationis non modo Lutherum et apostolos, sed etiam Christum summum ecclesiae doctorem se superare posse somniant, eique tanquam puero discenti prima elementa meliores de disciplina ecclesiastica leges ferre conantur, ut vere de ipsis dici possit: Justificata est sapientia a filiis suis.

Itaque Paulus tales doctores appellat inimicos crucis Christi et mancipia ventris. Cum enim docendi rationem ad hominum affectus attemperent, ministri Jesu Christi esse nequeunt, quia non id agunt, ut tales sint quales haberi volunt, sed sunt servuli ventris, qui evangelii doctrinam sic moderantur, ut pacem et tranquillitatem retineant, quod fieri nullo modo posse Christus Dominus noster affirmat inquiens: Non veni pacem mittere, sed gladium, id est, volo ecclesiam meam cruci subiectam esse, ideo enim veni, ut separarem Filium a Patre etc.

Summa igitur conclusionis haec est, non bene convenire nec in una sede morari evangelium et pacem politicam. Quoties enim vox evangelii sonat, hypocritae, qui falsos cultus defendunt, queruntur

aboleri ceremonias et exercitia Deo placentia, et laxari frenum disciplinae et concordiam publicam turbari. Ideo ut opprimant evangelii vocem, non desinunt horribili saevitia grassari adversus purae doctrinae professores, donec Christus Dominus noster illustri adventu suo finem his certaminibus imponat, quod ut primo quoque tempore fiat, toto pectore eum oro, ne perpetuo nobis cum mundo ingrato eiusque principe satana conflictandum sit. Amen.

Martinus Lutherus

Pio Lectori s.

Multum diuque restiti illis, qui meos libros seu verius confusiones mearum lucubrationum voluerunt editas, tum quod nolui antiquorum labores meis novitatibus obrui et lectorem a legendis illis impediri; tum quod nunc Dei gratia exstent methodici libri quam plurimi, inter quos Loci communes Philippi excellunt, quibus theologus et episcopus pulchre et abunde formari potest, ut sit potens in sermone doctrinae pietatis, praesertim cum ipsa sacra biblia nunc in omni prope lingua haberi possint, mei autem libri, ut ferebat, imo cogebat rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sint quoddam rude et indigestum chaos, quod nunc nec mihi ipsi sit facile digerere.

His rationibus adductus cupiebam omnes libros meos perpetua oblivione sepultos, ut melioribus esset locus. Verum improbitas et importuna pertinacia aliorum, qui mihi quotidie aures implebant, futurum esse, si ego vivus non permitterem edi, tamen post mortem meam essent certissime edituri ii, qui prorsus nescirent causas et tempora rerum gestarum, et ita ex una confusione fierent plurimae. Vicit (inquam) eorum improbitas, ut edi permitterem. Accessit simul voluntas et imperium illustrissimi Principis nostri Johannis Friderici Electoris etc. qui iussit, imo coegit typographos non solum excudere, sed et maturare editionem.

Sed ante omnia oro pium lectorem, et oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum,

ut ista legat cum iudicio, imo cum multa miseratione. Et sciat, me fuisse aliquando monachum, et papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus papae, ut paratissimus fuerim, omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari et consentire, qui papae vel una syballa obedientiam detractarent. Tantus eram Saulus, ut sunt adhuc multi. Non eram ita glacies et frigus ipsum in defendendo papatu, sicut fuit Eccius et sui similes, qui mihi verius propter suum ventrem papam defendere videbantur, quam quod serio rem agerent, imo ridere mihi papam adhuc hodie videntur, velut Epicurei. Ego serio rem agebam, ut qui diem extremum horribiliter timui, et tamen salvus fieri ex intimis medullis cupiebam.

Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa et magna humillime concesserim papae, quae posterioribus et istis temporibus pro summa blasphemia et abominatione habeo et exsecror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel (ut ipsi calumniantur) antilogiam tempori et imperitiae meae. Solus primo eram, et certe ad tantas res tractandas ineptissimus et indoctissimus, casu enim, non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.

Igitur cum anno MDXVII. indulgentiae in his regionibus venderentur (promulgarentur voluidicere) turpissimo quaestu, ego tum eram concionator, iuvenis (ut dicitur) Doctor Theologiae, et coepi dissuadere populis, et eos dehortari, ne indulgentiariorum clamoribus aurem praeberent, habere eos meliora quae facerent, et in iis certus mihi videbar, me habiturum patronum papam, cuius fiducia tum fortiter nitebar, qui in suis decretis clarissime damnat quaestorum (ita vocat indulgentiarios praedicatores) immodestiam.

Mox scripsi epistolas duas, alteram ad Moguntinensem archiepiscopum Albertum, qui dimidium pecuniae ex indulgentiis habebat, alterum dimidium papa, id quod tunc nesciebam: alteram ad ordina-

rium (ut vocant) loci, episcopum Brandenburgensem Hieronymum, rogans, ut compescerent quaestorum impudentiam et blasphemiam, sed pauperculus Frater condemnabatur. Ego contemptus edidi Disputationis schedulam simul et germanicam concionem de indulgentiis, paulo post etiam Resolutiones, in quibus pro honore papae hoc agebam, ut indulgentiae non damnarentur quidem, sed bona opera caritatis illis praeferrentur.

Hoc erat coelum deturbasse et mundum incendio consumsisse. Accusor apud papam, mittitur citatio mei ad Urbem, et consurgit totus papatus in me unicum. Haec aguntur anno MDXVIII. sub comitiis Maximiliani Augustae celebratis, in quibus agebat legatum a latere Pontificis Cardinalis Caietanus, quem Dux illustrissimus Saxoniae Fridericus, Elector Princeps, causa mea adiit, et impetravit, ne Romam cogerer ire, sed ipse me vocato rem cognosceret et componeret. Mox soluta sunt comitia.

Interim, quia fessi erant Germani omnes ferendis expilationibus, nundinationibus et infinitis imposturis Romanensium nebulonum, suspensis animis exspectabant eventum tantae rei, quam nullus antea neque episcopus, neque theologus ausus esset attingere. Et fovebat me utcunque aura ista popularis, quod invisae iam essent omnibus artes et Romanationes illae, quibus totum orbem impleverant et fatigaverant.

Veni igitur pedester et pauper Augustam, stipatus sumptibus et literis Principis Friderici ad senatum et quosdam bonos viros commendatitiis. Triduo eram ibi, antequam accederem Cardinalem, prohibebant enim viri illi optimi et dissuadebant summis viribus, ne citra salvum conductum Caesaris Cardinalem adirem, licet ille me singulis diebus per quendam oratorem vocaret. Erat hic mihi satis molestus, ut tantum revocarem, tum essent omnia salva. Sed longa est iniuria, longae ambages.

Tandem tertio die venit expostulans, Cur non accederem Cardinalem, qui benignissime me exspectaret? Respondi, mihi obtemperandum esse consi-

strenue fecit per totam disputationem, nec tamen sua firmavit, nec mea confutavit, ita ut ipse dux Georgius inter prandendum ad Eccium et me diceret: Sive sit iure humano sive divino papa, ipse est papa. Quod verbum, nisi argumentis fuisset motus, nequaquam dixisset, sed Eccium solum probasset.

Atque hic vide vel in meo casu, quam difficile sit eluctari et emergere ex erroribus, totius orbis exemplo firmatis, et longa consuetudine velut in naturam mutatis. Quam verum est proverbium: Difficile est consueta relinquere, et, Consuetudo est altera natura, et quam vere dicit Augustinus: Consuetudo, si ei non resistitur, fit necessitas. Ego, qui iam tunc sacras literas diligentissime privatim et publice legeram et docueram per septem annos, ita ut memoriter paene omnia tenerem, deinde primitias cognitionis et fidei Christi hauseram, scilicet, Non operibus, sed fide Christi nos iustos et salvos fieri, denique id, de quo loquor, papam non esse iure divino caput ecclesiae, iam defendebam publice, tamen id quod consequens erat non vidi, scilicet papam necessario esse ex diabolo. Quod enim ex Deo non est, necesse est ex diabolo esse.

Sic absorptus eram (ut dixi) tum exemplo et titulo sanctae ecclesiae, tum consuetudine propria, ut papae concederem ius humanum, quod tamen, si non sit fultum autoritate divina, mendacium et diabolicum est. Nam parentibus et magistratibus paremus, non quia ipsi praecipiunt, sed quia sic est voluntas Dei, 1. Petr. 2. Hinc est, quod minus iniquo animo ferre possum eos, qui pertinacius in papatu haerent, praesertim qui sacra vel etiam profana non legerunt, cum ego tot annis sacra legens diligentissime tamen ita haesi tenaciter.

Anno MDXIX. misit Rosam Leo X. (ut dixi) per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, ut papae reconciliarer. Is habuit 70 Brevia apostolica, ut, si Princeps Fridericus illi me traderet, sicuti papa per Rosam quaerebat, per singula oppida affigeret unum, et ita tutus me perduceret Romam.

Prodebat autem coram me consilium cordis sui, dicens: O Martine, ego credebam te esse senem aliquem theologum, qui post fornacem sedens ita secum disputasset, nunc video te esse adhuc integrum aetate et validum. Si haberem 25 millia armatorum, non confiderem te posse a me Romam perduci, exploravi enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent, ecce, ubi unum pro papa stare inveni, tres pro te contra papam stabant. Illud vero ridiculum erat, exploraverat etiam mulierculas et virgines in hospitiis, quidnam de sede Romana sentirent? Illae ut ignarae huius vocabuli et sellam domesticam cogitantes respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romae habeatis sellas, ligneasne an lapideas?

Rogabat itaque, ut consulerem ea, quae pacis essent, se omnem daturum operam, ut papa idem faceret. Ego prolixe quoque promisi omnia, quae ullo modo salva conscientia veritatis possem, promptissime essem facturus, me quoque esse pacis cupidum et studiosum, qui per vim tractus in has turbas necessitate adactus fecissem omnia, quae feci, culpam non esse meam.

Vocaverat autem ad se Johannem Tetzelium, praedicatorii ordinis, autorem primarium huius tragoediae, et verbis minisque Pontificis ita fregit hominem hactenus terribilem cunctis, et imperterritum clamatorem, ut inde contabesceret et tandem aegritudine animi conficeretur. Quem ego, ubi hoc rescivi, ante obitum literis benigniter scriptis consolatus sum, ac iussi animo bono esse, nec mei memoriam metueret, sed conscientia et indignatione papae forte occubuit.

Futilis habebatur Carolus, et futile eius consilium, sed, meo iudicio, si Moguntinus a principio, cum a me admoneretur, denique si papa, antequam me non auditum damnaret et bullis suis saeviret, hoc cepissent consilium, quod Carolus cepit, licet sero, et statim compescuissent Tetzelianum furorem, non evasisset res in tantum tumultum. Sola culpa est Moguntini, cuius sapientia et astutia eum fefel-

indulgentiaria, post sequuntur res sacramentariae et anabaptisticae, de quibus in aliis tomis, si vixero, praefandum est.

Vale, lector, in Domino et ora pro incremento verbi adversus satanam, quia potens et malus est, nunc etiam furentissimus et saevissimus, sciens quoniam breve tempus habet et regnum sui papae periclitatur. Confirmet autem Deus hoc in nobis, quod operatus est, et perficiat opus suum, quod incepit in nobis, ad gloriam suam, Amen. V. Martii, Anno MDXLV.

Sermones M. Lutheri

praecipue a. 1515. 1516. 1517. habiti.

sermones ipsos proferre incipit: „Auch die Frühlingsblumen in dem Garten Gottes (so nenne ich mit Recht des sel. Lutheri herrliche Gaben und Kraft) sind so edel, dass man sie mit Fleiss sammeln soll. Und wer mit mir die folgenden Stücke in gehöriger Aufmerksamkeit und Fleiss lesen wird, von dem hoffe ich gewiss, er werde gestehen müssen, es sei recht und wohl gethan, dass sie conserviret worden, und man würde gewissermassen ein edles Pfund vergraben haben, wenn man sie nicht an das Licht gebracht hätte.“

Walchius repetit hos sermones in X et XII tomo, quibus haec Lutheri scripta germanico sermone edidit. Is in illis, quae ad tomum duodecimum praefatur, p. 20 haec dicit: „Um diese Zeit hat zwar Luther noch nicht Alles genau und richtig eingesehen, was zur evangelischen Wahrheit gehört, es hat aber dennoch dasjenige, was er damals geschrieben, seinen Nutzen, und ist daher wohl gethan, wenn man selbiges zu erhalten und ans Licht zu bringen bemüht ist.“

Quum hi sermones interdum obscuriores sint neque codicem manu scriptum, qui Loescheri in manibus erat, inspiciendi atque comparandi nobis potestas fuerit*), commodius ac satius iudicavimus esse orationem contextam accurate ex Loescheri libro reddere, quam quidquam coniiciendo addere vel mutare. Singulis sermonibus addidimus, si quid forte ad illustrandum conferre quidquam poterat, notasque repetivimus, quas Loescher in illis edendis adiecit. Omnes denique omnino sermones, a Loeschero primum e codice illo manu scripto editos, hic coniunctos reddidimus, ne graviorum documentorum, quae ad sacrorum reformationem pertinent, temporis ordo his divelleretur.

*) In bibliotheca Dresdensi iam codex ille non exstat.

Sermo D. Martini Lutheri

praescriptus Praeposito in Litzka*) in illud Joannis**):

Omne quod natum est ex Deo vincit mundum etc.

§. 1. Sanctus apostolus Joannes, sermonem hodie nobis facturus pro corrigendis vitiis nostris et dirigendis pedibus nostris in viam pacis, in hunc modum, de coelo sonans, exorsus est: Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Quis est autem, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei? Familiare est apostolo huic S.

---

*) Conventus ordinis Eremitarum S. Augustini, qui erat Vittembergae, piscinam possidebat Litzkae (Leitzken); Lutherus autem, quippe qui anno fere 1509 (vel 1511) huius conventus esset terminarius et vectigalia ibi exigeret, amicitiam iniit cum praeposito huius monasterii, id quod ex epistolis, quas Lutherus ad eum anno 1517 misit, perspicere licet. (T. I, 21. T. II. Epistol. Luth. ed. Aurifaber Ep. 1. 2. 3. de Wette T. I. Epp. XVIII. XXXIII. XL. XLI.) Huic praeposito Lutherus hunc sermonem conscripsit anno nescioquo ante 1515; quum vero in eo haec occurrant: in hac venerabili synodo et: hic legitimae reformationis summa, verisimile est eum concilii aut Pisani (1511) aut Lateranensis (1512) temporibus confectum esse eoque praepositum illum in alterutra synodo secundum illius aetatis morem uti voluisse. M. Alb. Verpoortenn, Loescheri aequalis, eum primus typis excudendum curavit in „Sacris superioris aevi Analectis p. 198 sqq., et D. Val. E. Loescher in libro suo: „Vollständige Reformationsacta und Documenta. Leipz. 1720", tom. I pag. 221 sqq., sub Lutheri nomine denuo edidit.

Loescheri textum hic repetivimus; in Walchii germ. edit. Opp. Lutheri hic sermo reperitur exegeticis Lutheri scriptis intersertus T. IX, p. 2748.

**) 1 Joh. 5, 4. 5.

Joanni de nativitate loqui divina, qua nos in Christo nascimur, quam fidei tribuit, sicut et in Evangelio dicit a): Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Cum autem ita habeat omnis doctrina, ut iis, qui literas et voces eius ignorant, barbarus sit, qui loquitur b); rursus qui loquuntur, neque intelligunt, quid loquantur, neque de quibus affirment, ut ad Timotheum scribit apostolus c); et nobis quoque necessarium est prius linguam apostoli intelligere, et signum eius cognoscere. Quare, quid illa nativitas sit? quid mundus? quidve victoria? dicendum est.

§. 2. Nativitas Dei est generatio, qua ex Deo nascimur. Sic enim ait cap. 5. idem Joannes: Scimus, quoniam omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tanget eum. Fit autem generatio haec nulla alia re, quam verbo Dei, ut ait Jacobus cap. I: Voluntarie, inquit, genuit nos, verbo veritatis. Voluntarie dicit, h. e. gratuito liberoque bene placito, non nostro merito, neque dignitate. Non enim nobis quaerentibus, petentibus, pulsantibus, sed ipsius misericordia volente generantur hac generatione quicunque generantur: multo certe magis, quam carnis filius generatur, ipso nihil agente, petente, merente, sed aut voluptate carnis, aut viri volente. Quomodo enim in Spiritum queat formari aeterne victurum, qui in foedam peccati carnem mox morituram non potuit suis viribus formari? Multo ergo magis opus est Patre coelesti ad vitae generationem in iustitia et veritate. Utrobique enim nihil est, qui generatur tantum *) ut sua opera, suoque merito generari non possit: totus autem qui est in voluntate Patris est, quo voluntarie et cum voluptate generantis generatur.

§. 3. Ut autem generatio diversa est, carnis

---

*) Lacuna in MSto. a) Jo. 1. b) 1 Cor. 14. c) 1 Tim. 1.

et spiritus; ut pater diversus est, coelestis et terrenus, ut filius diversus est, immortalis et mortalis, iustus et peccator, sanctus et pollutus: ita et semen quoque diversum est, alterum coeleste, quod est verbum Dei, verbo enim veritatis (inquit) genuit; alterum carnale non verbum veritatis, sed spuma sanguinis, venenum peccati antiqui. Ideo illic generantur filii veritatis, seminis sui vim et naturam referentes, hic filii vanitatis, ipsi quoque vim et naturam sui seminis referentes, adeo ut omnis homo hinc vanitas et mendacium vocetur. Sicut enim ex semine tritici triticeus nascitur culmus, deinde idem fructus, triticum: ita ex verbo veritatis non nisi verax homo nascitur, ex semine peccati non nisi homo peccator: deinde utriusque fructus, veritas aut mendacium, in verbo et opere unius cuiusque secundum genus et speciem suam. Sublucet autem in isto verbo Jacobi apostoli et aliud. Nam cum dicit: Verbo genuit nos, satis discernit evidenter hanc coelestem nativitatem ab omni communi terrena nativitate, cum illa verbo, haec opere fiat et re seminali. Quod autem addit: Verbo veritatis, iam nos attentissimos reddit et observare nos, aliam quandam esse nativitatem, quae quidem verbo fiat, sed non veritatis, imo mendacii et vanitatis: quae, quia verbo fit, coelesti illi miro modo similis est, plurimosque fallit, at quia falsitatis verbo fit, omnes horribiliter perdit. Neque enim aut prophetis, aut apostolis aut etiam *) doctis maiorem fuisse curam, sudorem, afflictionem videmus, quam ut his adulteris resisterent, pseudoapostolis, pseudoprophetis. Hic enim quia verbum Dei (ut 2. Corinth. 4. scribitur) adulterantur, speciem quidem praetexunt verbi veritatis, sed sub verbo Dei venenum mortiferum erroris sui infundunt, generantes non nisi filios iniquitatis, filios diaboli, cuius sunt et apostoli. Ita in Fzechiele et Osea d) arguitur Synagoga, quod adulteros dilexerit et insanierit libidine: **) i. e. (ut aposto-

*) fort.: doctoribus. **) *Lacuna in MSto.* d) Ezech. 16 et

lus interpretatur) magistros prurientes auribus, quibus docentibus et generantibus foecundatur, et generantur filii mendacii et iniquitatis. Haec sane pessima omnium generatio, ipsa quoque, quae ex carne peccati fit, deterior est, quia caro generat quidem peccatorem in spiritu ad mortem sempiternam. Peccator carne genitus iuvari potest in spiritus substantiam; at spiritu adulterino genitus irrecuperabiliter perseverat periturus. Habet tamen originem suam ex carnis nativitate. Nam cum per carnem nascatur homo vanus et mendax totus, fit ut cum *) sapiat quoque ea, quae carnis sunt, non raro sub magna specie spiritus: quae quum secutus observarit et docuerit alios, iam quoque spiritus eius et illorum verbo impietatis generantur in impietatis vitam seu mortem potius; et tamen vivunt impie, sapiunt impie, docent impie, ut Psalmus 1 dicit: Beatus vir qui non abiit: Hi sunt, qui, cum carnem sapiant, eadem sententia in spiritu ruunt, iam carnaliter spirituales, h. e. horribili spiritus specie pereuntes.

§. 4. Haec autem ad nos, reverendi et optimi sacerdotes Christi, quod enim **) conventus hac nimirum ratione sit institutus, ut sacerdotes conveniant, et hi, qui populis praesunt et ministri nativitatis huius spiritualis et divinae sunt, ut qui verbi veritatis nuntii sunt, sicut Zachariae dicitur e): Angelus Domini exercituum sacerdos est, et de ordine ***) eius requiremus legem Dei et labia eius custodiant scientiam Dei: conveniunt autem in communi, ut consulant rebus totius huius ecclesiae, et (ut vocant) pro utriusque status reformatione laborant. Maxima et prima omnium cura est, (atque utinam flammantibus atque ardentibus verbis id possem in corda vestra pertonare, ac ut Propheta dicit f) grandinem et carbones ignis, carbones

---

23. Hos 1.

*) Fort.: carne. **) Omissum aliquid, et pendet etiam sententia. e) Mal. 2. ***) Leg. ore. f) Esa. 6. Psalm. 126.

desolatorios, et sagittas potentis acutas fulminare; adeo est res ista hodie omnium maxime necessaria, ut sacerdotes primo omni verbo veritatis abundent. Scatet totus orbis, imo inundat hodie multis et variis doctrinarum sordibus: tot legibus, tot opinionibus hominum, tot denique superstitionibus passim populus obruitur magis quam docetur, ut verbum veritatis vix tenuiter micet, in multis vero locis ne scintillet quidem aliquando. Et quae potest esse nativitas, ubi verbo hominum, non Dei generatur? Quale verbum, talis et partus: qualis partus, talis populus. Mirari non solemus, tantam in populo Christi regnare discordiam, iram, invidiam, superbiam, inobedientiam, libidinem, gulam, penitusque frigere caritatem, fidem exstingui, spem evacuari: desistite, quaeso, mirari. Non sunt ista mirabilia. Nostra haec praelatorum et sacerdotum culpa est. Hi potius admiranda sunt, iam *) eos esse coecos, iam sui officii oblitos, ut, qui verbo veritatis huic nativitati servire debuerant, aliis intenti rerumque temporalium curis suffocati penitus illud omittant: maior vero pars fabulas (ut dixi) docet et humana commenta. Et adhuc miramur, talibus verbis talem populum fieri**)?

§. 5. Hic mihi quispiam dicet, magnum esse crimen et scandalum fornicationem ac potationem, lusus, et si quae alia in clero reprehensione digna g). Fateor, haec magna sunt, arguenda sunt, mutanda sunt: verum haec ab omnibus agnoscuntur, crasse sunt corporalia et sensibus exposita, ideo et movent animos: sed heu! haec labes et pestis incomparabiliter nocentior et crudelior est, non tractasse verbum veritatis, aut illud adulterasse; atque

*) fort.: tam c. e. c. tam sui etc. **) En insigne praeludium veri fundamenti verae reformationis, quae post secuta est.

g) Satan patitur mores clericorum corrigi, non autem doctrinam.

hoc malum, quia crassum corporale non est, non agnoscitur, non movet, non terret, quod tamen solum agnosci oportuit. Quotusquisque sacerdotum est hodie, qui non maius peccatum dicat, si lapsus sit in peccatum carnis, si non oraverit, si titubaverit in canone, quam si verbum veritatis omiserit, aut non recte tractaverit? Nam hi, alias boni et sancti viri, gravissime errant. Solum verbum veritatis est, in quo putant se non posse peccare, cum pene solum sit, in quo sacerdos peccet ut sacerdos. In ceteris sane peccat ut homo; hic, si verbum omittit aut adulteratur, in officium suum et ut sacerdos, i. e. longe horribilius, quam homo peccat. Adeo proh dolor! dure et insensate pontifices hodie securi sunt, ut non modo tacuerint, sed quicquid tandem e bucca in populum spiraverint, hoc praedicasse ac docuisse appellitent; nullam prorsus rationem habentes, nullo timore commoti, an sit verbum veritatis ad nativitatem divinam appositum, necne; pro quo tamen solo sunt, quicquid sunt; h. e. sacerdotes et clerus, nam in ceteris omnibus non est opus sacerdotibus. Proinde si pontifices aut sacerdotes alioqui essent rotunde sancti et beati, si in hoc uno sint incuriosi (sicuti ferme omnes sunt), ut verbum veritatis non curent recte tractari*), certum est, eos inter lupos, non inter pastores numeratum iri, inter idola, non inter pontifices coram Deo haberi. Sit alias castus, sit humanus, sit doctus, augeat reditus, aedificet domus, dilatet ditionem, denique faciat miracula, suscitet mortuos, ejiciat daemones: ille sacerdos solum est et pastor, qui angelus Domini exercituum est, i. e. nuncius Dei, h. e. qui verbo veritatis populo praeest, servit ad nativitatem hanc divinam. Non ergo ista sunt pericula pastorum, quae vulgo iactantur, de altitudine gradus, de regimine conscientiarum, de ratione reddenda pro divitiis ac potestate; levicula haec sunt: verum omnia superat

*) Aurei reformationis verae prodromi.

pericula, verbo veritatis defuisse, et populum Christi non auxisse, qui sola hac nativitate augetur, solo verbo isto alitur et perficitur. Hos enim filios ac filias Dominus generari praecipit in Hieremia h), his nos crescere et multiplicari iubet. Hoc enim si fuerit servatum, iam conscientiarum regimen, animarum cura, gradus altitudo, abunde feliciter habent, ac sine periculo agunt. Quare etiamsi in hac venerabili Synodo multa statueritis, si omnia bene ordinaveritis, et huc manum non apposueritis, ut sacerdotibus populus*) doctoribus mandetur, quatenus recisis fabulis, quae auctorem non habent, puro evangelio sanctisque evangeliorum interpretibus incumbant, intendant, populoque cum timore et reverentia verbum veritatis pronuncient, denique et doctrinas quascunque humanas omittant, aut parce cum exposita diversitate earum admisceant et sic ad nativitatem divinam cooperati fideliter fuerint: si, inquam, haec non curaveritis studio summo, piis precibus, constanti, serio; ego liberrime pronuncio, cetera omnia nil esse, frustra nos convenisse, nihil profecisse. Nam hic rerum cardo est, hic legitimae reformationis summa, hic totius pietatis substantia. Quae est enim dementia, et tam perversa perversitas, ut de bonis moribus cogites, et non magis cures, quomodo hi fiant et sint, quibus bonos mores paras? Hoc certe iam non est aliud, quam in ventum aedificare domum: hoc insania omnium summa. Stat fixa sententia, ecclesiam non nasci, nec subsistere in natura sua, nisi verbo Dei. Genuit, inquit, nos verbo veritatis. Non ergo aliud verbum quaerendum, tractandum, acceptandum, nisi velis similiter nativitatem hanc divinam tollere, ecclesiam exstinguere, et populum Christi more Pharaonis in fluminibus Aegypti submergere, quod est humanis verbis perdere. Nam, ut verum

h) Jerem. 29.
*) Leg.: populi doctoribus, aut, populos docturis: aut, populus doctioribus.

est, omne, quod natum est ex Deo Deique verbo, non peccat: ita verum itidem est, Omne, quod natum est ex homine hominisque verbo, peccat et peccatum est, ideo necessario peribit in aeternum. O utinam rectoribus ecclesiae, nobis, inquam, haec res cordi sederet aliquando et apertis oculis! Non enim malitiam populi, non radicem observaremus. Radix autem malitiae huius est defectus verbi veritatis. Quid enim nisi male agat populus, quando verbo caret, quo non peccat ex Deo natus? Proinde scriptura recte perditionem populi pastoribus imputat, de manibus eorum requirit. Nos tamen, excusantes nos ipsos, populum accusamus, id, quod foris malum operantur, videntes, id, quod intus est, nos non damus, non videntes. Haec de primo.

§. 6. Jam, quid mundus, videndum. Non de mundo visibili hic loquitur, qui neque vincit, neque vincitur per Christi fidem; sed neque homines in mundo nunc accipiemus, quia quis vincere putetur se debere homines, nisi Turca esse velit? Mundus ergo proprie sunt mali affectus, in quibus satan regnat, mala opera irae, superbiae, libidinis, avaritiae, vanae gloriae et similium, sicut clare ipse Joannes dicit i): Omne, quod est in mundo, est concupiscentia carnis et oculorum, et superbia vitae, q. d. praeter ista nihil est in mundo, et mundus non esset, si haec non essent. Fit tamen, ut mundus iste visibilis et homines sic appellentur, quia in hominibus et mundo istae pravitates versantur; sicut continens pro contento, civitas pro civibus. Infames enim et mali cives infamant quoque civitatis suae nomen, ut: Jerusalem, quae occidis eos, qui mittuntur ad te k) et alibi: Aegypte, noli flere. Sic mundus dicitur malus et nos impugnare, quia affectus nostri, qui sunt in hoc mundo, mali sunt, et nos impugnant. Consequens est, quod mundus sit in unoquoque homine; non extra nos mundus ullus est l). Unusquisque

---

i) 1 Joh. 2. k) Matth. 23. l) Sicut enim regnum Dei *est intra* nos, sic et satanae.

peccat (inquit Jacob.[m]) a concupiscentia sua (non alterius utique) abstractus et illectus. Sic Paulus Tit. 2: abnegantes impietatem et secularia desideria (et mundanas concupiscentias) sobrie et iuste et pie vivamus in hoc seculo. Forma, divitiae, gloria, honor etc. non sunt mala, neque ad peccatum trahunt, imo, cum sint bonae creaturae Dei et pulchrae, erigunt potius et ad Deum ducunt natura sua[n]). Omnia enim, quae fecit Deus, valde bona sunt. Itaque nil in mundo creatum est, quod non ad bonum promoveat: sed malitia concupiscentiae nostrae perverso affectu illa quaerit. Hic est vere mundus, qui suo vitio formosis rebus ad concupiscentiam trahitur, quibus ad castitatem trahi debuit: suo vitio in adversis tristatur et dolet, quibus ad fortitudinem et victoriae coronam animari debuit; et nulla prorsus re mundi recte utitur, omnibus autem abutitur, et malo suo usu nomen tribuit infame mundo, in quo habitat, et tales abusiones exercet[o]). Quoniam ergo verbo veritatis iam nati sumus, et in novam naturam mutati, mox cum hoc ipso mundo bellum nobis oritur sicut Petrus ait[p]): Abstinete a carnalibus desideriis, quae militent adversus animam. Rursus nos quoque militamus adversus ea, sicut Gal. 5: Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem: haec enim invicem sibi adversantur; et Job. 7. cap.: Militia est vita hominis. Hic vero sumus eximie stulti, qui vocabulo mundi nescio quid extra nos cogitantes interim cupiditates et affectus nostros (verum mundum) prorsus nihil observamus, securi dormimus, pacifice vivimus, dicentes cum filiis Israel: Pax, pax, cum non sit pax[q]). Nam non minore cura hoc quoque nobis persuaderi indigemus, scilicet nos esse in assiduo, periculosissimo, maximoque bello cum istis affectibus. Adeo obliti sumus, quae etiam

---

m) Jac. 1. n) Pravus affectus aut mundus omnia Dei dona depravat. o) Cur praesens vita dicatur mundus, futura vero coelum? p) 1. Petr. 2. q) Jer. 6.

sentimus quotidie. Nonne et hic invenimus plurimos, qui plus observent, quonam modo lotis manibus celebrent, nitidis ornamentis induantur, puris vasis et pannis offerant, syllabas orationum non omittant, quam quomodo cupiditatibus velint resistere, quomodo libidinem exstinguere, avaritiam opprimere, ambitionem calcare etc., omnia agere praeterea, quae ad rem proprie pertinent? S. Joannes dicit: Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, evidenter indicans, bellum nobis esse cum mundo, et a nobis vincendum. At nos nescio de quibus nugis consultamus, serio haec raro in mentem veniunt r). Proinde alterum officium huius Synodi venerabilis est, ut in clero non tanta cura statuatur, quid legendum, orandum, qua die quae festa agenda, quibus ubique cerimoniis utendum, quam provideatur, ut sint regulae et statuta, quibus frenentur cupiditates, quibus discant et moneantur, in acie sese stare, hostes suos iam domesticos esse, nec die, nec nocte ab eis tutos esse, ut in clero boni episcopi lux luceat coram hominibus in castitate, humilitate; modestia, et omnis ille catalogus virtutum, quem Paulus Tit. 1. et 1. Tim. 3. commemorat. Nihil profuerit, his omissis, alia quaedam temporalia et spiritualia in iuribus, privilegiis, dignitatibus solum curasse, cum haec illorum, non illa horum gratia sint. Neque digna res est Synodo, res leviores magnifice disposuisse, et gravissimas non attigisse. Cetera omnia sunt extra nos, non semper nos occupant, ut pravae cupiditates intra nos sunt, assidue nos captivitantes, ut Paulus Rom. 7. dixit: denique multos captivos teneant et hic nihil consulemus? nihil moliemur? quo his malis succurratur, milites instituantur, hostes aggrediantur? Tum sane merito ridebit nos Synodumque nostram mundus iste noster, ut qui sen-

r) Sic nostri Germani multa tractant et machinantur, interim negligentes resistere Turcae. Sic nos multis studiis et exercitiis vacamus, interim pravis affectibus neglectis.

tiat solo vocabulo, solo apparatu, solo loco adversus se Synodum cogi, nec bellum sibi indicandum, sed nec de bello cogitandum, quod videbitur *) securus triumphabit, et spolia auferet atque distribuet; hunc in luxus, illum in libidines, istum in avaritiae, alium in invidiae tyrannidem raptans, et disperget in Assyrios, ac in omnes Babyloniae confusionis terminos. Tum videbitur fructus simulatae et fictae Synodi, quod avertat Dominus!

§. 7. Tertia est laeta illa victoria. Et, quae illa sit, Joannes exposuit: Haec est, inquit, victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Ita et Paulus: Deo autem gratias, qui dedit victoriam per Jesum Christum, Dominum nostrum s)! Docuit nos in bello assidue agere, nempe adversus mundum: docuit, qui milites sint, puta, qui ex Deo nati sunt. Iam hoc deerat, ut sciremus ita bellari, quo victoriam obtineremus. Nam bellum inire, et nescire, qua ratione pugnes et vincas, hoc est nimirum caedi et ridiculo se exponere, praesertim tam robustis, tam multis, tam astutis, tam insidiosis, tam exercitatis hostibus, inveteratis, inquam, concupiscentiis nostris. Quae est ergo pugnandi ratio? quae spes certa victoriae? Fides nostra. Sic et S. Petrus docet t): Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester, diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quaerens, quem devoret, cui resistite, fortes in fide. Ecce fortitudo fidei resistit diabolo, sicut et Isaias 11. dicit: Erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius. Ecce fides cingit et restringit lumbos ac renes, i. e. libidinem, non autem solum libidinem, sed omnem prorsus cupiditatem. Quocirca clarum est, his, qui cupiditatibus pravis cedunt et obsequuntur, solam fidem deesse, veram loricam et armaturam Dei. Rursum et illi errant, qui humanis viribus et studiis praesumunt vitia sua vincere, saepius incipientes, rursum relabentes. Non vincuntur, nisi fide, et hac robusta.

---

*) Hiulcus locus. s) 1. Cor. 15. t) 1. Petr. 5.

§. 8. Quomodo haec possunt fieri? Nempe cum fides substantia sit rerum non apparentium u), qua mens abstrahatur ab omnibus his, quae videntur, et quibus cupiditates irritantur, in ea, quae non videntur, proiicitur; si ibidem fixa permanserit, sine dubio omnes cupiditates conculcat, de visibilibus commotas. Ideo fortitudine in fide opus est, ut visibilibus motas cupiditates invisibilium intuitu contemnat. Cum vero ista fides in corde fuerit, similiter Christus praesens est, in quem ea fide creditur: Christo autem praesente omnia superabilia. Nec est alia ratio vincendi efficacior et nobilior; imo haec sola est victoria, fides nostra. Tunc enim vincunt cupiditates, quando suis commotionibus oculos fidei velut nube et turbine obnubilaverunt, et intuenda invisibilia nos detraxerint, ut obliti invisibilium interim illarum illecebrarum expleamur. Proinde etsi vigiliae, labores reliquaque studia corporalis exercitationis sint vehementer utilia et necessaria, non tamen sunt satis ad expugnandam cupiditatem, quia, si carnis illecebra his expugnetur, non tamen ira, invidia, superbia, ambitio: haec sola fide vincuntur.

§. 9. Verum quoniam res ista multa et magna est, hac vice sat est dicere, quia fides impetrat, quae lex imperat, ut Augustinus dicit, h. e. in omni tentatione mundi nostri ipsa clamat in corde et invocat manum invisibilis Dei, levans in montes oculos suos, unde veniat auxilium sibi. Quare hoc nobis reliquum est, ut, cum in viribus nostris non sit fidem habere, atque ita nec feliciter bellari, neque cum gloria triumphare, ad Dominum clamemus, dum tribulamur, et exaudiet nos; de coelo victoria est. Ita fiet, ut omnis, qui invocaverit nomen domini, salvus sit: invocat autem solus, qui credit: credit autem solus, qui audit verbum veritatis: audit autem solus verbum veritatis, qui evangelium audit: audit evangelium solus, qui sacerdotem angelum Dei audit. Quare primum et novissimum est, ut omni

---

u) Modus victoriae. Hebr. 11.

studio satagamus evangelium commendatissimum habere, nocturna versantes manu, versantesque diurna: quo efficiemus, ut ex Deo nascamur, ex Deo nati non peccemus, non peccantes victoria laeti fruamur. Quod nobis concedere dignetur Iesus Christus, filius Dei auctor et verbi et fidei victoriae, benedictus in aeternum! Amen.

Sermo Lutheri

in Natali Christi A. 1515.*)

In principio erat verbum Joh. 1. Cum legatur evangelium in isto festo, indignum videtur nihil de ipso loqui. Licet enim sit arduum et difficile, faciamus tamen quantum possumus, ut aliquid de illo percipiamus. Quare literaliter ipsum principium videamus. At praenotandum est ante omnia, quod Johannes in hoc loco per verbum intelligat filium Dei. Quod autem hoc faciat et quare faciat, postea videbimus. Igitur idem sit, si audierimus verbum ac si filium Dei seu Christum, secundum quem Deus audiendus. Hoc sic posito pergit evangelista ostendere aeternitatem distinctionemque a Patre et identitatem cum patre filii, dicens: In principio erat verbum, hoc est, iam erat ipse Christus, quando incipiebant omnia, non tunc coepit. Non ipse principium tunc accepit, sed erat in principio Ante enim fuerat, quam principium rerum esset, quippe aeternus. Et mira est haec aeternitatis expressio: et non dubium est, quin hic de principio omnium loquatur. Et tamen non ait, ante principium erat, sed in principio.

Et ante principium non dicere potes, esse, fuisse, fore, nam haec omnia relative dicuntur, cum praeteritum ad futurum dicatur: erat vel fuit. Unde non dicit verbum fuisse, donec addat illud, cuius

---

*) Hic sermo anno 1515 Wittembergae habitus est de Joh. 1, 1 sqq. in Augustinianorum aedicula, qui quamquam non mediocriter theologiam scholasticam redolet, tamen Lutheri inde emicant luculentissime ingenii animique vires. Loescher I, p. 231 sqq. Walch. *germ.* XII, 2144 sqq.

respectu fuisse potest intelligi, nempe in principio erat, quasi diceret, ipsum totius mundi initium et totius temporis habere se velut quoddam futurum ad Deum, in quo nec praeteritum nec futurum est. Principium rerum omnium itaque non erat in verbo, sed tunc coepit in se ipso, sed verbum tunc iam erat, quando principium incipiebat. Quare non ipse principiatus aut factus, aut creatus est, sed erat tantummodo in principio.

Deinde et verbum erat apud Deum: hic distinguunt Filium a Patre, quia, quando omnia fiebant et non erant, ille erat apud Deum; manifeste datur intelligi, quod alius ipse sit ab eo apud quem fuit, et tamen cum tunc nihil praeter Deum solum fuerit, necesse est, quod ipse etiam Deus fuerit, ut sequitur, et Deus erat verbum. Quasi diceret: Dixi quod esset apud Deum, cum autem tunc nihil nisi Deus solus esset, manifeste intelliges, necessario fuerit hoc verbum. Nam cum nihil possis dare aliud, quod fuerit, nisi Deum, et verbum dixerim, quod apud Deum fuerit, ergo nihil aliud a Deo, sed ipse Deus, necessario sequitur fuisse hoc verbum. Unde non est necesse, quod ista omnino per transpositionem sic ordinentur, et verbum erat Deus, ut multi volunt, imo aptius, ut Johannes posuit, ordinatur, ut sit sensus, Deus erat verbum, hoc est, ipsa divinitas, ipsummet, inquam, erat verbum, non aliquid, quod apud Deum et non tamen Deus esset ipse.

In hoc igitur signo, velut magi Pharaonis, defecerunt maximi haeretici Ariani, nam principia duo admiserunt, secundum quae esset aeternus, qui apud Deum, et distinctus a Deo. Sed interim negabant, secundum quod esset Deus, imo et hoc ipsum admiserunt, sed nuncupative. Quare patet, quod ista oratio si dimittitur in praesenti ordine, quo eam Iohannes posuit, fortius contra Arianos facit, quam si ad alium modum ordinetur. Imo invicta est contra eos illo ordine, hoc autem invalida *). Nam illi ista admittunt, ut dixi, verbum

*) Aurea observatio.

erat Deus, sed hoc summe negant, Deus erat verbum. Imo puto, quod praecise sic sit contra Arianos ordinata, ut, cum dixerat, et verbum erat apud Deum, mox addit, et Deus erat verbum, quasi diceret, erat apud Deum, sed tamen ipse Deus erat hoc verbum. Quare repetamus omnia: In principio erat verbum, quia non coepit cum aliis fieri, aliud enim iam esse, imo fuisse, et aliud iam fieri: omnia autem in principio fiebant: sed in eorum fieri ille iam fuerat. Et verbum erat apud Deum, i. e. non erat solum, nec tamen nusquam, sed apud Deum. Ac per hoc iam distinguitur a Deo, multo magis a creatis, in quorum principio erat. Quia per erat tollitur eius initium, sed per apud ponitur eius distinctio a Patre. Itaque et aeternus est, et distinctus. Igitur non patitur se intelligi solum fuisse, quando apud Deum fuit: apud enim non solitarium indicat; et tamen nec incepisse, quia, cum omnia inciperent, ipse erat et non incepit. Sed ne quis dicat, bene esto, fuit aeternus, et Filius a Deo, ergo diviserunt inter se divinitatem, vel ipse non ideo erat Deus aeternus, sicut solis radius coaeternus ei est, sed non ideo est sol ipse. Huic nequitiae Arianae occurrit, dicens: et Deus erat verbum, i. e. licet distinctus, non tamen diversus, et alius Deus, sed ipse Deus: hoc est, quidquid pertinet ad esse Deum, seu plenitudo divinitatis totaque Deitas erat ipsum verbum, quia non nisi Deus unus, imo et totus Deus in verbo, totus Deus in Patre. Verum ergo est, quod Pater est Deus, Filius Deus, et hoc non solum, sed etiam Deus est Pater, Deus est Filius, i. e. quicquid est Deus, hoc est Pater, et quicquid est Deus, id ipsum est Filius. Unde hic contemnenda suppositio modernorum logicorum, quam vocant completam, non enim dico, quisquis est Deus, est Pater vel Filius, ut personas confunderem, sed quicquid, i. e. tota natura Dei est Pater et Filius, ut unitatem substantiae asseram: quicquid enim non personalia sed essentialia significat et distribuit, quisquis autem personalia, quorum hoc generis ma-

sculini, istud neutrius, sicut alius et aliud.*) Unde patet, quod nec suam logicam satis intelligunt, quando hanc falsam asserunt, quicquid est Deus est Pater; subsumunt enim, sed Filius est Deus, ergo Filius est Pater. Sed est fallacia figurae dictionis, et sub termino essentiali distributo subsumitur terminus personalis. Unde multo melior modus potest assignari, quo salvetur veritas huius articuli et regularum syllogisticarum, quam a Cameracense assignatur, iste scilicet, quod omnis syllogismus ex terminis divinis, qui infert conclusionem falsam, certissime peccat secundum fallaciam aequivocationis vel figurae dictionis. Et hinc fit, ut non omnes propositiones divinae possint intrare formam syllogisticam, et, si intrant, faciunt hanc fallaciam: ut, omnis Pater generat, Dei essentia est Pater, ergo essentia generat. Manifeste patet, quoniam subsumitur sub termino personali terminus essentialis, atque ita non fit subsumtio termini distributi. Quid ergo mirum, si falsum concludatur? Sic etiam ibi: nulla divinitas generat, sed omnis persona est divinitas, ergo nulla persona generat. Sed sic debuit subsumi, sed ista divinitas A est divinitas, ergo ista divinitas non generat: et in priori sic, sed iste pater est pater, ergo omnis pater generat. Sed haec ad logicam pertinent latius, hic autem pro illius orationis luce, Deus erat verbum, adducta.

Sequitur, hoc erat in principio apud Deum, quia dixerat, Deus erat verbum, ne confundere personas videretur, repetit, quod antea dixerat, Deus erat verbum, ne illa duo prius dicta, scilicet in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, correxisse videretur, et nullam se distinctionem intelligere voluisse, aut non ab aeterno verbum fuisse; imo confirmat distinctionem praedictam per assertionem reduplicatam, ut sic vere sit di-

*) Praeclara observatio et scholasticorum argutiis major.

stinctus a patre filius, qui tamen idem cum ipso Deus. Haec satis sunt de istis propositionibus. Sequitur nunc videre, quod, ut praemisimus, per verbum intelligat Johannes Filium, et quare hoc faciat, primo, quod Filium intelligat per verbum, expresse dicit infra, et verbum caro factum est, et ne adhuc dubites, vidimus gloriam eius (cuius, nisi verbi praedicti?) quasi unigeniti a patre; ergo unigenitus et verbum idem sunt. Unde et deinceps ipsum semper describit filium Dei, et in canonica sua multipliciter per verbum, quod audivimus, et quod vidimus de verbo vitae. Idem ex aliis epistolis canonicis satis patet.

Secundo, quare appellet verbum. Multae sunt causae et optimae aliquae et profundae, prima, videtur id ex Genesi sumsisse, ubi dicitur, dixit Deus Fiat, et factum est. Ex quo textu satis accipitur verbum esse apud Deum: quia, cum Deus dixit, sine dubio non erat verbum creatum vel humanum, cum tunc nondum aliqua res vel verbum fuerit creatum, sed per dicere seu verbum Dei coeperunt esse, ipsum autem non coepit, et ita consonat id, quod dixit: In principio erat verbum. Erat enim, cum per ipsum Deus iuberet, ut fierent omnia, ergo ipsum extra omnia, quae iussa sunt fieri, nec tamen cum omnibus factum est, sed omnia per ipsum. Idcirco principium evangelii Johannis miro lumine exponit principium Genesis. Si ergo Deus dixit, igitur verbum eius distinctum est ab eo, tamen nusquam esse potuit, nisi apud dicentem Deum. Ergo coaeternum et tamen distinctum ei est, ac per hoc verus etiam Deus. Et quicquid est, ex quo omnia facta, Deus est, cum ultra factorem et facturam non possit esse aliquid. Quo patet, ex principio Genesis suum principium collegisse: quia istae sequentes propositiones, in principio erat verbum et verbum erat etc., velut corollaria sequuntur necessario ex illis verbis Mosis, dixit Deus: Fiat, et factum est. Quod Moses prius ipsum appellavit verbum, quam Johannes, nam et Propheta per spiritum idem collegerat ex eisdem verbis, quando

dixit, verbo Domini coeli firmati sunt, et iterum, omnia in sapientia fecisti. Et Salomo similiter ea quae de sapientia Prov. 8. perorat. Secunda, quod sic aptiorem et perfectiorem viam intelligendi et ascendendi in deitatem Filii et pluralitatem personarum cum identitate naturae nobis paravit. Quod ut capiamus, notandum, quod duplex sit verbum; primum est internum, quod propriissime dicitur verbum, et perfectissimum est, et repraesentativum et indicativum Filii Dei, quippe quod in sola perfectissima natura, scilicet intellectuali vel rationali, invenitur, quod ex vulgari dicto accipitur, quando solet dici de cogitationibus, ecce secum in corde loquitur, seu Mein Herz sagt mir das. Si cor tibi dicit, ergo verbum est, imo ita perfectum verbum, ut per tuam experientiam sentias, quod verbum oris incomparabiliter minus est et infirmius. Nam nulli potes per verbum oris cor movere, quantum est cor tuum motum a verbo tuo interius, sicut solemus dicere, quando nostra consilia, querelas aut monita alii nolunt corde percipere, Es geht ihm nit zu Herzen, i. e. non movet hoc eius cor, sicut nostrum. Moveret autem, si ipsum internum verbum possemus in eorum cor mittere, nunc autem solum verbum externum mittimus in eorum cor, imo incomparabiliter minus movetur ab eo, quam nos ab ipso interno. Quae si notasset inter alia mirabilia, quae ex hoc sequuntur, ut infra dicendum est, hoc primum sequitur, quod hoc verbum est est omnium verborum perfectissimum: secundo, quod manet intus et potest perfundi foras: tertio, quod nemo ipsum novit, nisi ipse qui habet; quarto, quod hoc verbum est consilium, cogitatio, sapientia, iudicium, veritas, intellectus ipsius hominis: quinto quod hoc verbum non citius foras mittitur, seu manifestatur melius quam per verbum oris, vel opus aliud corporis. Sic nunc cogita de Deo, quod et ipse solus secum loquitur et dicit in corde suo, quod est verbum omnium perfectissimum, de quo hic Johannes loquitur, quod manet in Deo nec potest effundi foras et extra Deum, sed manet apud Deum, et est Deus:

si enim non esset Deus, posset foras effundi et separari, ac aliis misceri; sed hoc non potest, sicut nec hominis verbum hoc potest. Tertio, quod nemo ipsum novit, nisi ipse Pater, sicut in evangelio dicitur, nemo novit filium, nisi pater. Quarto, quod hoc verbum est consilium, sapientia, veritas, iudicium, cogitatio Dei, unde Christus vocatur sapientia et veritas Dei. Quinto, quod hoc verbum non aliter mittitur foras, nisi unitum carni, seu humanitati, quae est velut verbum visibile, vel opus Dei, in quo ostendit Deus, quid Christus sentiat et cogitet, unde et incarnatio Christi singulariter vocatur opus Dei Habac. 3, Domine, opus tuum in medio annorum est verbum abbreviatum et consummatum; Es. 10. Speramus autem in futuro inspicere in istud verbum, cum Deus cor suum aperuerit, imo cum non effuderit verbum, sed nos introducet in cor suum, ut videamus bona Domini in terra viventium, cum puram veritatem et sapientiam videbimus: interim enim manus et pedes, oculos quoque et aures ostendit et latus. Sed tunc cor quoque introspiciemus cum omnibus beatis. Non erit autem angustum hoc verbum, sicut nostri cordis, sed infinitum et aeternum, laetissimum praebens omnibus spectaculum et gaudium.

Corollarium I.

Diabolus vel angelus potest verbum suum mittere internum, et illud vehementissime movere, vel saltem potest aliquid fortius, quam nostrum interius verbum est, immittere, quia nos multo magis movet, quam nos verbo oris hominem. Experimur enim, quam fortiter moveamur, vel ad invidiam, luxuriam, desperationem: quin etiam si permitteretur, certe permoveret, imo perderet quosvis. Hoc est sua cogitatio robustissima vel species aliqua, quam movet per talem suam cogitationem robustissimam, ut psalmista queritur: et fortes quaesiverunt animam meam: sicut homo per clamorosam vocem fortius imprimit suum verbum internum, quod im-

primere per se non potest; ita ille per speciem fortiter a se motam in nostrum cor dirigit impetum, ut persentimus saepe et hoc, quando per potentiam nos tentat, sed quando per astutiam tentat, tunc quanto nos excedit in posse, ita et in astutia, quae tanta specie nos potest circumvenire, ut nihil sanctius nobis videatur. Disces hoc ex hominibus fraudulentis, quam mira calliditate etiam astutos fallant hodie, quanto magis principes eorum. Heu quod tam securi sumus, et non timemus, et nescimus tantam diaboli astutiam. Vide quomodo haereticos et superbos fallat mira specie boni, ita ut malum nullum subtus videatur, vel etiamsi videatur, parum esse putent. Sic potest oculos nostros fascinare, ut in toto malo nullum malum videamus, et in toto bono nullum bonum. Sive ergo haec faciat suo verbo interno, vel aliquo vento et specie spirituali moto a verbo eius ad nostrum cor, nos tamen verbum sentimus, si volumus, quod nobis loquitur et suggerit. Si diabolus hoc potest, quid erit, quando Deus suo verbo movebit cor damnatorum, talem speciem vel impetum? Haec erit vox virtutis et tonitru magnitudinis eius et clamor in media nocte, quae est auditio illa mala, a qua non timebit, qui hic timet Deum, nunc autem non ita clamat, sed leniter loquitur, ut est in Psalmo: audiam quod loquatur in me Dominus Deus.

Corollarium II.

Videtur quod verbum internum sit nihil distinctum ab eodem, nisi velut quaedam motio, nam videtur esse eiusmodi motio. Sed de hoc alibi, et infra latius. Secundum verbum est externum, sed hoc est propter aliud, internum autem propter nos ipsos, nam per internum nobis, per externum aliis loquimur. Videamus tamen et hic, quomodo verbum divinum significetur nobis. Primo, quod hoc verbum vocatur sapientia, veritas, iudicium, si saltem est non mentale, sed hoc totum ab interiori verbum. Secundo, quia procedit ab ore incompre-

hensibiliter, quis enim dicat, quomodo formetur ab ore. Tertio, induit vocem. Quarto, indutum voce, cum sit unum, in multos dispergitur et multas aures replet. Quinto, maxima pars eius non venit in aures sed in auras, ubi non percipitur ab ullo, quia aura non habet aures. Sexto ad aures cum pertingit, et tamen non auditur et movet, et multae aliae conditiones mirabiles, quas relinquo aliis. Quia ergo Filius Dei incarnatus omnes istas conditiones habet, optime vocatur verbum. Nam primo, quod sit sapientia et veritas, dictum est. Secundo, ex ore altissimo prodit, sicut Eccles. 24. dicitur, ineffabilis scilicet. Tertio induit vocem, i. e. carnem visibilem. Quarto sic indutum et unum dispergitur in multos, quia a multis cognoscitur, et replet aures eorum per auditum fidei. Quinto maior pars venit in auras, quia multi increduli et pauci fideles. Sexto, ad auditum tamen venit et facit se solum audiri, i. e. solam fidem nondum speciem exhibet, sed tamen in isto auditu intus efficaciter operatur eruditionem et salutem, sicut dictum Ps. 21: descendet sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram, quod proprium est verbi, hoc enim sic cadit super homines, et utique Christus sic descendit per praedicationes in populos quoscunque, uti sine opere manuum pluvia, et sine meritis gratia Christi descendit. Non invenitur autem verbum in alia creatura, quamvis in iam dictis literis verbum in qualibet inveniatur aliquid, quod ei vice verbi est, et id ei facit, quod animae cogitatio vel corpori hominis verbum vocale. Quin videamus paululum pro meditatione nostra, ut si non in omni re verbum inveniamus, quod verbum Dei audiret, tamen aliquid simile verbo inveniamus, quod secundum suum gradum licet imperfectius idem repraesentet. Igitur ponatur:

Creatura	intellectualis rationalis	quae habet hunc actum secundum, scilicet	proprie verbum cogitationem consilium.	quo crescit et augetur, ut perficiatur.
	sensualis animalis		Sensationem vita scil. secunda	
	inanimalis		Motu	

Nam verbo intellectus singula nomina competunt sequentia quodammodo, quia verbum est cogitatio, est quaedam intellectualis sensatio et intellectualis vita, et intellectualis motio. Quare singula quoque singulis aliquo modo competere possunt: sicut enim cogitatio rationalis creaturae est quoddam rationale verbum, quidam rationalis sensus, quaedam rationalis vita, et rationalis motio, sic sensatio sensualis rei est eius intentio, vel verbum quoddam sensuale, cogitatio sensualis, quaedam vita et motio sensualis. Nam hoc ei praestat sensatio in suo gradu et genere, quod intellectus intellectuali et cogitatio rationali, motus inanimato, et vita animato. Et licet inferiora aptius dicantur de superioribus, minus remota metaphora, tamen etiam non inepte penitus superiora de inferioribus dicuntur: ut aptius quidem dico, quod verbum sit quaedam intellectualis vita et motio vel sensatio, quam quod motio sit quoddam inanimale verbum, sensatio, vita: tamen sustineamus interim et prosequamur. Sic vita animalis rei est velut suus sensus, suum verbum, suus motus etc. Et motus inanimati est velut suum verbum, suus sensus, sua vita etc. Et hoc ei praestat vita in suo gradu, quod ceteris sua, singulis singula. Distinguo autem intellectualem naturam a rationali, quod multis philosophis absurdum videtur, sed tamen scripturae consonum, quia intellectus est secundum scripturas invisibilium et aeternorum, quae beatificant. Quem meo iudicio B. Augustinus portionem rationis superiorem nominat et virum, sicut rationem

inferiorem mulierem, quae in temporalibus versatur, cuius scilicet omnia opera, quae ingenio et industria mirabili fiunt in terra, non curans, an Deo placeant, vel futurorum beatitudini prosint. Quare huius magis cogitatio quam verbum dicendum est, ut Ps. 93: Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Intellectus autem solius proprie est verbum, quia est cogitatio stabilis, vera et aeterna, non vana: perseverat enim in aeternum, quantum de natura sua est, utcunque deficiat, sed cogitatio rationis tandem desinet cum omnibus operibus. Igitur sicut intellectus vel ratio, dum secum agit, se movet, secum loquitur, verbum profert intus, ac sic iam velut sentit ac vivit, vitalemque actum sensationemve intellectualem ex se suscitat, quando indicat Deum Patrem sibi suum apud se verbum proferre: ita sensualis natura, dum sensum vel sensationem facit, se ipsam ostendit, et suscitat et quodammodo vivificat et se ipsam producit, ut sit in sensu, ubi prius non erat. Ita de animato, quando crescit, floret, fructificat, iam velut ex se ipso procedit, et producit aliquid sui, et tamen non se ipsum deserit, ita et in Deo fit. Imo est sic, inanimatum, dum movetur, quodammodo crescit et proficit, quomodo prius non fuit. Quia sicut per cognitionem suam intellectus et ratio et sensus proficit in id, in quo prius non fuit: ita animatum per incrementum suum, et inanimatum per motum suum proficit in id, in quo prius non fuit, ac sic in se ipso iam sese multiplicat et plurificat, non tamen recedit a se ipso, imo maxime manet idem. Ita ineffabiliter Deus, dum se intelligit, dicit, sapit, sentit, profundit et agit ac intelligibili, imo superintelligibili quodam motu movet, manet idem et tamen se ipsum multiplicat. Imo, nisi idem ipse maneret, non posset ita sese multiplicare, sicut nec res, dum movetur, nisi eadem maneret, non sese multiplicare posset, nec sensus sensu, nec intellectus cogitatione, nec vivum incremento multiplicaretur, nisi idem maneret. Si enim aliud fieret, iam non ipsum moveretur, sentiret, cresceret, cogi-

taret, intelligeret, sed illud aliud. Quocirca non sequitur, sese multiplicat vel profundit, ergo se deserit. Imo contrarium, dum se multiplicat, maxime idem manet et fit. Videmus itaque, quomodo in qualibet re et creatura multipliciter elucet processio verbi ex Patre, licet non aequaliter in omnibus. Nam motus rei inanimatae imperfectissime quidem id ostendit, quia parva est multiplicatio ista, qua idem multiplicatur, quando in multa movetur, non tamen nulla. Sicut autem motus est ipsa essentia Dei secundum Aristotelem, qui dicit, quod sit actus mobilis, in quantum huiusmodi: similiter est dicendum, quod multo magis nascentia animati est ipsum animatum in quantum huiusmodi, quia est actus vivi in quantum huiusmodi. Accipio autem nascentiam vel incrementum propter penuriam nominum hic pro omni actu animati, sicut motus est omnis actus inanimati, et sensus sensitivi, cogitatio rationis, verbum intellectus. Igitur sicut motus non tantum localem significat, sed etiam alias species, quibus res ipsa multiplicat in se ipsa, ut albedo, quantitas etc., ita nascentia hic sit nutritio, augmentatio, generatio, quae est actus ipsius vivi, vel ipsum vivum, non in quantum est arbor, lignum, herba, sed in quantum huiusmodi, i. e. vivum, secundum philosophiam Aristotelis. Ita sensatio est nonnisi ipsa essentia sensitivae rei, i. e. est actus sensitivi in quantum huiusmodi. Sic verbum est intellectus ipse in quantum huiusmodi. Quae omnia ex identitate motus cum mobili facile intelliguntur, quia omnia illa quidam motus sunt, ut dictum est. Ita ergo et Filius Dei est ipsa essentia Dei, et esse divinum est ipsum verbum, solo scilicet illo ineffabili et superintelligibili motu ab eo descendens. Ulterius etiam id perpende, quod omnis res motu et non secundum esse attingit terminum ad quem, vel saltem non in quantum est, sed in quantum mobile est, attingit. Sic sensualis natura non per esse, sed per potentiam sentiendi pervenit ad sensibile vel sensationem. Ita ratio, ita intellectus, ita Deus non per esse, sed per producere suum

sese multiplicat. Hoc est, quod essentia nec generat, nec generatur. Quare sequitur, quod B. Augustinus optime dicit, quod mens, memoria, voluntas, seu mens, notitia, amor sunt una vita et tres vitae. Sic si in re inanimata diceret, res, motus, quies sunt unum et tria, quia, dum res est, iam apta est moveri, et sic ex esse fluit motus, non in quantum est, sed quia, dum res est, est mobilis, ex qua mobilitate fluit motus, ex utroque autem, motu et mobilitate, oritur quies et finis motus. In omni enim motu sic fit, ut pars acquisita cesset acquiri, et sit ibi quies mobilis, et ita eadem res respectu termini, quem quaerit, movetur, sed respectu eius, quem acquisivit, quiescit: quare sibi et movetur et quiescit, sibi incipit semper et desinit, sibi est in principio et fine semper. Ita in divinis fit, ubi semper Deus movetur et quiescit (parce lector verbis indignis tantae rei expressione) movendo filius, quiescendo Spiritus sanctus procedit *). Quia Spiritus sanctus finis est emanationis Dei, imo dum semper ex Patre profluit motus, i. e. filius, semper ex utroque provenit quies, in qua et mobile et motus finitur. Sed motus ille aeternus est ibi, ita et quies aeterna. Vide, quam apte serviat Aristoteles in philosophia sua theologiae, si non, ut ipse voluit, sed melius intelligitur et applicatur. Nam res vere est elocutus, et credo, quod aliunde furatus sit, quae tanta pompa profert et iactat. Sed tamen veniam peto, o Deus, quod de tua penitissima natura, licet in gradibus a te constitutis ascendens, tam indigna loquor et exercito. Nunc ad mores veniendum est, et discendum inprimis, quod sicut verbum Dei caro factum est, ita certe oportet, et quod caro fiat verbum. Nam ideo verbum fit caro, ut caro fiat verbum. Ideo Deus fit homo, ut homo fiat Deus **). Ideo virtus fit infirma, ut infirmitas fiat virtuosa; induit formam et figuram nostram, et imaginem et similitudinem, ut nos induat imagine, forma, similitudine sua, ideo

*) Haec scholam sapiunt, et Luthero condonanda sunt.
**) Hoc bene infra explicatur: *nos non Deus efficimur.*

sapientia fit stulta, ut stultitia fiat sapientia, et sic de omnibus aliis, quae sunt in Deo et nobis, in quibus omnibus nostra assumsit, ut conferret nobis sua. Efficimur autem verbum, vel verbo similes, i. e. veraces, sicut ipse homo, vel homini similis, i. e. peccatori et mendaci; sed non peccator et mendax; sicut nos non Deus efficimur, nec veritas, sed divini et veraces, vel divinae consortes naturae, quando assumimus verbum, et per fidem ei adhaeremus. Nam nec verbum ita factum est caro, quod se deseruerit, et in carnem mutatum sit, sed quod assumsit et sibi univit carnem, qua unione non tantum habere dicitur carnem, sed etiam esse caro. Ita nec nos, qui sumus caro, sic efficimur verbum, quod in verbum substantialiter mutemur, sed quod assumimus et per fidem ipsum nobis unimus, qua unione non tantum habere verbum, sed etiam esse dicimur. Sic enim apostolus ait, Dominus spiritus est, et qui adhaeret domino, unus spiritus est, et Ioh. 3: Sic est omnis, qui ex spiritu natus est, idem, quod ex spiritu natum est, spiritus est; et apostolus: ut simus iustitia Dei in illo. Quomodo ergo spiritus, et iustitia, et veritas, et sanctificatio, et regnum dicimur, ita et verbum, et sapientia, et virtus, quia facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius. Et cum Christi vestis sit iustitia, et sanctitas, et gloria, nos autem vestis ipsa simus, ergo iustitia et gloria sumus. Oportet autem, quando verbum assumimus, nos ipsos deserere et exinanire, nihil de nostro sensu retinendo, sed totum abnegando, et sic sine dubio efficimur illud, quod assumimus, et ita portat Dominus in hac vita omnes verbo virtutis suae, nondum re ipsa. Nulli enim credenti hic dantur, quae credit, sed verbum fides futurorum, et in hoc suspensi et captivi totum verbum sumus, imo et in futuro portabit nos verbo, sed hoc erit verbum indivisibile illud aut incarnatum hoc sine voce, sono, literis erit. Interius illud autem sono, voce, literis, est involutum, sicut mel in favo, nucleus in testa, medulla in cortice, vita in carne, et verbum in carne. Nec id mirum, quod nos verbum fieri oportere dixi,

cum et philosophi dicant, quod intellectus sit intelligibile per actualem intellectionem, et sensus sensibile per actualem sensationem, quanto magis id in spiritu et verbo verum est?

Sic enim Aristoteles ait: Intellectus impossibilis est nisi eorum, quae intelligit, sed potentia est ipsa omnia, et ipse est quodammodo omnia. Sic etiam appetitus et appetibile sunt unum, et amor et amatum, quae omnia substantialiter intellecta falsissima sunt. Sed sic quia intellectus et affectus, dum desiderant sua obiecta, in quantum sic desiderantes habent se velut materia appetens formam, et secundum hoc, i. e. in quantum desiderantes, non autem in quantum subsistentes, sunt pura potentia, imo quoddam nihil, et fiunt quoddam ens, quando obiecta attingunt, et ita obiecta sunt eorum esse et actus, sine quibus nihil essent, sicut materia sine forma nihil esset. Pulchra haec philosophia sed a paucis intellecta altissimae theologiae utilis est. Sic v. g. Deus obiectum beatitudinis est ipsa essentia beatorum, sine qua beati nihil essent omnino, sed dum attingunt ipsum, fiunt velut ex potentia aliquid. Quare Deus est actus; sed de hoc alias.

Sermo

de propria sapientia et voluntate, in die S. Stephani, Anno 1515.*)

Ecce ego mitto ad vos prophetas, sapientes et scribas. Quare non dicit, mitto ad vos iustos, bonos aut alio voluntatis et virtutis vocabulo insignes, sed tantum eos, qui in verbo et sapientia excellunt? Nam in istis tribus tria genera hominum verbo eruditorum significantur, sicut triplex traditur et oritur eruditio. Primo enim a Deo ipso immediate alii afflantur, sine humano magisterio, sola

*) Sermo habitus in aedicula Augustinianorum, frugis optimae et vere Lutheranus. Disserit in eo Lutherus de Matth. 23, 34. sq. vid. Loescher I, 243 sqq. Walch. XII, 2167 sqq.

divina inspiratione et revelatione eruditi, et hi sunt prophetae, ut 2. Petr. 2: Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, nec unquam voluntate humana est allata prophetia. Secundo, non tantum a Deo, sed a Deo per homines et in voce viva sic omnes erudiuntur ad iustitiam a Deo per ministerium hominum, et hi sunt sapientes, ut Ps. 36: Os iusti meditabitur sapientia, et alibi: Os meum loquitur sapientiam. Tertio, neque per ministerium hominum nec tamen a solo Deo, sed ex lectione scripturae, scilicet qui legendo et meditando sese exercent ad cognitionem veritatis, facti potentes interpretari scripturas, et scribere legenda. Igitur sicut triplex est verbum, scilicet cogitatum et mentale, dictum seu vocale, scriptum seu scriptile, ita sunt triplices eruditi, prophetae, qui corde, sapientes, qui aure, scribae, qui oculo doctrinam percipiunt, et vivacior est eruditio sicut cogitatione, quam voce, ita voce quam scripto.. Quia litera est vox mortua, vox autem est litera viva, sed tamen est adhuc cogitatio mortua. Cogitatio vero digito Dei scripta est vita vocis et literae. Quia magis movet vox quam litera, sed plus cogitatio, quam vox, imo Deus scribit in cordibus et facit prophetas, homo scribit in auribus et libris voce et litera. Quaeritur igitur, ut dixi, cur hos tantum mittat et non iustos? Respondetur, ad ostendendum, quod omnis rebellio est ex sapientia carnis, quae non potest subiici Deo, cum omnes habeant zelum Dei et arbitrentur, se bona voluntate obsequium Deo praestare sed non secundum scripturam, nec humiliant suum sapere et sensum. Idcirco iustum, pium, mitem requirunt et recipiunt, sed verum, certum et sapientem repudiant. Tota conflictatio est de mediis ad finem, de fine consentiunt omnes. Omnes volunt salvari et Deo placere, sed dissentiunt in eo, in quo placendum est. Idcirco superbi semper contra iustitiam Dei pugnant, et stultitiam aestimant, quae sapientia eis mittitur, similiter veritas eis mendacium videtur. Imo persequuntur et occidunt eos, qui veritatem dicunt. Sic enim et ego semper praedico

de Christo, gallina nostra, efficitur mihi errans et falsum dictum.*) Vult Dominus esse gallina nostra ad salutem, sed nos nolumus. Hoc est enim, quod dixi, quod nos nostris iustitiis prorsus salvari non possumus, sed sub alas huius gallinae nostrae oportet nos confugere, ut, quod minus in nobis est, de eius plenitudine accipiamus. Sic enim Malach. 4: Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae, et salus in pennis eius. Et Psalm. 90: Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis, et Psalm. 62: Et in velamento alarum tuarum sperabo, me suscepit dextera mea. Alioquin, qui securus incedit in iustitia sua, rapient eum vultures, crudelissimi daemones. Ecce autem expandit Dominus noster alas suas in cruce, ut nos suscipiat, nunc vero non tantum ab eis alis recedunt in sua propria bona opera, insuper nolunt audire vocem vocantis gallinae. Nolunt, inquam, audire, quod iustitiae eorum peccata sint, quae gallina egeant, imo quod peius est, versi in vultures etiam ipsi alios a gallina rapere nituntur, et persequuntur reliquos pullos, qui in misericordia huius gallinae sperant salvari, ut abstractos a fiducia Christi et improprie iustitiae fiduciam indutos certius devorent. Ita fit, ut gratiam maxime impugnent, qui eam maxime iactant: sicut Iudaei tunc pronius iustitiam persecuti sunt, quando propter iustitiam persecuti sunt iustitiam, id scilicet iustitiam statuentes, quod sibi placuit: ita isti hoc gratiam vocant, quod ipsi somniant. Sed state firmiter, neque moveatur ullus contradictionibus, sic enim oportet fieri. Prophetae, sapientes, scribae, dum mittuntur ad iustos, sanctos, pios, non recipiuntur ab ipsis, sed occiduntur, recipiuntur autem ab iniustis et peccatoribus, publicanis et meretricibus, quoniam hi cupiunt doceri et sunt ieiuni, illi vero saturi et docti nimis.

Doctrina prima.

Cum Deus omnes homines velit salvari, et nul-

---

*) Videtur indicare vexationes, quas ante reformationem praedicatae veritatis causa sit perpessus.

lus homo velit damnari, sola sapientia carnis facit, quod sapientia Dei nunc dicat, ego volui et tu noluisti. Mirabile enim est, quod contradicat sibi et discordet voluntas Dei et nostra. Sed tamen patet primum 1. Thimoth. 2. et experientia cuiuslibet propria. Ille enim dicit, Deus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; et Ezech. 13: Num quid voluntatis mei est mors impii? et Psalm. 27: Quoniam ira in indignatione et vita in voluntate eius, et sapientiae Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione impiorum: item, Sanabiles fecit nationes orbis etc. Et quilibet requisitus, an velit salvari, respondet volo, damnari, et respondet nolo. Et non mirabiliter fit, ut haec una sit voluntas Dei et hominum, et altera dicat ad alteram, volui et noluisti. Nam ista synteresis in voluntate humana in perpetuum manet, quod velit salvari, bene beateque vivere, nolit et odiat damnari, sicut et rationis synteresis inexstinguibiliter deprecatur ad optima, ad vera, recta, iusta. Haec enim synteresis est conservatio reliquiae, residuum, superstes portio naturae in corruptione et vitio perditae, ac velut fomes, semen et materia resuscitandae et restaurandae eius per gratiam, sicut Esa.: Arundinem conquassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, quasi diceret, sed potius redintegrabit, consolidabit, accendet et inflammabit. Sic idem: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, i. e. moraliter loquendo, nisi synteresin et reliquias naturae conservasset, tota periisset. Et Hiob, lignum habet spem, si praecisum fuerit, rursum virescit, si mortuus fuerit in pulvere truncus eius et senuerit radix eius in terra, ad odorem aquae germinabit et faciet comam, quasi cum primum plantatum est. Resuscitabilis itaque est natura, nisi ponatur obex et gratiae resistatur, quod faciunt impii, qui freti sua synteresi, et prae voluntate ac sapientia propria nolunt restaurari, sed sani sibi videntur. Igitur adeo radicaliter ista portio voluntatis inest, ut etiam in damnatis sola sit causa totius pene inferni, quod nolunt eum, et

volunt contrariam salutem inaestimabili vehementia. Sic enim ait B. Augustinus, quod dolor est dissensio animi in his, quae nolentibus accidunt; ergo contra voluptas et gaudium est consensio animi in his, quae volentibus accidunt, ac per hoc impii in aeternum quaerunt fugere damnationem, et movebuntur aversi ab ea, et tamen ubique in eam current. Unde Psalm. 1. describuntur futuri sicut pulvis ante faciem venti, scilicet semper agitati et fugientes horribili terrore, et tamen non effugientes horrenda miseria. Iusti autem radicabuntur in Deo secus decursus aquarum, i. e. mundanarum voluptatum torrentem.

Corollarium.

Mirabile, quod ea sola voluntate punientur peccatores, qua Deo volenti salutem omnium et nolenti damnationem ullorum sunt conformes, i. e. voluntate salutis et noluntate damnationis. Patet Prov. 1: Ego quoque deridebo vos et subsannabo, cum id, quod timebatis, vobis advenerit. Item Psalm. 3: Desiderium peccatorum peribit, et Psalm. 107: Oratio eius fiat in peccatum, et Lib. Sap.: Spes iustorum etc. Est enim, ut dixi, ex Deo indita ista bona voluntas in homine indelebiliter, imo per ipsam maxime punietur, cum non possit nolle poenam et non possit non velle quietem et salutem.

Secunda pars conclusionis probatur, quia sapientia carnis dispergit voluntatem Deo conformem, ut velit, non in quo debet et in quo Dei voluntas vult salvari eam, sed in quo sibi videtur, et in quo ipse homo eligit beatus esse et salvari. Hic enim discordia oritur inter Deum et hominem, scilicet in via, non in fine, ut Matth. 7: Esto consentiens adversario tuo, dum es cum eo in via, quasi diceret, in finem eundem tendunt, sed in eandem viam sibi non consentiunt sapientia Dei et sapientia carnis. Sicut duo operarii idem opus intendunt, sed diversis studiis et contrariis mediis discordique consilio, quorum alter necessario errabit et alter solus recte procedit. Ut si duorum aedificantium alter ligna

recte et apte componat et formet ad domum, alter vero ab eo dissentiens velut meliori consilio superbus lignum componat ad pontem, sepem vel aliud, et tamen domum intendat, hic non aedificator, sed dissipator est. Sic si sartor intendat tunicam formare et abundanti consilio proprio ut ceteris dissentiat caligam tandem efficiat. Et Horatius: Amphora coepit institui currente rota, cur urceus exit? Et idem: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Omnes ergo in fine consentiunt, recti et perversi, docti pariter et indocti, sed quia dissentiunt consiliis et mediis, ideo alterutri fraudantur fine intento. Ubi dicere possunt recti ad perversos, certe noluistis, nos autem voluimus. At illi, utique idem voluimns sed non potuimus. Quare? Quia sapientia propria obstitit. Sic hominum alius in honore, alius divitiis, alius sapientia, alius iustitia sua quaerit salvari, et hoc ipso dissentit Deo per suum sensum, per sapientiam carnis, per consilium proprium, cum Deus per humilitatem crucis et per confessionem peccati velit ad finem salutis adducere. Hoc enim est consilium impiorum Psalm, 1: Generatio vero rectorum benedicetur. Dicuntur enim boni cordi et recti corde, quia hi propter recti consilium ad finem salutis, illi vero, quia peccata in remissionem habent, et zelum Dei et finem salutarem quaerunt, sed non secundum scientiam. Unde in Scripturis nihil nisi ista sapientia quaeritur exstingui et humiliari, ut homo audiat vocem Dei ipsum docentis et ducentis per vias rectas ad finem, quem ipse vult, sed per se attingere et invenire nequit. Sic Psalmus: Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sequitur semper, hi errant corde, quasi dicerent: zelum habent et bonam voluntatem, sed erroneam. Et Psalm. 111: Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Et Psal. 96: Lux orta est iusto, i. e. credenti verbo et consilio Dei, proprio abiecto; Et rectis corde laetitia. Idem Psalm. 32: Exsultate iusti in Domino i. e. creduli consiliis Dei; Rectos decet collaudatio. Et ibidem, Dominus dis-

sipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum et consilia principum. Sic per totum psalmum octonarium per singulos pene versus oratur lex, mandatum, verbum, eloquium, iudicium, iustitia, iustificationes, i. e. rectum medium a Deo ad finem, quem omnes volunt; non enim necesse est orandum, ut bonum velimus, sed ut recte velimus et verum bonum. Unde et in hoc evangelio Dominus non iustos, bonos, pios, sed prophetas, sapientes, scribas promittit se missurum, scilicet, quia duces et rectores, consiliarios rectos per media recta missurus tota cura contra sapientiam carnis et consilium hominis laborat et sollicitus est. Est enim sapientia carnis, quae vulgo significatur Sinnlichkeit, sensualitas in proprium consilium, hoc est, quando ratio sapit et dictat, quae sibi recta et bona videntur, cum hoc non possit, sed de Deo petere debeat, ut doceatur a spiritu eius, quae recta et bona non videantur, sed sint. Hinc verbum factum est et sapientia Dei abscondita et exinanita, ut nostram quoque hanc pessimam sapientiam absconderet et exinaniret, quae est plena vanitate, errore et peccato.

Doctrina secunda.

Quicunque non Christi consiliis obedit et a propriis suis redit, etsi non occidit, tamen quia de generatione occidentium est, omnis sanguis iustus super eum erit. Et sic dicit Christus: Qui non est mecum, contra me est, et apud Matthaeum: Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, illi enim occiderunt etc., cum tamen non occidissent ipsi eos. Et ratio est, qui non recedit a generatione occidentium prophetas, opere testatur, se illis consentire, sicut qui cum furibus et latronibus conversatur, et ei placent fur et latro, est participaturus et poenam, sic participavit et culpam, etsi neminem ipse laeserit opere. Sicut hodie Paulus S. Stephanum lapidavit, ut ipse in Actibus confitetur, Judaeorum lapidantium manibus. Sic omnibus hominibus malis imputatur sanguis

Christi et omnium sanctorum eius, eo quod sint de generatione et sorte eorum, qui occiderunt eos et effuderunt eorum sanguinem. O horribile verbum. O omni studio fugienda sapientia carnis! Nam qui amat sensum proprium, sapientiam carnis, consilium suum, quid amat, nisi arma, quibus occisus Christus et sancti eius? Quis enim occidit eum nisi furor et amor sensus proprii! Si ergo tu principis filium non quidem occideris, delecteris autem armis, machinis, studiis, consiliis, imo utaris illis, et prohibente principe sub poena capitis eadem anathematisari et proiici, tu ea iactes, et reserves, nonne iam vel similia facturum vel eadem fecisse arbitrans, imo inobedientem praecepto dammabit? Ita fiet omnibus, qui consilia sua diligunt, quoniam diligunt instrumenta mortis Christi et omnium iustorum Dei, quae tamen quilibet summe odisse debuerat, si amicus esse vellet. Frustra itaque est excusatio, quod Christum et iustos non occideris, si tamen arma in manu teneas, quibus occisus est. Si enim interroget, quid haec sibi volunt? respondebis, mihi placent et pulchra videntur. At ille: Haec sunt, quae mihi filium meum occiderunt, et siquidem ignorasses, ignosci tibi posset; sed cum iam scias, ea arma esse cruenta et mortem Christi sanguinolentis notis testantia, utique horrere debuisti et non amare, sicut filius horret arma, quibus occisus est pater fraterve suus. Igitur draco iste rufus et sanguinolentus, cuius arma sunt furor, superbia, ira etc. similiter cruenta, summo studio, imo horrore fugiendus et ad humilitatem sensus pia festinatione conandum. Ab hac ergo generatione retrahit Salomo Prov. 1: Si lactaverint peccatores etc. Item, festinandum ut effundam sanguinem. Et ad Rom. 3 de tota illa generatione veloces pedes ad effundendum sanguinem, scilicet propter communionem societatis et incorporationis, licet non propter identitatem operationis; Act. 2: Salvamini a generatione ista prava; et Ps. 11: Tu, Domine, servabis nos et custodies nos a generatione hac in aeternum.

Corollarium.

Quoties nos proprio sensu percipimus moveri ad statuendam propriam opinionem, cum gemitu detestari nos ipsos debemus et nostram deflere miseriam. Quia scilicet horribile est in Christiano inveniri stimulum istum mortis, quo Dominus eius Christus perpunctus est, et vivere ac militare contra Dominum suum, qui pro Domino suo etiam mori deberet omni militia strenuissime pugnans. Habemus itaque semper in nobis magni luctus materiam et humillimae confessionis occasionem, quod scilicet generationis istius interfectricis iustorum cruenta iacula in nobis percipimus adhuc superesse, propter quae nisi doleamus et gemamus, merito super nos veniet omnis sanguis iustus, qui effusus est, etc.

Doctrina Tertia.

Et si Deus imposuit nobis impossibilia et super virtutem nostram, non tamen hic ullus excusatur. Qui se excusat, maiorem incurrit accusationem. Primum patet, quia invisibilia proponit, in quibus nos vult salvari, quae sapientia carnis non potest aestimare, quia non capit. Insuper quia lex spiritualis est, sapientia autem carnis carnalis, non potest in illam ut impleat. Sic ait apostolus ad Rom. 6: Prudentia carnis mors est, non enim est subiecta Deo, nec enim potest. Ideo cum simus carnales, impossibile est nobis legem implere *), sed solus Christus venit eam implere, quam nos non possumus nisi solvere. Nam quod erat impossibile legi, ait apostolus, in quo inquinabatur per carnem, ecce impossibilis est lex propter carnem. Veruntamen Christus impletionem suam nobis impertit, dum se ipsum gallinam se nobis exhibet, ut sub alas eius confugiamus et per eius impletionem nos quoque legem impleamus. O dulcis gallina! O beatos pullos huius gallinae! Se-

---

*) Pulchra confessio veritatis in medio papismo.

cundum patet, quia ideo imponit, ut quaeratur gratia et agnoscatur evacueturque sapientia carnis. Per legem cognitio peccati. Nam si cognoscatur, quod nullis consiliis, nullis auxiliis nostris concupiscentia ex nobis possit auferri, et haec contra legem est, quae dicit, non concupisces, et experimur omnes invincibilem esse concupiscentiam penitus. Quid restat nisi ut sapientia carnis cesset et cedat, desperet in semet ipsa, pereat et humiliata aliunde quaerat auxilium, quod sibi praestare nequit. Ideo dicit, quoties volui congregare etc. Ecce quomodo etiam offert gratiam non quaerentibus. Maior ergo est accusatio, quod non solum non quaerit gratiam, ad quod per legem monebatur, sed et oblatam respuit, et spiritui gratiae contumeliam facit, et sanguinem, in quo mundatus est, pollutum ducit. Pollutum sane ducit, dum ipso velut non opus habens suis consiliis sese iuvare praesumit, non credens, audire nolens, se verum legis et impotentem implere. Ideo domus eius merito relinquitur ei deserta. Sed nos ut simplices pulli cum S. Stephano oremus: et in velamento alarum tuarum exsultabunt, et iterum, sub pennis eius sperabunt. Rom.: Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum, ut iustificatio legis in nobis impleretur. Illud autem quod dictum est de voluntate hominum, quod sit conformis voluntati Dei, intelligendum est de synteresi voluntatis seu superstite portione, quae naturaliter vult bonum. Nam de tota voluntate loquendo, aeque ipsa deficit in amando bono, sicut ratio in intelligendo recto et vero. Sicut ergo synteresis rationis etiam conformis est sapientiae dei, licet tota ratio omnino difformis sit ei, nam cum utrique ponantur invisibilia et abscondita, tam ratio non ea capit, quam voluntas ea non amat, licet per synteresin inclinentur et apta sint ea nosse et amare. Illa enim certa est, ista autem infirma. Ideo illa nonnisi verosimilia, i. e. apta et aperientia sive intus sive foris cognoscit, ista similiter eadem diligit non potens se super ea levare, ut diligat

prae illis invisibilia. Invisibilia autem dico solum ea, quae sunt in Deo, visibilia autem, quaecunque non sunt Deus ipse, ut sapientia, virtutes, dona gratiae. Haec enim etsi non sint sensualia et carnalia, sive corporalia, sunt tamen apparentia et homini praesentialiter cognita. Ideo in his maxime pereunt haeretici et superbi, dum ea pertinaciter diligunt, quasi ideo Deum diligant, quia haec diligunt *). Inde enim zelant et furiunt, ubi reprehenduntur in istis, et defendunt se, ac zelum Dei sine scientia exercent. Verum praeceptum, diliges Deum tuum super omnia, non dicit dona Dei etc., sed simpliciter invisibilia praecipit diligi, quae in rationem hominis non ascendunt, nec oculus vidit, nec auris audivit. Inde enim isti, quantumlibet sapiant et bene vivant, recte adhuc de sapientia carnis vivere dicendi sunt, imo abundantius forte, quam omnes alii, qui corporalia tantummodo sapiant bona. Signum horum est, quod servi sint sine timore ac occultissime superbi. Praeceptum enim istud, diliges Dominum Deum tuum, satis abunde utriusque morbum indicat, dum inspicimus, quae diligimus visibilia, et eadem sapimus, quae tamen prohibentur ibi. Imo pro illuminatione rationis incarnatum est verbum, sapientia patris, et pro sananda voluntate missus est Spiritus, sic, ut ille lucem rationi, hic ignem voluntati conferret, ac sic intelligeret et amaret invisibilia et supra se existentia, quae per synteresin apta est intelligere ac amare, sed impediente rationis et voluntatis defectu non diligit nec intelligit. Ideo semper gemendum et orandum. Simile est cum medicina aegroti, quia aegrotus adhuc utique habet synteresin sanitatis, quam medici vocant vires naturae, quia sunt apti et inclinati agere ea, quae sani agunt, sed non possunt agere. Si enim non esset residuum sanitatis aliquod, desperata esset aegritudo et incurabilis; veruntamen non ideo sanum se debet arbitrari, qui electuaria, medicinas, pharmaca comedere potest, donec etiam

*) Observatio egregia.

istis non appetitis, imo contemtis cibum solitum esuriat et comedere valeat. Talis ergo est stultitia hypocritarum de virtutibus et gratiis Dei praesumentium, se esse integros et iustos, qualis est aegrotantium et medicinis comestis sanitatem praesumentium ac superbe contra medicum tumentium, cum haec non sint sanitas, sed remedia ad sanitatem et opera ac dona iustitiae, non salus sed remedia ad salutem et iustitiam. Salus autem solus Deus, qui per haec omnia quaeritur, non autem inventus praesumi debet. Ergo sicut aegrotus non sine timore agit, etiamsi medicinas possit sumere, ita iustus non sine timore agit, licet bona operetur, cum uterque sit in suo periculo perditionis.

Die S. Iohannis Sermo in Parochia habitus *).

Qui timet Deum, facit bona, Ecclesiastae 15. Brevis doctrina illis, qui cupiunt scire, quomodo bona faciant. Si enim quaeras, quomodo faciam bona? respondet: Deum time, et quaecunque sic timendo feceris, bona erunt. Sic Ecclesiastae ultimo, finem sermonis pariter omnes audiamus: Deum time et mandata illius serva, hoc est omnis hominis.

Concludamus itaque: Sicut non potest fieri, ut faciat malum, qui timet Deum, ita non potest fieri, ut faciat bonum, qui contemnit Deum. Nec mirum, cum ipse contemtus sit malum et ipse timor sit bonum. Si enim etiam mortuos suscites et securus agas, iam non facis bona; contra si etiam vilissimum facias et pavidus agas, iam facis bonum. Tantum habet opus quodlibet bonitatis, quantum

*) Hic sermo de timore Dei die S. Joannis Baptistae anni 1515 habitus est in ecclesia parochiali Vittembergensi. Loescher reddit eum I, p. 252 sqq. (ex MSto.) *Walch. XII, p.* 2184 sqq.

habet timoris Dei, et rursus tantum habet malitiae, quantum contemtus.

Corollarium.

Cum non tantummodo opera contra legem Dei fiant cum contemtu Dei et sine timore, sed etiam opera secundum legem, patet quod non tantum mala, sed etiam bona opera possint esse peccata, quae scilicet secure ac per hoc superbe fiunt sine timore Dei. Secundum, sicut timenti Deum nulla est diligentia eligendorum operum necessaria, ita non timenti nulla diligentia satis est eligendorum operum. Patet, quoniam hic multi aguntur spiritibus erroris eligentes talia opera, quae confidunt Deo placitura, cum talia prorsus nulla sint tantummodo *), ut orationes, ieiunium, vigilias etc. Haec enim tum placent et bona sunt, si cum timore Dei fiant, sicut et opus sartoris, sutoris, consulum, principis et cuiuscunque artis et officii. At nunc illi eligunt talia, tanquam per se placitura, cum hic dicat, qui timet Deum facit bona, quasi diceret, si aliquis debet facere bona, necesse est ante omnia ut timeat Deum, quod si non timet, frustra confidit sese facere bona. Sed pro declaratione maiori quaeritur, quomodo possit timor Dei bonum quid esse, cum alias quod timetur sit odiosum et non optabile, ut commune dictum est. B. Hieronymus: quem times, odias necesse est; Deus autem sit summum bonum summeque amabilis. Natura autem timoris est, ut cupiat id non esse, quod timet, sic enim infernus, sic mors, sic paupertas, sic quodcunque aliud timetur, in hunc modum, ut optetur non esse et cessare. Optare autem Deum non esse summa summarum blasphemia est: ergo timere Deum, i. e. Deum maledicere, quia est optare ei summum malum, non esse, non vivere, non posse, non sapere, non velle, non esse iustum, verum, bonum etc. Non igitur moveo hanc quaestionem, ut videam, quam pauci sint, qui Deum benedicant, laudent, glorificent, et quam grande sit opus benedicere Deum vere. Nam multi

*) *Hic sensus vacillat.*

sunt, qui ore canunt et legunt laudes Dei, quorum tamen cor plenum est blasphemia Dei, licet id ipsum non credant nec sciant. De quibus dicit per Jesaiam: Hic populus me labiis honorat, cor autem eorum longe est a me, i. e. corde aliud utique blasphemia agunt quam labiis. Quales Esaiae quarto dicit: blasphemaverunt sanctum Israel; et apud Ieremiam, omnes maledicunt mihi, dicit Dominus; et Ies. 52: Et iugiter blasphematur nomen meum tota die. Denique et Hiob, veritus ne filii sui Deum benedixerint in corde suo, cum utique praesumeret, quod benedixerint eum in ore suo, sacrificavit pro eis: atque hic vae grandem timorem et horribile periculum vitae nostrae inspiciamus. Vide quam vehementer conformis sit mundus inferno: nam omnis damnatus, imo omnis peccator moriens statim incipit Deum blasphemare et sic permanebit sine fine. Quomodo sit hoc, quaeritur: quia blasphemia cordis est velle, optare, conari, ut deus non sit, quia summe horret et timet Deum et omnia, quae facit, vult, dicit super eum; quo horrore fit, ut summe quoque detestetur, abominetur odiatque Deum, et ita fit, ut non sit in morte, qui memor sit Dei, neque in inferno quisquam confitebitur ei. His sunt similes in vita, imo incipiunt hanc miseriam omnes, qui sunt extra gratiae statum, quod patet sic: quia sicut per gratiam firmantur electi, ut etiam in morte et inferno benedicant Deum, nedum in quocunque alio incommodo temporali, tum haec omnia acceptant et approbant a Deo facta, ut iusto, bono, vero etc. Ita sine gratia infirmi sunt reprobi, ut non tantum mortem et infernum horreant, sed etiam quodlibet aliud incommodum ac sic in omnibus optant contrarium voluntati optimae Dei, contra eamque toto nisu conantur, quia horrent talia sibi fieri.

Corollarium.

Paucissimi itaque et tam pauci sunt laudatores Dei, quam pauci in adversis benedicunt Deum, et id ex corde, non modo ore. Nam id horrent, quod

placet Deo, et id nolunt, quod vult Deus, cum omnia fiant voluntate Dei, quam optant non esse, ac per hoc corde sunt maledicentes et blasphemantes.

Quare respondeamus ad quaestionem, quod aliud est horror Dei, aliud timor. Timor est fructus amoris, horror autem seminarium odii. Ideo Deus non debet horreri, sed timeri, ne odio habeatur, qui debet amari. Nam natura, ut dixi, horroris est fugere, odire, abominari *), ac per hoc blasphemare, maledicere, optare non esse. Unde timor Dei melius intelligeretur reverentia, ut patet in hominibus, quos amamus, colimus, aestimamus, timemus offendere. Verum hoc est impossibile ei, qui aliud diligit, quam Deum. Nam huic amori nitens et fidens securus ruit necessario in horrorem, cum tale ei subtrahitur: sicut domus super arenam fundata irruentibus pluvia ventoque. Ergo qui timet Deum, i. e. qui reveretur Deum, hic facit bona; non est timendum, quod faciat mala. Non itaque Deus timendus est sicut tortor, aut percussor, aut diabolus, aut infernus. Veruntamen sine gratia non potest ex natura aliter timeri, ut patet in Adamo fugiente et sese abscondente in paradiso, hoc autem est horribile omnibus separatis.

Hinc scriptura duplicem continet timorem sanctum. Psalm. 18: Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi, i. e. reverentia Dei. Sic enim tremunt et angeli et potestates. Id. Ps. 110: Sanctum et terribile nomen eius; quod addit sanctum, excludit terribile profanum, quo tremitur odio contrario. Sic Psalm. 2: Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore. Vocatur autem sanctus, quia sanctificat et purissimum facit hominem, ut nihil prorsus cupiat, quod suum est, sed solum quod Dei est. Et hic quomodo stet cum securitate, ideo non scimus, quia non nisi servilem experti sumus. Dat tamen B. Augustinus, ut allegat Magister, similitudinem de uxore casta et adultera. Hunc vocant theologi filialem et liberum, servilem

*) Loesch.: *obominari.*

vero mercenarium, coactum, violentum, extrinsecum, ac per hoc impurum, de quo I. Ioh. 4: Timor non est in caritate, quia timor poenam habet; differt ergo ab illo vero timore, quia primo ipse habet poenam, affligit enim eum, qui sic timet. Sanctus autem habet iucunditatem, quia ita afficitur in eum, quem amat, ut non satis possit eum revereri. Secundo hacet sollicitudinem, ille vero securitatem. Tertio habet odium, ille amorem. Quarto habet fugae cupiditatem, ille adhaesionis desiderium. Quinto habet aliud quam Deum, ille nil praeter Deum, Esaiae 8: Dominum exercituum sanctificato. Sexto est extrinsecus, ille intrinsecus. Septimo est temporalis, ille permanens in aeternum, tamdiu enim durat, quamdiu poena urget. Si enim cessaret poena, etiam rideret eum, quem nunc timet. Ideo dextra cordis intimum foris notat. Intus enim condemnat, sed foris timet, ac sic coactus est et extortus timor. Denique patet, quod aliud quam Deum timet, scilicet poenam, ideo Deum non timet.

Corollarium.

Sicut in hac vita non implemus mandata Dei, ita nec sanctum perficimus timorem, quia tantus est ipse, quantus est amor Dei, sed amor Dei non est perfectus in hac vita. Quare sicut multi sunt gradus cuiuslibet virtutis, ita sunt et timoris. Nam sunt aliqui tam profunde infruniti, qui nec propter infernum aut etiam mortem Deum timent, neque propter infirmitates plagasque corporales innumeras, ut e. g. percutit Deus aliquam regionem peste, fame, bello, exactione, tyrannide, diluvio, sterilitate, deinde variis morbis et quidem portentosis, adhuc tamen indurata fronte et cervice non timent Deum, nec declinant a malis suis, ut faciant bona, sed magis ac magis proficiunt in peius, sicut videmus nostra aetate fieri in miserrimis variisque plagis, de quibus Esaias c. 1: Super quo percutiam vos ultro addentes praevaricationem: et infra, Non est reversus populus ad percutientem se, sicut et Amos 5. Alii sunt, qui saltem istis tanquam a Deo missis flagellis ter-

rentur et declinant a malo, sed hi sunt adhuc in infimo gradu timoris, quia et ipsi tamdiu declinant, quamdiu plaga manet. Data autem rursum quiete relabuntur ad solita. Cum istis itaque Deus sicut cum difficilibus servis percutiendo, urgendo, minando laborat, et sunt in statu incipientium et poenae gratia timentium. De quibus Ps. 32: In freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad Te. De peccatoribus vero, qui nullis plagis moventur, dicit, multa flagella peccatori i. e. impio iuxta Hebraicum. Sunt autem illorum duo genera, qui extra omnem timorem Dei agunt, primi, inquam, qui sicut muta pecora nec hoc cogitant, aut credunt, quod a Deo veniant ista mala, quibus plagantur, sed vel diabolo, vel malis hominibus, vel etiam planetis coeli tribuunt, sive quibuscunque aliis.

Horum caecitas est palpabilis tenebra: inde enim magis sicut Pharao indurantur, maledicunt, peioresque fiunt, donec in blasphemias cadant. Alii subtiliores, qui sciunt quidem haec a Deo venire mala, sed ita securi sunt, quod non extremissime mali sunt, considerantes de iustitia sua, ut statim pronuncient aut saltem apud se sentiant, propter alios scilicet malos, propter se vero scilicet bonos nequaquam venire ista mala. Idcirco impossibile est, quod per plagas utrique curentur, illi quia non credunt a Deo venire, isti, quia non propter se venire, imo iniuriam sibi fieri credunt, si ab aliquo moneantur et magni meriti se esse, si quid plagarum patiantur, tanquam non pro merito culpae percutiantur, sed ad meritum gloriae. Horum est patientia superbissima praesumtio, cum et Daniel sanctissimus cum suis sociis atque plures sancti martyres omnes persecutiones suas deputabant peccatis suis. Ideo studuerunt semper in timore Dei meliores fieri, et flagellis sunt moniti humiliter sapientes, ubi illi securi prope gratias agunt, non quia flagellis moventur, hoc enim bonum est, sed quia martyrium sibi arrogant.

Alii tertii sunt, qui victo isto temporalium timore, qui tamen rari *sunt*, aequaliter se habent in

accessu vel recessu eorum, sive percutiantur sive non; sed habent timorem futurorum et aeternorum, hoc enim timore faciunt bona et dimittunt mala, quae alias neque facerent neque dimitterent. Tales fuerunt plurimi sanctorum, unde et David Ps. 6: Domine, ne in furore tuo arguas me neque in ira etc. Et multis aliis locis. Quia, inquit, nemo est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Utique infernum timuit, qui hoc dixit. Sed et hi sunt duplices, alii prorsus neque multum curant, an infernus sit, vixque illud aut etiam nequaquam credunt, quorum sunt hodie multi nimis, saltem corde. Alii itidem nimis iusti, qui sciunt infernum atque credunt, sed non sibi paratum timent, optima de se ipsis semper opinantes. De quibus Esaiae 28: Qui dicimus, percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos et cetera, quae ibi sequuntur. Ps. 9: Dixit in corde suo, non movebor, a generatione in generationem ero sine malo: et iterum: auferuntur iudicia tua a facie eius et secundum multitudinem irae suae non quaeret. Quum tamen iusti veri vehementer timeant infernum et mortem, quorum vox est: Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferorum, et iterum: Repleta est malis anima mea et vita mea inferno appropinquavit, et iterum: Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, hinc habemus commune dictum, qui descendunt in infernum viventes, non descendunt in eum morientes. Sic enim optat illis Ps. 9: Convertantur in infernum omnes gentes, quae obliviscuntur Deum, et alibi: descendant in infernum viventes. Unde verus iustus omnes confidit salvari et sese timet solummodo damnari, et haec est bona cogitatio, et multi eam habent et utilitatem eius ignorant. Sic enim ille coriarius Alexandrinus S. Antonio superior fuit, quia potuit dicere, se solum damnabilem, ceteros omnes salvabiles, quod nec ipse poterat usquam, tametsi de se affirmaret. Contra superbi omnes alios damnabiles, se vero so-

los salvabiles, non timent. Ideo dure contra eos Rom. 2 invehitur apostolus: Tu autem secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in diem irae etc. At dicis, iam saepius audivi a te dici, quod infernus non sit timendus, nec Deus propter infernum, et qui timet infernum, descendet in eum. Respondeo, dixi etiam Deum diligendum super omnia, castitatem, humilitatem, dilectionem proximi et cetera habenda, et sine his salvari neminem posse, et tamen neminem esse, qui haec habeat eo modo, quo ad salutem sufficiant *), sed exspectantur in futuro per Christum donanda. Ita sine timore inferni nullus est nec esse debet, nisi sit perfectissimus. Ideo iustorum timor semper est mixtus timore sancto et servili, sed proficiunt de servili semper magis magisque ad sanctum, donec nihil nisi Deum timeant. Nam et hoc loco istam distinctionem multi false intelligunt. Recte distinguitur timor servilis et filialis, sed false intelligitur, quod servilis non stet in homine cum caritate et gratia. Neque ideo quis damnabitur, quia infernum timet, nemo hoc doceat aut intelligat impudenter. Nam 1 Joh. 4 non ait, caritas foras mittit timorem, sed ait, perfecta caritas, et iterum, qui timet, non est perfectus in caritate, non ait, non est in caritate. Nam caritas incipiens et timor magnus servilis simul stat, decrescit autem timor, quantum accrescit caritas. Nam sicut est de omnibus virtutibus, quod simul sunt cum suo vitio contrario, donec illo expugnato solae regnent: ita timor Dei castus et non castus simul sunt in eodem, qui nondum est perfectus. Sic enim spes stat cum trepidatione, fides cum vacillatione, maxime in tentatione, patientia cum clamore, mititas cum ira, castitas cum libidine, humilitas cum sui placentia, obedientia cum murmure, liberalitas cum avaritia, sapientia cum stultitia, fortitudo cum timiditate etc. timor sanctus cum timore servili, gratiaque cum peccato. Nam et in mutationibus naturalibus ita

*) Clara veritatis *confessio.*

fit, ut calidum cum frigido, album cum nigro, divitiae cum paupertate, sanum cum aegro contendat; et solum eo alterum dicitur tale, quia imperfectum est ad aliud, ideo vocatur tale, quia fit tale aversum ab uno, conversum ad aliud. Sic iustus vocatur, non qui est, sed qui fit, secundum illud, iustus iustificetur adhuc. Nam omnis motus est partim in termino a quo, et partim ad terminum ad quem, sicut aeger sanandus est in aegritudine recedendo, sed in sanitate accedendo, sic iustus semper est in peccato pede sinistro et vetere homine, et in gratia pede dextro, i. e. novo homine: ita quoque et in timore inferni servili, et in timore Dei sancto simul. Quare, quando dicitur, quod qui timet infernum descendet in eum, intelligitur de eo, qui pure serviliter timet et nihil aliud. Talis autem est omnis, qui extra gratiam est, quae sola incipit timorem sanctum et servilem foras mittere. Sicut, qui non credit condemnatur, intelligitur de eo, qui prorsus non credit, alioquin et apostolis dicit Christus, non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est, et iterum, creditis in Deum, et in me credite, denique dixerunt, adauge nobis fidem, augmentum scilicet coeptae fidei petentes. Ego autem optimus theologus cum phoro, i. e. instantanea infusione gratiae et expulsione peccati, intellexi dicta, scilicet quia totum peccatum simul prorsus expelleretur, totaque simul gratia infunderetur, ut etiam nonnulli metaphysicantes potius quam theologizantes dicunt, gratiam secundum essentiam suam totam infundi, nihil de sensu disputo; verba sunt pessime sonantia. Sic enim sapere, hoc quid est aliud, quam desperationem incurrere, et infelicem conscientiam inquietare. Sic enim et ego prope de Deo et quicquid ipse est et habet desperavi.

Alii itaque et quarti sunt, qui nec ipsa aeterna timent prorsus vehementer in caritate confortati, quorum timor est sanctus, quo solum Deum timent. Atque, ut dixi, apostolorum status magis privilegio, quam usu iste est concessus paucissimis, potiusque nobis ostensus ad metam, quam apprehen-

dere nitamur, quam apprehensam assumamus. Imo nec apostoli, nec prophetae continuo statu in hoc fastigio fuerunt, cum Paulus dicat, foris pugnae, intus timores. Elias etiam timore temporali, scilicet mortis fugit iram Jesabel, dicens, quaerunt animam meam. Igitur, secundum differentes istos timoris gradus et dona, quae fiunt, differunt. Et acute notandum, quod non ait, qui timet Deum, facit magna, fortia, sapientia, sed bona. Siquidem etiam stulta, infirma et modica sunt bona, imo tanto meliora, quanto magis, imo quantum proficit timor ille, tanto minus magna fortiaque fiunt opera. Incipientibus enim opus est multo ieiunio, oratione, vigiliis, labore, quae perfectis essent summum detrimentum. Igitur primus gradus timet Deum propter aliud, secundus timet Deum mixtim propter Deum et propter aliud, tertius pure propter Deum timet Deum. Ideo primus dividit amorem et timorem, scilicet amans aliquid, quod non timet, et timens Deum, quem non amat. Tertius in eundem Deum colligit utrumque, scilicet amorem et timorem. Secundus et medius miscet utrumque utrique. Sic servilis timor semper dividit animam in duo, scilicet in id, quod amat, et in id, quod timet, filialis autem solum unum habet, quod timet et amat.

Sermo

contra vitium detractionis

Anno 1515 habitus *).

Disponet sermones suos in iudicio Ps. 111. Felix ille et vere beatus vir, in iudicio enim disponit, quando cogitat, quid, quomodo et cui, et

*) Hic sermo et ipse a Loeschero e codice MSo redditus legitur apud eundem I p. 259 sqq. 745. Walch X. p. 1122 sqq.

quando dicendum sit. Unde hic pessimum illud detractionis vitium discerpere et lacerare studeamus. Sciendum itaque, quod omnis detractor primo est homicida mystice, i. e. peior quam corporalis. Probatur quia homo vivit triplici vita, scilicet corporali, spirituali et opinione seu nomine, iuxta illud, nomina eorum vivent in perpetuum. Gladius autem detractatoris primo interficit (quae est lingua eius) vitam nominis, quam forte nunquam potest reddere. Secundum occidit animam eius, cui detrahit, quoniam talis ad iram et invidiam seu odium aut aliud peccatum mortale, seu vindictam per retaliationem detractionis provocatur, et si hoc non fit, tamen fieret, quantum in illo fuit, misit enim iam tum in eum; gratia Dei erit, si non occiderit. Videatur Gabriel' de Restitut. L. IV. distinct. 15. Tertio occidit auditorem suum, quia, quod audire detractionem sit peccatum mortale, probatur ex Psalmo: Domine, quis habitabit in tabernaculo? Respondetur, qui non accepit, i. e. consensit opprobrium adversus proximum suum, qui non egit dolum in lingua, Hebraice, qui non detulit in lingua sua. Ergo qui accipit, non habitabit in tabernaculo i. e. ecclesia, sicut Judaei fecerunt in Christo. Sed nullus non habitat in ecclesia nisi mortalis peccator, vae illis! Secundo sunt furiosi tyranni sine misericordia; ideoque nec ipsi animam consequentur. Quia praeceptum est, quod mortuos sepeliamus: illi autem si sint sepulti effodiunt et foetorem eorum dispergunt per nares terrae, i. e. hominum, sic Martha prohibuit triduanum suscitari, quod foeteret, etiam Christum. Illi autem non sic. Vae illis! Sic Moses praecepit, ignominiam et turpitudinem matris, sororis, fratris et ceterorum non reveles, i. e. peccatum et defectum. Sunt enim vergiftete Schlangen, Verräther, Verlosser, Mörder, Diebe, Ströter, Tyrannen, Teufel und alles Unglück, verzweifelt ungläubig, Neidhardt und Hasser. Et per hoc repercutiuntur illi, qui putant verum esse dicendum, et excusationem in peccatis sibi fingunt, quia scilicet tunc aliis cavetur, et ille

emendabitur. Fatue! Ille non est modus emendandi, non reveles dixit Moses. Ideo de illis dixit Dominus, venit hora, ut omnis, qui interficit vos, i. e. exstinguit in opinione, qua apud alios vivebatis, arbitretur se obsequium praestare Deo. Numquid Christus suis discipulis detraxit coram Anna, licet verum dixisset? Neque ergo veritas excusat neque falsitas, sed simpliciter peccat, qui detrahit. Tertio sunt stupratores, quia violant sinceras mentes per infusionem maledicti seminis de lingua. Sicut enim verbum Dei est semen sanctum, quod concipit anima sine violatione, imo ad conservationem virginitatis suae, sicut beata virgo filium Dei: ita verbum detractoris est semen diaboli spurium et adulterinum, corrumpens animam virginem in auditore. Sunt similes loquens et audiens viperis. Quae per os concipiunt et seminant. Unde patres horum pessimorum Christus et Johannes vocat progenies viperarum propter illud vitium. Quarto sunt verissimi diaboli. Sicut enim Lucifer non ex natura, sed officio et malitia est diabolus, ita et illi non natura sed malitia. Nam nihil aliud habet diabolus, quo tot animas perdat quam detractionem, qua detrahit Deo, iustitiae Christi in animo, cui suggerit, vocatur satan Hebraice, diabolus Graece, detractor Latine, et imitantur eum, qui sunt ex parte eius. Ita Apocalypseos 12. legitur, quod tertiam partem stellarum traxerit in terram. Quin hi sunt, qui pacem fugant, unde Ecclesiastici 28. per totum vehementissimo gurgite illos exsecratur. Lege dignissimam reprehensionem tanti mali. Quinto sunt infideles, quia fidem, desperati, quia spem, tumidi, quia caritatem, d e s e r u n t, quia non credunt fratrem esse, nec fratrem esse sperant, nec diligunt ut se ipsum. Idem sunt etiam venefici, ad Gal. 5.

Corollarium primum.

Vaniloquium est hominis et humana tentatio. Quia dicitur in Psalmo, veruntamen universa vanitas omnis homo vivens, et Ecclesiastae I: Vanitas

vanitatum, i. e. homo et omnia vanitas sunt propter ipsum, quia apostolus, vanitati i. e. homini subiecta est omnis creatura, et ideo ipsa quoque vana. Sed tamen homo vivens est vanitas universa, cum ipse sit causa, quare alia vana sint, quia ipse vanus vane iis utitur, vane intelligit, vane amat, tanquam sint res et ultimus finis, cum sint signa rerum et media tanquam via et specula. Detractio fit primo falsum imponendo, secundo verum occultum publice imponendo, tertio verum impositum negando. Videatur Gabriel.

Corollarium secundum.

Homo mortuus non est vanitas sed vivens. Vivens est, qui secundum carnem vivit in sensibus sicut pecus, quia homo mortuus secundum carnem iam plus quam homo, taliter vivens est filius Dei et sicut angelus. Sic illud intelligitur, non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens sed bene mortuus. Sic illud, non videbit me homo et vivet, quia mortuus carne crucifixa est ludicris, tales autem videbunt Deum. Morere ergo vivificatus spiritu et Deum videbis, et non eris vanitas et iustificaberis coram Deo.

Corollarium tertium.

Daemoniloquium et mutiloquium, i. e. tentatio et detractio diabolica. Igitur non apprehendit nos nisi tentatio humana, detractione enim tentat diabolus semper, quia est satan. Si ergo stultiloquium apprehendit*) apostolus, quid putas de daemoniloquio? Sexto sunt venefici, sicut ad Galatas V: Opera carnis manifesta sunt scilicet idolorum servitus, veneficia. Conficiunt enim venena detractionis et incantant et subvertunt aures audientium, ita ut is, cui detrahunt apud alios, nihil praevaleat, sicut aliquis maleficiatus impeditur a conservatione. Nam sicut veneficae possunt serenitatem

---

*) Legendum: reprehendit.

temporis mutare, quae significat gratiam et favorem: ita et illi inficiunt suis machinationibus et serenitatem vertunt in turbinem et triste tempus inter homines, ut, quem quis prius amplexus est favore et hilari benevolentia et serena facie, post veneficium nubilo et difficili rugatoque vultu renuit. Aliae veneficae impediunt a generationis actu et restringunt vim generativam. Sunt, qui alterius doctrinas viles faciunt et ad peius interpretantur, ut ab aliis horreantur et non admittantur. Item possunt oculos praestringere et sensus fascinare, ut appareat bestia, qui est homo, sic fecit Ziba ipsi David, ut David non potuerit agnoscere Mephiboseth, qualiter debuit 2. Reg. 16 et 19. Septimo sunt serpentes Eccl. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit, et ita sunt similes Judaeis, qui Christum occiderunt, quos Johannes Baptista vocat progenies viperarum, sicut et Christus. Est autem natura viperarum, quod femella amputat viro caput in coitu, quando inserit caput masculus in os femellae, et postea pulli erosis matris lateribus atque ita mortuae nascuntur seu excidunt. Sic detractor est vipera masculina, audiens est femina, qui miscent mutua venena contra fratrem, reliqua mysteria tu excute. Sunt etiam in hoc similes, imo haeredes proditoris Judae, qui occulte Christum prodidit et momordit; de quo, quae dicuntur horribilia Ps. 108., eadem de eius posteris dicuntur. Octavo sunt sui ipsius condemnatores et iudices iustissimi, eo ipso quo detrahunt. Nam quocunque malo sic proximum diffamant, eodem simili, peiori et spirituali se ipsos in conscientia et coram Deo diffamant, iuxta illud Rom. 2: In quocunque alium iudicas, te ipsum condemnas, et illud Matth. 6: Nolite iudicare et non iudicabimini. Cuius ratio est, quia, si falsum narrat, tunc convertitur super caput eius, e. g. si mendax de proximo dicat, ille est superbus, eo ipso se testatur superbum, quia despicit illum et dedignatur, si autem verum dicit, non tamen vere, sicut iustum iuste *faciendum* praecepit Moses, ite-

rum de eo iuste et vere dicetur. Ut si dicat: Ille est scortator, hoc, quia non vere dicit, licet sit verum, quia non loco, cui et quomodo debet, dicit, ideo dicitur spiritualiter scortator, mittens semen verum et bonum verborum, non in vas debitum, neque loco aut tempore debitis.

Disponat ergo quilibet sermones suos in tali iudicio, ut sciat, quod idem dicet Deus de eo, quod ipse dicet de alio, sive bonum sive malum, et vide, quid libentius de Deo audias ex illis, hoc dic etiam de proximo. Unde dicit Dominus, ex verbis tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis, et Jer. 23: Unus erit unicuique sermo suus; ad idem Psalmus, Gladius eorum intret in corda ipsorum, et iterum Ps. 49: Sedens (i. e. secure sine timore Dei, quasi solus iustus, sicut Annas et Caiphas contra Christum) adversus fratrem tuum loquebaris etc. Sedent enim detrectatores, quasi sibi nullorum peccatorum conscii, iam quasi sancti sint, stant autem iusti et sancti, tacent peccatores, sedent autem vere soli beati cum Christo, sicut eis pollicetur. Illi ergo talem gloriam sibi hic arrogant, sed quid sequitur? Hoc fecisti et tacui, existimasti inique, quod ero tui similis, arguam et statuam contra te, scilicet tua verba contra te ipsum, quae sedens adversus fratrem tuum loquebaris. Sic in Evangelio, quando Pharisaei de Christo dixerunt, non est hic homo a Deo, item, nos scimus, quod homo iste peccator est, item, Tu daemonium habes, et testimonium tuum non est verum, vocaris potator vini et publicanorum socius, quae omnia retorta in suos autores vera sunt.

Jam videamus aliquas poenas eius. Primo soror Mosis percussa est lepra, quia detraxit Mosi, sic percutientur et illi. Secundo lex civilis punit capite, ut patet de libello famoso. Tertio vide exempla varia in vitis Patrum et in speculo exemplorum Scripturae. Unde facetissime Aesopus linguas emit bis tanquam carnes pessimas et optimas omnium. Ideo tam vehementissime vituperatur in Scriptura, Ps. 31: Quid gloriaris in malitia, qui

potens es in iniquitate, tota die in iustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum. Detractores enim ita rem parant et ornant, ut plurimis verisimile sit, quod dicunt, e. g. sicut hic Doëg, contra quem iste Psalmus invehitur, ideo habuit novaculam acutam et penetrantissimam usque ad persuasionem detractoris linguam, quod viderat David apud sacerdotes et panes et gladium ei datum, sicut legitur 1. Reg. 21 et 22. c. Ex quibus arguebat, quod coniurarit Abimelech cum David contra Saulem. Unde dicitur hic, quod ideo fuit potens in iniquitate, i. e. praevaluit persuadere et non obtusam linguam habere debet, quasi tantummodo lambat *), sed acutissime excitavit Saulem. Simili modo Ziba, ut Mephiboseth vere et credibiliter odiosum faceret, dixit: Eum dixisse, hodie restituet domus Israel regnum patris mei mihi, quod fuit valde verisimile, quia fuit nepos Saulis, et praevaluit Ziba, et credidit David male. Ita faciunt maledicti illi furiosissimae Furiae omnibus, quibus detrahunt, ut Ps. 100: Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Sed heu nunc hoc vitium fuerit, et per omnes ecclesiae plateas et angulos horribiliter grassatur, et quanto altioris ordinis homines, tanto foedius et liberius sese incestant. Sed nolite sequi eos, sint praelati vestri officio, non exemplo. Sit autem exemplum prudentissimae feminae Monicae, de qua scribit filius eius B. Augustinus in Confess., quod admirandae gratiae fuit contra hoc malum inter homines nocentissimos. Sic monent Esaias c. 2. et Micha c. 4. Conflarunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces, illi autem contra linguas malas et nocentes in bonas et utiles.

Sed nunc eorum excusationes videamus. Primum quandó detrahunt dicunt, non hoc dico, quod ei detrahere velim, wills ihm nicht nachgesagt haben. Hi sunt rhetores belli, qui colore rhetorico id ne-

---

*) In margine MSi adscriptum est scalpat, quod aptius sonat.

gant se dicere, quod maxime dicunt, et negant, se eo modo dicere, quo tamen dicunt. Non eos hoc excusabit, quia disponet iustus sermones suos in iudicio. Videat, quo motivo? qua necessitate? cui? quomodo? et quis dicat? Si enim solum ex otio aut abundantia cordis hoc agit, caveat sibi ne iuxta proverbium: Den Teufel über seine Thüre mahlet, er kommt sonst wol, i. e. qui extenuat suum peccatum, et excusat se in peccatis, et fingit sibi daemonium meridianum et angelum lucis, sibi ipsi facit, cum, etiamsi omnem diligentiam adhiberet et ubique crucem pingeret et semper in timore Domini diceret et ageret, vix angelum satanae translatum effugeret. An putasne? etiam Dominus coram Hanna potuisset de discipulis suis ita dicere et melius quam tu, et tamen tacuit etiam quaesitus, tu autem effundis etiam non interrogatus. Alii sibi in hoc plaudunt, quod dicunt se veritatem dicere. Sed si omnis veritas dicenda est, cur non confessores confitentium peccata publicant? Et quare non et tua publice loqueris, cum et ipsa vera sint? Sicne diligis proximum sicut te ipsum? Eius defectus (quod veritas est) putas non oportere taceri, tuos autem putas oportere. Vide quam pulchre te ipsum condemnas, et probas te contra mandatum Domini agere. O! maledictae isti linguae non sufficit malum agere, nisi etiam laetentur. Nonne et verum fuit discipulos a Domino fugisse? et tamen ipse tacuit, larva ut quid tibi palpat, ad perditionem, datae ergo Ecclesiasticus *), audisti verbum adversus proximum tuum commoriatur in te, sciens, quoniam te non disrumpet, si vidisti, sensisti. Illi autem non sic, quia putabant se rumpi, si non evomerent. Deinde dicit Moses, quod iustum est, iustis exsequere, ita quod verum est vere dicas, quod sanctum est, sancte recites, alioquin magis peccas, dum veritatem false narras, sicut magis peccant, qui sanctum profane tractant, et iustitiam iniuste exercent, quia iustitia et iudicium praeparatio foederis tui,

---

*) Sensus hic deficit.

sic veritas et iudicium opera manuum eius, Psal. 110. Sic disponet sermones suos heros in iudicio, Jerem. 23: Qui habet sermonem meum, loquitur sermonem meum, i. e veritatem vere. In eo, quod dicit sermonem, excludit falsa, quae alias vocat dolos, opprobria etc. Quia talia non sunt digna vocari sermones, et tamen non sufficit, sermones dicere, nisi in iudicio dispositos, sic et omnia opera etc. Quo fit, ut omnis detractio, si falsum dicit, peccet mortaliter contra illud mandatum, non falsum testimonium dices, si dicit verum, quod dicit, ut detractio, i. e. non vere, peccat contra secundum mandatum: Non sumes nomen Dei tui, i. e. veritatem (hoc enim est nomen Christi, sicut dicit in Evangelio: Ego sum veritas) in vanum, igitur multo magis non sumes false.

Quid ergo est, veritatem vere dicere? Est eam eo loco, tempore, causa et modo, quo debet, et hoc est iudicium veritatis. Unde apostolus praecipit Timotheo, ut omnes sermones eius sale conditi sint. Non ergo sufficit veritatem dicere ad vitandum peccatum.

Tertii sunt, qui ideo se dicunt talia agere, ut publicentur et emendentur talia, quae vera sunt. Respondetur illis, iste non est modus emendandi, sed semper timendum illud, ne sine iudicio dicat. Nam, qui vult emendare fratris peccatum, habet regulam in Evangelio, quam si contemnit, aut prudentius se agere putet, quam Christus docuit, quantus quaeso iste fatuus est? Nihil proficiet, quia secundum sensum carnis suae agit et errat. Videat autem, an eo loco, ei personae, eo fine dicat, quae possint iudicare, se causa emendationis, et non potius novae delationis aut otiosae fabulationis gratia loqui. Tolle otium et fabulas, et paucissimos videbis, qui propter emendata*) peccata proximi recitent. Quarti sunt, qui daemonium suum et angelum sanatae sibi auro coronant et vestiunt et miro splen-

*) Forsan: *propter emendationem.*

dore illustrant, dicentes: Se dicere peccatum fratris, ut alius caveat eum. Hoc est eximiae speciem pietatis et inducere fucum caritatis, ideoque est aureum et solare meridianum daemonium, quod scilicet volunt avisare alium. Sed quid contra haec possum dicere? non possumus negare, quoniam hoc quandoque summe sit necessarium, quia sic Augustinus et Doctores contra haereticos, sic Christus contra Pharisaeos, sic apostolus contra pseudoapostolos. Magnum habent hic patrocinium, sed videant, ut sint tales, quales illi fuerunt, et ea mente fiat, eoque motivo, eis personis etc. i. e. iudicium non praetermittatur.

Sex sunt modi detractionis, de quibus videatur Bernhardus in Quadragesimali Serm. 23. et de restitutione honoris Serm. 36. Art. 3. ubi dicit: Quod detractor est daemoniacus ille, qui in monumentis morabatur, i. e. in gutturibus. Sepulcrum enim patens est guttur eorum, et eodem, mors est guttur eorum et sunt nihil nisi lingua et guttur, ille autem habuit legionem daemonum, tot habet in gutture daemones, quot detractiones. Unde Bernhardus: detractor et libens detractorum auditor uterque diabolum habet, ille in lingua, hic in aure. Omnis lingua detractoris est lingua diaboli, quia sicut Jobi 40. dicuntur, Umbilicus carnis et lumbi virorum ipsius esse propter concupiscentiam, ita quodlibet membrum iniqua faciens, sicut e contrario Christus habet membra suorum, ergo vere illius lingua est diaboli, huius auris est eiusdem. Nihil iustius a Deo, quam ut, qui propriam veritatem et stercus non volunt considerare ut purgentur, naribus et dentibus impingant in aliena. Nam omnis detractor nihil aliud agit, nisi quod dentibus molit oleta hominum et naribus suis in lutis eorum observat, sicut sus, unde stercus hominum maxime omnium foedat, sed super hoc diaboli (Teufelsdreck). Quid ergo iuvat te aliorum stercora circumferre et te ipsum iis foedare atque odorem pestiferum spargere. Bonus enim odor est bona fama, natus de unguento ab extra dato, malus odor est mala fama de stercore ab intra nato. Detractor au-

tem, etiamsi homo occulte ponat stercus suum non sinit occultum esse, hat Lust darinnen zu wälzen, ist auch nichts Besseres werth, iusto Dei iudicio.

Haec sunt inhonesta nostra, quae Apostolus I. Cor. 12. dicit nos abundantius honorare, quia libenter abscondimus peccata nostra. Detractor itaque circumfert, molitur et habitat instar cordis humani sicut upupa semper faciens, ut si quis undaret aliquem stercore se foedantem, Sehet wie hat sich der beschissen. Cui optime respondendum est: Das frissest du. Quia vere comedit talia. Unde hoc est, quod per Ezechielem cap. 4. dicitur: Quod panem faecibus humanis pollutum comedebant. Est igitur immunda et ingrata avis, quae foedat propria strata. Et quidem omnes sumus tales, sed foedior, qui aliena stercora colligit super stratum suum. Unde detractor est sterquilinium hominum et ea porta Jerusalem, quae vocatur sterquilinii, licet invitis hominibus. Unde et quilibet nostrum ventrem habet plenum stercoribus; quid nos extra vel externis maculamus, hoc enim corporaliter nullus est, qui non horreat facere, sed causa est, quia non est foris nostrum oletum, ideo interius consideremus nos. Ita venter noster est conscientia plena omni stercore et foetore peccatorum, quae, quia non consideramus, sed solam tecturam et pellem externae conversationis, qua ignoti sumus hominibus, quid intus simus, ideo maculamus nos oletis aliorum, ne non simus ubique immundi intus et extra. Hae enim sunt pelles terrae Midian, i. e. Aethiopum seu carnis peccatorum et tentoria Aethiopum Habac. 3. et tabernacula Kedar, non autem sic pelles Salomonis. Item detractores sunt proditores, Verräther, quos conturbabit tortor Dei, i. e. diabolus in aeternum, in quatuor plagas mundi, quae sunt dolor, tristitia, timor, fletus in inferno. Quare fit, ut omnis detractor, quoniam tam horribilem foetorem habet, et eructat de maledicto gutture et ore suo, quo incestatur aër undique; ergo fuge eum, homo, horresce illum foetorem, averte oculos ab ore eius, quod est ille olentissimus avernus. Est enim os detractoris

vorago inferni, quae spirat infernalem Memphitim ex profundo omnium faecum. Et finge tibi, tum conveniunt detractores, tunc convivium eorum est depromere aliquem et ponere ante se in medium, ut alternis rictibus lacerent eum, sicut canes cadaver equi in campo. Et vere canes similes illis, imo foetidiores, quia illi equum vorant, hi autem effosso cadavere hominis, quod omnium maxime putret et puteat, quod erosis carnibus, et tabifluis nervis et vermibus interreptantibus (etiam cogitatu horrificum est) invadunt alternis morsibus et in carnem et vermes furiosos et maledictos dentes impingunt. Phui, Phui, quam horrendum monstrum est detractor! Scitote autem, quoniam non est hoc in carne tam abominabile fieri coram oculis hominum, quam est detractorem fieri in conspectu Dei et spiritualiter, quia spiritualium et corporalium maxima est distantia. Verissime autem cadaver est homo peccator, qui habet peccatum, qui tunc sic laceratur, quando eius peccatum divulgatur, quod ipse sepelivit apud se in conscientia sua. Unde in lege Mosis strictissime prohibitum est: Ne quis tangeret morticinum. Hi autem etiam lingunt et devorant, sunt igitur animal illud, quod dicitur hyaena, de qua Plinius et alii dicunt, quod nocte simula vocem hominis, et eo evocato iugulat ipsum, et pascitur effossis sepulcris mortuorum cadaveribus. Ita et detractor facit, qui si non detraheret, moreretur, quia pastus eius est detractio, evocat etiam hominem et occidit, quando aliquem suo pestifero verbo ad se audiendum perducit. Nam auditor etiam detractoris maledictus est, qui dum facit simulando vocem humanam, i. e. veram et innocentem narrationem proponens, sicut supra dixi in excusationibus eorum. Sunt etiam detractores de numero illorum vagorum institorum, quos vulgo Kanab-sack vocant, potantes nihil aliud nisi venena suae pestiferae detractionis, et audent dicere, artem suam prodesse ad cautelam eorum, qui emunt, ut caveant ab illis. Quid igitur remedii est illis contra hoc vitium? Respondent, nullum scio, quia est

vehementissima pestis, quod nullus homo potest domare linguam, nisi qui oret Dei bonitatem, et illud observet, omni, qua potest, violentia et diligentia, sic, ut ita inter homines ambulet, quasi oculi, aures et sensus eius clausi sint, nec aliquid flat peccatum aut malum, quod se videre putet, solam conscientiam ante se statuat et caveat, ne incipiat sibi videri aut apparere, ullum esse peccatum praeterquam suum. Nisi enim quis se ad extremum reflexerit, vix ad medium perveniet. Si audierit, si viderit: Ecce hic fecit istud, mox dicat apud se ipsum, avertens: Ego iam habeo aliud videre, quam istud, et ita iuxta Psalmum, convertatur ad cor ab omnibus, et sic tandem loquetur Dominus pacem super eum. Figura horum fuit Joab praestantissimus militiae princeps, et qui multa praeclara et insignia fecerat, perdidit tamen laudem inter alios laudatos heroas 2. Reg. ult., ita ut mirum sit, aliis omnibus enarratis, hunc solum, qui plus ceteris egit, taceri. Sed sicut David de eo dixit, occidit, occidit occulte per insidias et dolum, duos meliores se. Sic detractor semper occidit audientem et illum, cui detrahit, meliores se, licet sit forte in aliis virtutibus praestans operarius. Talis est lingua detractoris, quae retro et occulte exseritur et verberat inopinate.

Fragmentum Sermonis,

in Die Divi Martini

habiti.*)

Welcher die Bibel lesen will, der muß eben darauf schauen, daß er nicht irre; denn die Schrift läßt sich wohl dehnen und leiten, aber keiner leite sie nach seinem

*) Sermo hic A. 1515 habitus est. Fragmentum ex dicto Codice Loescheri petitum egregii saporis sacri est. Loescher I. p. 269. Walch XII. p. 2198 sq.

Affekt, sondern er führe sie zu dem Brunnen, das ist, zu dem Kreuz Christi, so wird ers gewißlich treffen, und nicht fehlen. Unum praedica, sapientiam crucis. Das ist, daß dem Menschen nicht mit ist, noch vermag, und also lernet er an ihm selber verzagen, und in Christum hoffen. Auch, welche die Bibel lesen wollen, die müssen nicht ansehen Blut und Fleisch, und Braut und Bräutigam, wie in Canticis der Mann und Frau beschrieben wird, von der Scheitel bis auf die Fersen, sondern der heil. Geist, der führet den Menschen durch das Fleisch in den Geist. Gleichwie der Vogler, der das Aatz unter die Seile leget, also auch Christus, sobald er den Menschen bringt in das Fleisch, sobald rückt er ihn daraus in den Geist, ut in Canticis, quam speciosa ubera, sicut hinnuli etc. Sobald nun der Mensch gedenkt an die Brust und fleischliche Lust, rückt ihn Christus daraus, und führet ihn in den Geist, und spricht: Daß die Brust sei die heil. Geschrift, gleich als ein Wald ꝛc.

De Noë, quod habuit tres filios, Sem, Ham et Japhet. Cum itaque ex vino ebrius esset factusdetectusque dormiret, lusus a filio suo Cham, aliisque idem monstravit patris foeditatem, reliqui vero patrem texerunt. Velatio significat praedicationem nudi Christi et crucifixi, ut et sic homo disceret sperare (fidere) in desperatione et adversitatibus. Tegere*) vero Noë est suis cupiditatibus servire et carni.

Sermo

die resurrectionis Domini

habitus a. 1516**).

Tentabo Evangelistas omnes in unum odinem historiae componere, praecipue de die prima resurrectionis, ubi perplexe multum scribunt. Ubi, ut

---

*) Loesch.: Legendum retegere.

**) Hunc sermonem et reliquos, qui sequuntur usque ad sermonem Dominica XXI post Trinit. dictum, anno habi-

meo sensu loquar, primo oportet praesupponere, quod mulieres bis accesserint ad sepulcrum et bis etiam recesserint. In principio viderunt angelos tantum, et hoc indicaverunt discipulis; in secundo neminem viderunt, ubi non erant solae, sed Petrus et Johannes cum ipsis, et tunc Petrus et Johannes redierunt domum, mulieres autem post eos intervallo. Maria autem stabat et mansit apud sepulcrum, et tunc iterum vidit angelos et Christum. Ista probantur, principio, quia Matthaeus et Marcus narrant, quod viderunt et hoc currebant nunciare apostolis, sicut et fecerunt. Sed et addit mox Matthaeus et transit de primo recessu ad secundum, dicens: Et cum irent nunciare apostolis, occurrit illis Jesus, quod autem in primo recessu eis non apparuerit, manifeste Lucas dicit, quod mulieres terruerint discipulos dicendo, se angelorum visionem vidisse et quosdam abiisse, ergo nondum eis apparuerat, alioquin etiam dixissent. Secundo suppono, quod Matthaeus et Marcus loquentes de uno angelo supponunt ministerium, quia unus tantum locutus est ex eis, Lucas autem et Johannes de duobus, quia vere duo erant.

Igitur textum ordinemus, et concordemus. Marc.: Et cum transisset sabbathum, Maria Magdalena, et Maria altera, Maria Jacobi et Salome. Luc.: Et quaedam cum eis. Hoc verbum Lucae nostri textus non habent, habet autem Graecus et Laurentius Valla. Matth.: Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Hoc fecerunt in sero sabbathi, quoniam iam inceperat vespere sequentis diei, tunc emeunt aromata, ut cum crastina venirent et ungerent Jesum. Matth.: Vespere autem sabbathi, quae lucescit in prima sabbathi. Hoc est in matutino diei se-

---

tos esse 1516, inde intelligitur, quod una cum explicatione decem praeceptorum habebantur, haec autem explicatio, populo Vittembergensi praedicata, anno 1517 die s. Matthiae (24. Febr.) absoluta est. cf. Loescheri Reformationsacta I. p. 745. Legitur apud Loescher. I. p. 270 sqq. et Walch. XII., p. 2198 sqq.

quentis, cuius vesper tenebrescens est serotinum sabbathi, vesper autem lucescens est mane diei sequentis. Ideo distinguit lucescens i. e. matutinum a serotino praecedente ipso. Marc.: Valde mane. Luc.: Diluculo. Joh.: Cum adhuc tenebrae essent. Diluculum valde mane, vesper lucescens, cum adhuc tenebrae essent, omnia pro eodem hic sumuntur; sed quod Marcus ait, orto iam sole, refertur ad id, quod usque ad sepulcrum venerant, exierant autem ante ortum solis civitatem, sed cum ad sepulcrum venissent, ortus est sol, unde dicit: Venerunt ad monumentum orto iam sole. Joh. dicit de sola Maria, quia multa mysteria in isto articulo tangit, etiam ideo quia latius intendit de ea scribere, quam de aliis, ideo missis illis hanc assumit, et per gesta eius eam deducit. Matth.: Et ecce terrae motus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de coelo, et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum. Erat adspectus eius sicut fulgur et vestimenta eius sicut nox, prae timore autem eius exterriti sunt custodes et facti sunt velut mortui. Marc.: Veniunt ad monumentum orto iam sole. Haec facta sunt ante adventum mulierum, et hunc angelum forte et custodes viderunt, aut saltem fulgorem eius. Ubi sciendum, quod iste angelus non mansit sedens super lapidem, sed rursus disparuit, donec mulieres introierunt sepulcrum. Cum vidisset factum, et tunc illis perturbatis rursus apparuit, ut ex Luca colligitur: Et respicientes viderunt, erat quippe magnus valde. Luc.: Invenerunt lapidem revolutum. Joh.: Sublatum a monumento. Ecce hic habes, quod angelum non viderunt, nec invenerunt sedentem super lapidem. Abierat enim custodibus deterritis. Luc.: Et ingressae non invenerunt corpus Domini Jesu. Sic ergo sunt ingressae, primum nullis apparentibus, et forte dum sic invicem disputarent, quonam pervenisset. Et hinc respicientes et cum introeuntes anxiae essent, tunc primum apparuerunt eis angeli. Unde dicit textus, Luc.: Et factum est, dum mente consternatae essent de isto sc. corpore ablato, varia suspicantes et timen-

tes, ne Judaei rapuissent fortasse. Et introeuntes, dum sic consternatae rursus intrarent, sic ut solent dolentes, nam semel contemtae esse, inquisse*). Luc.: Ecce duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti. Steterunt post illos loquentes. Marc.: Viderunt iuvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, et obstupuerunt, hic est angelus, qui revolverat lapidem, et Marcus hunc nominat alium, tacens, quod unus tantummodo allocutus est eas, licet Lucas dicat, quod dixerint ad illas, unius locutio, propter similitudinem vocis de ambobus. Obstupuerunt et ut Lucas ait: Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas. Unus scilicet illorum secundum Matth. et Marcum. Unde et Matth. et Marc.: Respondens autem angelus dixit mulieribus. Quid respondit non interrogatus? Sed earum perturbationibus dixerunt, heu nobis, quis sustulit? Quo pervenit? His quaestionibus respondit, non solum autem his, sed et terroribus et stuporibus, quoniam timebant et stupebant visis angelis. Matth.: Nolite timere. Marc.: Expavescere. Matth.: Vos scio enim, quod Jesum. Marc.: Nazarenum. Matth.: Qui crucifixus est quaeritis. Hoc dicit, ut eas confortet, ad audiendum verbum de resurrectione Domini. Non est hic, surrexit enim, sicut dixit vobis. Haec respondit earum quaestionibus, et solvit, quasi diceret: Non est sublatus a Judaeis, sed surrexit. Et sequitur, Luc. imo ante hoc verbum dicit: Quid quaeritis viventem cum mortuis. Non est hic, sed surrexit, recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens quod oportet filium hominis tradi in manus peccatorum, et crucifigi et tertia die resurgere. Luc. exponit verbum illud, sicut dixit vobis, quod Matth. posuit: Venite et videte. Marc.: Ecce. Matth.: Locum ubi positus erat Dominus, et cito euntes dicite discipulis eius. Marc.: Et Petro. Matth.: Quod surrexit, et ecce praecedet vos in

*) Nihil hic sensus. Legendum forsan: iam erant ingressae.

Galilaeam, ibi enim videbitis. Marc.: Sicut dixit vobis. Matth.: Ecce praedixi vobis. Luc.: Et recordatae sunt verborum eius, et regressae. Matth.: Exierunt cito. Marc.: Iverunt de monumento, sed cum timore et gaudio magno. Marc.: Invaserat eas tremor et pavor, et nemini quicquam dixerunt, timebant enim. Et ex hoc patet, quod istos angelos in monumento viderunt, et quod mox cucurrerunt ad discipulos recta via, et hic est primus recessus earum.

Unde sequitur Matth.: Currentes nunciare discipulis ejus. Et sic non habuerunt apparitionem Domini, quod ex verbis Lucae sequentis et recitantis verba duorum discipulorum in Emmaus euntium, Et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum et non invento corpore eius venerunt dicentes, se angelorum visionem vidisse, qui dicunt eum vivere. Ecce hic patet, quod non nunciaverunt nisi angelorum verba et visiones, unde cito cucurrerunt, dicit Matthaeus, sed in secundo recessu inierunt passu modesto. Luc.: Nunciaverunt haec omnia illis et ceteris omnibus. Johannes similiter testatur, eas cucurrisse, et dicit, quod primo omnium nunciaverint Petro et Johanni, dicens: Cucurrit (scilicet Maria Magdalena, quam solam nominat, quia ceteris ferventior erat) et venit ad Simonem Petrum et alium discipulum, quem amavit Jesus, et dixit illis, tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum. Dubitant adhuc etiam auditis angelis, eum resurrexisse, vel forte, ut Luc. dicit, cum viderentur aliis loqui deliramenta, tunc et ipsae dixerunt: Si non surrexit, tum nescimus ubi posuerunt eum? Quod autem non solum Maria Magdalena nunciavit, testatur Lucas, dicens: Erat autem Maria Magdalena. Ecce hic Joh. dicit, quod Maria Magdalena sibi nunciavit ista: Et Maria Jacobi et ceterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad apostolos haec. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista et non crediderunt illis. Sic *patet* evidenter, quod plus quam semel accesserunt

ad sepulcrum, et quod in secundo reditu Dominus apparuit mulieribus. Discipuli autem sua incredulitate dissuaserunt mulieribus, et ibi iam omnes adhuc non aliter putant quam esse sublatum. Et ideo rei novitatem miratae jam redeunt cum Petro et Johanne rursum ad sepulcrum, ubi iam nullos angelos viderunt, sed solum remanens Maria Magdalena, cui et tunc primo apparuit, ut sequitur. Luc.: Petrus autem surgens cucurrit. Joh.: Et ille alius Discipulus, et venerunt ad monumentum, et ille alius cucurrit citius Petro et venit prius ad monumentum, et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum et introivit in monumentum et vidit linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positum, separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat prius ad monumentum et vidit et credidit, nondum enim sciebat scripturam quod oportet eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo discipuli iterum ad semet ipsos. Ex quo patet, quod et multi alii cum illis duobus venerant, et ut fit, quando compertum est, quod figurabatur*), dispersim redeunt, non uno cumulo, sicut accurrerunt, ita hic quidem discipuli insimul redierunt, mulieres autem tardius eos sunt insecutae, et hic eis apparuit Dominus. Unde et Lucas de multis aliis hoc affirmat, dicens: Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, sicut mulieres dixerunt, ipsi vero non cucurrerunt. Unde colligi potest, non esse verum, quod Dominus in isto reditu apparuerit Petro, quia dicitur hic, quod abierint ad semet ipsos discipuli, non invento eo. Utique ad Dominum venerat, nisi forte dicatur, Petrum solum rediisse, et ei Dominum apparuisse. Nam sicut Lucas dicit, solus ivit: Et abiit Petrus secum mirans quod factum fuerat. Sed huic obviare videtur, quod mulieribus in via apparuit, ut hoc discipulis indicarent. At potest solvi, dicendo,

*) Legendum *forsan: inquirebatur.*

quod Petro apparuit, ut una cum illis indicaret aliis, igitur illis recedentibus. Joh.: Maria autem stabat ad ostium foris plorans. Vide in textu, quod longum est. Iterum autem cum Maria; igitur aliae mulieres abeunt nunciare aliis, quia quilibet plenus tunc nunciis novis et loquuntur omnes omnibus. Matth.: Et cum iverit nunciare discipulis eius. Hoc verbum nostri codices non habent, sed graecus: Et ecce Jesus occurrit illis, dicens Avete. Illi autem accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt. Haec dixit potius ad signum probandae resurrectionis et memorandi verbi sui, quia utique prius eum viderunt, quam in Galilaea, sed hoc ipso die vult dicere, Jte et dicite eis, ut memores sint, quod dixi, me eos praecessurum in Galilaeam, vel ideo dicit, quia in Galilaea ab omnibus generaliter visus est, plus quam quingentis fratribus, ut ait apostolus. Et sic mulieres fecerunt, euntes et haec nunciantes, necdum crediderunt. Et supervenit ad id Maria Magdalena, cui, ut Johannes dicit, similiter praecedit: Vade autem ad fratres meos et dic eis, adscendo etc. Venit Maria Magdalena, annuncians discipulis, Quia vidi Dominum et haec dixit mihi. Quare autem passus est se tangi a mulieribus et non a Maria, alibi dixi mysterium latissimum. Ex his omnibus patet, quod, sicut Marcus dixit, prima apparitio facta est Mariae Magdalenae et mox illis mulieribus, imo forte Petro simul mulieribus et Mariae, quoniam non est hoc impossibile, si voluisset facere. Unde dixit Marcus: Surgens Jesus mane prima Sabbathi, apparuit primo Mariae Magdalenae, de qua eiecerat septem daemonia. Jlla autem vadens annunciavit iis, qui fuerant, lugentibus et flentibus, et illi audientes, quod viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. Sic habemus duas apparitiones, unam mane factam, unam Mariae Magdalenae, alteram aliis Mariis. Quod Petro etiam apparuerit, certum est, sed dubium, an in via, vel mane. Hoc dicit enim Lucas,

quod discipuli dixerunt redeuntibus ab Emmaus, Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni, et haec est tertia. Quartam ponunt et opinantur quidam esse factam eodem die Jacobo minori, quod credo verum esse, ex verbo apostoli 1. Cor. 15, ubi dicit, visus Cephae, deinde undecim, Jerusalem visus est Jacobo. Quinta ipsa est euntibus in Emmaus. Sexta autem sero discipulis omnibus in domo clausa. Has duas omitto hic componere, quia ex Luca et Johanne satis patet earum ordo et compositio facilis. Quid autem de beata Maria virgine? Dico quod fuit vel cum mulieribus illis, vel vidit eum cum aliis discipulis sero, quia cum illis sine dubio fuit. Nec necessum est dicere, quod primo ei apparuerit, quia multa quidam nimis carnaliter et secundum humanum sensum de matre eius sapiunt et aguntur affectu carnalis pietatis.*) Non sine mysterio tacentur illa in scriptura, et potius semper rigidus legitur erga eam fuisse, iterum enim aguntur custodes, venit in civitatem. Unde ex omnibus patet, quod Dominus multa dixit apostolis, quae tum non intellexerunt, unde et Lucas dicit, cum eis praedixisset, se oportere tradi, flagellari, crucifigi et tertia die resurgere, non intellexerunt, et erat absconditum hoc verbum ab eis, similiter cum dixerit, modicum et non videbitis me, omnes ignorabant. Praedixit autem eis ista, non ut intellexerunt, sed ut postea recordarentur, et tunc intelligerent, quid voluisset istis verbis: Dixi vobis, ut, cum factum fuerit, credatis, quasi diceret: Jam non intelligitis, quid? Cum autem factum fuerit, quod nunc dico, tunc intelligetis et credetis, quod ego sum Deus, quod et fecerunt. Ita et alibi dicit, multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, quoniam omnia eius verba, quae de passione eius sonabant, ipsi nullo modo capiebant, nisi post passionem: cuius ratio, quia cogitabant eum non moriturum.

---

*) Pulchra *confessio veritatis.*

Sermo

de Resurrectione Christi, anno 1516 habitus. *)

De comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo. Judic. 14. Hanc propositionem proposuit Samson filiis Philistim, et est mirabile et contradictione plenum. Est enim contra naturam, quod de comedente cibus exeat, sed potius si est comedens, intrat cibus in illum et devoratur a comedente; si enim exit cibus ab eo, non erit comedens, sed evomens vel emittens, si autem est comedens, non exibit cibus sed intrabit. Quae est ergo ista parabola? Comedit et cibus exit ab eo, quomodo saturabitur fames? Nos moreremur, si sic comedere deberemus. Similiter et quod sequitur, quomodo dulcedo de forti robusto et duro egreditur? Contra potius est, quod durum et asperum solet dulcedine leniri et mitigari, et est, ac si dicas, de calore venit frigus, de frigore autem calor, et omnino contrarium de contrario, cum nonnisi simile de suo simili veniat. Quis enim unquam ad nivem vel glaciem est calefactus? Quis ad ignem sedens sensit unquam frigus ab eo exire? Ita quis de petra soloque durissimo mel et oleum suxit? Quis eduxit de petra aquas? de mandibula asini quis aquas effudit? Sed haec in scripturis legimus, imo iam facilis solutio erit omnium. Leo iste fuit populus furens Iudaeorum contra Christum, hunc occidit et in ore eius favus mellis i. e. in scripturis legis, quas in ore ferunt, semper evangelium inventum est. Sic de comedente i. e. devoratore Christi et sanctorum eius, occiso per occisionem literae, exivit cibus, quod ipsi careant isto cibo, et tamen comederunt Christum. Sicut enim per os cibum nobis incorporamus, ita lex vel quaelibet scriptura

*) Hic sermo, quo Lutherus Simsonis aenigma interpretatur, redditur ex MSo. a Loeschero I p. 275 hqq. coll. p. 745. Apud Walch. legitur XII., 2210 sqq.

est os, foramen et porta, per quam populus assumitur et incorporatur. Sic Prov. 3. Fovea profunda os alienae, unde et Evangelium est os Christi, et duo eius labia vetus et novum Testamentum, dentes autem sunt correptiones in illis. Per Evangelium enim, quae est angusta porta et puteus aquarum viventium, nos intramus, quae sunt portae Zion, quarum seras concordavit Dominus, sic enim et civitas est scriptura sancta. Verum non fuisset favus mellis in ore eius inventus, nisi occisus fuisset leo i. e. populus Synagogae, in litera. Quamdiu enim lex vivebat, os leonis et leo ipse vivebat, sed impleta lege et litera occisa populus quoque iam non vivit, qui in illa vivebat. Eodem modo ex duro et forti dulcedo, quia lex dura et gravis, postquam occisa est, litera eius dulcis facta est. Quia lex ea appretiabat, quae facere non potuit homo, et ea dabat, quae amplius impediebat fieri, sc. bona temporalia, qnae avertunt cor a Deo. Sic venit mel de petra, oleum de saxo durissimo, aqua de petra, sic mandibula asini est eadem scriptura pigri populi et tardi corde; sed molarem eius dentem aperuit Deus et egrediuntur aquae. Sic mittit crystallum suum, sicut buccellas, et a facie tanti frigoris, huius oneris, huius duritiae quis sustinebit? sed mittet verbum suum et liquefaciet ea, flabit spiritus et fluent aquae, et hoc totum per mortem Christi. Sic omnia supradicta patent, quomodo de calore frigus et de frigore calor, et contrarium de contrario venit.

Nunc mysteria. Primum de Christo, qui egressus est de ore diaboli, qui eum devoravit, ipse enim est cibus noster, pascha nostrum, panis noster de coelo descendens. Comedit enim leo, et nisi eum comedisset, nobis non fuisset egressus cibus animae nostrae. Sed nec exisset, nisi occidisset leonem, occiso autem eo factus est in ore eius favus mellis, quia sic oportuit pati Christum, et exire de ore leonis per resurrectionem, ac sic in nomine eius praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum, hoc est Evangelinm. De ipso favus mellis,

ipse enim praedicatur nobis in remissionem peccatorum. Et equidem habemus beneficium inaestimabile, quod sicut Christus per passionem victo leone intravit in gloriam et de comedente factus est cibus egressus, ita et nobis omnis persecutio est utilis; et qui nos devorat et comedit, si vivimus per peccatum, egrediemur et nos victo leone et erimus favus mellis Deo et angelis, quia omnis persecutio operatur in nobis consolationem ut in Psalmo 4: In tribulatione dilatasti mihi, et Ps. 93: sed multitudinem dolorum meorum in corde meo etc. Ergo si delectat te favus mellis, non terreat os comedentis, tantum est, ut occidas leonem, quod facies per patientiam. Sic nascitur gaudium de tristitia, pax conscientiae de persecutione corporis, sicut enim merita crescunt in tribulatione, ita et gaudium. Moraliter autem de comedente exit cibus, quando homo conversus et mortuus peccato, qui comedebat stercora, iam ipse aliis ministrat cibum verbi Dei. Qui enim vivit in peccatis, comedit carnalia et bibit sicut aquam iniquitatem, sed occisus etiam alios pascit. Sic sanctus Paulus, sic sanctus Augustinus, sic Psa. 5: Docebo iniquos vias tuas, cum praemisit, redde laetitiam mihi salutaris tui. Alios erudiam et dabo favum mellis, sicut prius ego mortuus fuero peccatis, sic et vos, si surrexistis secundum hominem novum et mortui estis secundum veterem, exeat de vobis cibus et dulcedo, et amplius non comedatis putrida.

Sermo

in die Visitationis Mariae
anno 1516 habitus.*)

Exsurgens Maria abiit in montana. Doctrina. Quaevis acute vidit sancta Elisabeth virginem Mariam esse matrem Dei, acutius tamen virgo vidit,

---

*) Hic et qui sequuntur sermones minores nil nisi exordia fuerunt concionum, quibus Lutherus decem praecepta populo Wittembergensi diebus festis ac dominicis ex-

Deum in omnibus solum esse magnum. Primum, quia beatam virginem esse praegnantem nullo potuit indicio externe nosci, cum via fuerint octo dies annunciationis elapsi. Nam statim abiit in montana post angeli discessum, unde necdum venter intumuit, nec rumor huius exivit. Ideo mira luce perfusa est Elisabeth, quod vidit eam non solum esse praegnantem, sed et matrem Dei. Elisabeth interpretatur, quies Domini, imo requies Domini, quia spiritus Domini requiescit super quietum et humilem. Es. 66. Ideo et illuminat quietos, ac erudit incognita ceteris. Beata Virgo autem vidit Deum in omnibus, non haeret in ulla creatura, omnia in Deum refert. Siquidem non magnificat Dominum, nisi quia se et omnia nihil facit, hoc autem non facit, nisi cui solus Deus in visu est, cetera omnia velut evanuerunt. Non potest anima simul intenta esse magnificationi creaturae et creatoris, ideo de tantis bonis, de tantis laudibus non est elevata, quia maiorem Dominum in his agnovit, et cum gaudio agnovit ac gratias egit, dilexit ac benedixit. Sed nota, quod dixit, magnificat anima, non corpus aut lingua, exaltavit Spiritus, non caro aut mundus. Siquidem multi magnificant Deum lingua, tantum magnis titulis Deum praedicando, sed cor eorum interim alia magnificat, quia reputat alia, et in illa confidit plus quam in Deum. Ideo purissima cultrix Dei est beata Virgo, quae solum Deum super omnia magnificat, sine idolo ipsa est. Alii vero semi- Judaei et semi- cultores, qui cum Samaritanis simul colunt Deos suos cum Domino, de quibus nuper et rudioribus dixi.

Sermo Domin. VIII. post Trinit. a. 1516. *)

Attendite a falsis prophetis. Quaestio hic digna movetur: cum falsi prophetae multis et mag-

---

plicavit ac praedicavit. Loescherus reddidit eos ex MSo suo I, p. 277 sqq. coll. p. 745, Walchius german. XII, p. 2214 sqq.

*) Loescher. I p. 278 sq. Walch. XII. p. 2217 sqq.

nis operibus appareant, quomodo ex operibus possint cognosci, ut haeretici et schismatici observantes sunt magnorum operum et valde bonorum. Respondetur, quod duplicia sunt opera bona, apparenter, ut sunt multum ieiunare, orare, studere, praedicare, vigilare, habitum humilem portare, haec non sunt nisi lana ovium, sub quibus lupi rapaces teguntur: sic et vulgo dicitur, non est talis ovis, qualem geris lanam, quod utique de operibus intelligunt simulatis et bonis. Ideoque quaestio difficilis, quid sub lana, i. e. operibus cognosci debeat, cum vestimenta ovium sint verba, opera et gestus eorum. Alia sunt opera, imo, inquam, interioris et absconditi hominis, qui, etiamsi ista facit, parvi pendit ea, sed cupit mitis, humilis, caritativus, patiens, fidelis, pacificus esse, ut Galat. 5., ubi illos fructus exponit per ordinem clare. Nam illi superbi, etsi opera sua faciant, quibus sibi lanam vestimenti efficiunt, sunt tamen in operibus veris nihil, quae sunt patientia, quae perfectum opus habet, et caritas, quae aliorum curam gerit, sui negligens. Illi autem in omnibus sua quaerunt et ad alia vocarunt, quae ipsi elegerunt, difficiles, imo rebelles, sed et contermini, impatientes, detrahere ac iudicare, alios negligere, contentiosi, opiniosae cervicis, indomiti sensus, ideo non pacifici, brevianimes, immansueti, duri, crudi. Haec vitia et opera interioris hominis ovina veste contegunt, i. e. actionibus, oblationibus, gestu, ceremoniis corporalibus, ita ut et sibi et aliis simplicibus boni et iusti videantur. Et hi sunt illi, qui subtiliter agunt contra praeceptum primum. Sed differendi sunt in locum suum. Nunc prosequimur, quae incepimus, nam singularem illi tractatum quaerunt, cum non sit hodie pestis maior per ecclesiam ista peste hominum, qui dicunt, bonum oportet facere, nescire volentes, quid sit bonum vel malum. Sunt enim inimici crucis, i. e. bonorum Dei.

Sermo Dom. X post Trin. a. 1516.*)

Duo homines ascenderunt in templum. Luc. 8. Vere ista sunt perdita, periculosa illa tempora, in quibus impletur illud apostoli: Erunt homines speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Nam adeo diabolus undique invaluit, ut ex praedictis audivimus et infra audiemus, ut non tantum posuerit laqueos, quibus homines capiat in malis, sed et in bonis operibus. Adeo subtiliter perplexa sunt ipsa universa et perversa omnia, et tamen stultissimi nos securi vivimus in bona opera, statim omnia salva arbitrantes, si modo bona sint, nihil timentes subtus horribile periculum. Haec ideo iam commemoro, quia iam accedo ad subtiliores homines et invisibiles trangressores praecepti Dei, et in abscondito peccantes et sagittantes eos, qui sunt recti corde. Sed prius residuum de Sanctis expediamus. Aliud igitur portentum praecipue nostris seculis invaluit, ut sanctos quidam colant, et patronos habeant superbiae et avaritiae, qui gravius peccant, quam illi praedicti.

Alter sermo Dominica X post Trinitatis anno 1516

contra opinionem sanctitatis et meriti. *)

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in coelo et in terra, et iterum:

---

*) Hoc sermone Lutherus de periculoso aetatis suae rerum ecclesiasticarum statu agit. Loescher I p. 279. Walch. XII, 2218.

*) Hunc sermonem Lutheri Loescher e codice MSo reddidit in libro: Reformationsacta I, p. 745 sqq. Walchius german. X, 1546 sqq. Memoratu dignum videtur, quod Walchius in Praef. in T. X p. 81 de hoc sermone indicat. *„Da diesem Sermon*, inquit ille, wie den fol-

Matth. XXV. Deinde prosequitur scilicet lingua, quae est peior gladius quam ferri gladius, et hoc apud Deum et homines et se ipsum. Tertio facit mendacium et iniuriam, quia roganti ac confitenti ac per hoc iam iusto haec imponit, et facit mendaciter et inique contra eum, quod si etiam talis esset, qualem ipse accusat. Adhuc incurrit in Christum, qui omnes peccatores suscepit in se et ideo Christus iudicatur, accusatur, mordetur, quandocunque peccator quicunque accusatur etc. Qui autem Christum iudicat, suum iudicem iudicat, qui autem iudicem iudicat, Deum violenter negat: vide, quo perveniat furens et insipiens superbia. Contra humilis ille proximum suum iustificat, se vero solum accusat, quia dicit, mihi peccatori, non autem nobis peccatoribus. Putas, quod tam fuit invidus, ut nollet etiam aliis peccatoribus Deum esse propitium? (tunc utique non fuisset iustificatus, sed peius damnatus) sed neminem vidit esse peccatorem praeter se solum, omnes erant iusti, quos sibi comparabat. Sic omnia munda mundis, immundis autem nihil est mundum. Patet nunc, quod iste Pharisaeus primum praeceptum non fecit, sed habuit Deum alienum (si non habuisset Deum alienum, utique iustus fuisset), idolum scilicet iustitiae suae in corde statutum. Sed nunc etiam quilibet sibi ipsi prospiciat, qui odit hunc Pharisaeum atque despicit, ne talis ipse fiat supra Pharisaeum, qualis hic factus est supra publicanum. Credo quod pauci timeant, se Pharisaeo similes esse, quem odiunt; sed ego scio, quod plures ei similes sint: quis enim tam superbus est, qui se omni superbia vacuum glorietur et huius publicani summam sibi arroget humilitatem? Quare potius agnoscamus nos esse tales, qualis erat Pharisaeus, et gemamus atque odiamus nos ipsos magis quam illum, et non praesumamus securi, quod publicano similes simus, quia beatus ille nimis fuit et filius gratiae, nos autem filii naturae, ideo et irae.

Sermo Dominica undecima post Trinit. a. 1516

de vitiis capitalibus in merito operum et opinione sanctitatis se efferentibus.*)

Bene omnia fecit etc. Sicut sermone primo dictum, quod non affirmative praecepit Deus, unum Deum habere, sed negative, ne alienum habeamus Deum, quod praeter rationem ibidem dictum, quod ad praeceptum negativum ex illis cadit super iam factum et excellens peccatum: ideo eo ipso, quo prohibet Deos alienos habere, iudicat Deos alienos haberi, quod prohibet, quia displicet. Alia etiam ratio est, ne, si affirmative praeciperet, videretur relinquere liberum etiam plures haberi: quia, qui praecipit unum Deum haberi potest audiri, etiam siplures quam illum unum habeat obediens, ut qui praecipit unum denarium dari, non intelligitur prohibere plures dari, et hoc apud rudiores intelligentias. Igitur ut ibi dixi, et sermone praecedenti, quod Deus fide, spe et caritate colitur, et qui audit eius vocem est sine alieno Deo, quicquid autem aliud praeter Deum diligitur, speratur, possidetur, est idolum. Ideo tot idola, quot dilecta. A qua fide et cultu Dei primum revocat superstitio multiplex, secundo temporalia bona, tertio, de qua nunc agitur, iustitia et sapientia. Hic autem notandum, quod non prohibentur iustitiae fieri et bona opera, sed debent sine superstitione fieri, id est humiliter, non in ea confidendo, aut ea amando, reputando prae amore Dei et spei in illum. Nam sic est iudicium Dei, quod bona opera per superbiam fiunt statim nihil, et mala opera per humilitatem fiunt statim nihil. Superbia autem est, in ea confidere, gaudere de illis, placere sibi in illis. Ratio est, quia spes non potest aliud funda-

*) Legitur apud Loescher I. p. 748 sqq., qui hunc sermonem esse dicit specimen incomparabile sanctae et intemeratae mentis Lutheri in medio papatu, et veritatis *oppressae testimonium. Walch. X. p.* 1552 sqq.

mentum habere, quam Dei bonitatem. Et nullam creaturam, quomodo circa Magistrum *) definitio spei vel est falsa vel false intelligitur. Primo, quia spes est virtus infusa, (ut omnes dicunt) ante omne meritum, et ex ipsa potius proveniunt merita, quia sic implere est placere Deo sine fide, et ita sine spe et caritate, qui autem non placent prius, merita facere non possunt. Secundo, quia Magister sic est salvandus, dicit, quod provenit ex meritis; sed fertur in Deum, ille autem spem in merita collocat ut in fundamentum fiduciae, potius quam ex meritis producat. Ego autem sic eum excuso, quod loquatur de spe praemii instantis et per multas tentationes probata et certificata, licet ipse tentatus, haec merita non aestimet, Deo tamen aestimante per haec est confortata. Nam de spe remissionis peccatorum et initiali atque infusa non est nec potest intelligi, cum oporteat accedentes credere, quod Deus sit et remunerator sit. Igitur, ut breviter expediamus, primum quidem oportet incipientes multis bonis operibus exercere et a malis abstinere secundum sensibilem hominem, ut sunt ieiunare, vigilare, orare, laborare, misereri, servire, obsequi etc. Omni, inquam, studio haec sunt incipienda et exercenda. Verum ubi iam homo in illis fuerit, hic summo studio vigilandum est, hic indiget magis doctore quam in principio sui, ne, sicut vitavit sensibilia mala, peius cadat in spiritualia, ut qui carnis luxuriam domuit, cadat in luxuriam spiritus et septem peccata mortalia spiritualia. Hic enim declinatur ad dextram, hic separant sese verae et falsae virtutes, hic digrediuntur ab invicem veri et falsi cultores Dei, hucusque enim eadem via processerunt, et comites fuerunt usque ad illud bivium, sicut publicanus et Pharisaeus eisdem gradibus in templum adscenderunt. Nam superbi Sancti, qui sic ponunt limitem lucis suae et excaecantur, noscunt aliam viam et alia opera, ideo in illis perpetuo manendum putant nec quaerunt proficere.

*) P. Lombardum, magistrum Sententiarum.

Et hi tunc faciunt ex operibus iustitiae sibi petram, imo arenam fundamenti et peius in illis, quam prius in carne et sensibilibus peccatis fuerunt polluti. Curramus ergo per omnia septem peccata mortalia.

Superbia primo multiplex illos vexat. Principio quia prae illis operibus bonis impossibile est, eos videre se habere peccata, quia non agnoscunt nisi sensibilia et contraria suis operibus. Hoc primum signum, scilicet caecitas mentis in isto Pharisaeo abunde patet, qui prorsus nullum in se vidit peccatum, excaecatus propriis operibus, quae sola reputavit bona. Secundum signum est luxuria, id est, delectari, placere, titillari in eisdem operibus, quod est contra doctrinam Christi: Beati qui lugent; lugent autem, qui lucem mentis habentes vident etiam occulta peccata sua. Ps. XVIII: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Unde Ezech. XVI: Et habes fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, i. e. iactantia, quod es iustus. Tertium est temeraria securitas, contra timorem Dei. Beatus enim qui timet Dominum. Et illi securi sunt, ideo timendum Deum non rogant, sed solum laudant, cum tamen laus sine timore et exsultatio sine tremore sit nulla, et hoc est praecipuum superbiae signum. Quartum est temerarium iudicium, quod omnia extra eos sint immunda, ut hic Pharisaeus nihil vidit mundum in omnibus hominibus. Et fere difficile est, his, qui in isto statu sunt, cum viderint alios sibi dissimiles non iudicare, non contemnere, non viles habere. Ex horum numero sunt etiam hi, qui praedicant et arguunt, et nil nisi increpationes obblaterant. Quintum cum viderint aliquem peccare, non primo gemunt pro eo, sed statim offensi cogitant, quibus verbis illum invadant, exclament, detrahant, iudicent. Secundum B. Gregorium vera iustitia compassionem, falsa autem indignationem habet, ideo impiorum hominum est, trabem in oculis suis habere neglectam, et festucam videre in alieno. Sic hic Pharisaeus. Stultissimi homines quasi verbum eorum sufficiat proximo, ita abstinent animo com-

patiendi. Sextum, quod fiducia salutis in talibus stet, patet, quod, cum cadunt in peccatum sensibile, protinus desperant, aut si impediuntur aliquando et ad alia vocantur, gravissima tristitia et inquietudine cruciantur, quod scilicet non fecerint quod voluerunt, et periit eorum fiducia. Ut Sapientiae 24.*): septies in die cadit iustus, et toties resurgit, impii vero corruunt in malum. Sunt multae mulierculae, cum suis votis, ieiuniis, castigationibus, quas nec pro necessitate corporis, aut viri, aut filiorum mutare volunt, ut quae etiam portant camisias subtus. Septimum quod nunquam habent quietam conscientiam aut laetitiam spiritus, qui in opera sua confidunt, et quia nunquam eo modo, quo volunt, proficiunt, nunquam securi sunt aut raro. Angustam illi faciunt conscientiam, et sunt, de quibus Dominus dicit: Contendite intrare per angustam portam, quia multi quaerunt intrare et non poterunt. Angusta enim porta non est, quam isti faciunt, sed est resignatio sui, ut infra dicetur.

Non sunt in mundo homines faciliores ad invidiam et iram, quam isti, praecipue quando in suis operibus despiciuntur, impediuntur, verum hoc zelum Dei opinantur et secura confidentia sibi in iuriam fieri credunt, se excusant, defendunt semper cum iustificatione sui et ad accusationem aliorum, quia semper praesumunt sese rectos, bonos, iustos. Ideo pro iustitia credunt sese indignari, irasci, invidere. De quo tota Scriptuna abundans est, Ps. VIII: Ut destruas inimicum et ultorem; Deut. XXXII: Provocarunt me in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis, et ego provocabo eos in non populo et in gente stulta irritabo illos. Hoc super his allegat apostolus, qui non coluerunt idola, sed iustitias suas.

Tanto taedio (acedia) sunt ad alia affecti, ut montes citius transferas, quam illos ad alia facienda, quae non placent, promoveas. Avaritia spirituali vel ambitione occulta laudis et opinionis homi-

*) Rectius Proverb. XXIV, 16.

num ita laborant, ut solum ea apprehendant, quae habent apud homines opinionem, ceterum despecta, in oculis hominum ut faciant, nullis tonitruis possis efficere ut faciant. Veri itaque cultores cum haec fecerint aut faciunt, nihil aestimant, sed id quaerunt, quomodo Deo placeant, semper parati, alia quaecunque facere: faciunt enim illa sicut servi, qui dicunt, interim aliud nihil habeo, ergo hoc faciam. Hi in nullo opere haerent, sicut ad omnia. Et notetur simile: Deus enim quando convertit hominem, accipit sicut inducentes musicus instituendum discipulum: primum, ut habilitetur, proponit rudimentum leve, traditurus alia, ubi prius didicerit assuescere organo digitis, et si ille, ubi reperit se fides posse movere, mox quasi omnia sciat recedit, ac iactat omnibus suam musicam et artem ludendi in citharis, nec monitus vult audire ut plura discat. Aut si quis equum formosum, sed indomitum primum obtectis oculis ducat ex stabulo, postea ubi eum voluerit etiam aliis officiis uti, non potest equum nisi in et ex stabulo ducere, nonne perdidit impensam? Das sind stätige Pferde. It. Si quis servum conducat et primo tentans eum proponit ei curiam purgare, postmodum alia iubens, illi clamet, hoc iussisti, hoc est utile: quid dicat dominus aliud quam: hat mich Unglück mit dem stätigen Kopf betroffen, vel statim eiiciat. Talia sunt omnia opera sensualis hominis, quibus Deus hominem solum parat et assuefacit: tunc illi haec sola esse putantes, nulla vi possunt ad alia flecti ac dirigi. E. gr. sumus enim pueri abcedarii in isto statu, sed heu quam plurimi hodie in illis indurantur, quia haec putant esse seria et magna ea aestimant. Quae ergo sunt alia Deo placita? Respondetur, non habent nomen, sed oportet ex bestiis exemplum sumere. Ecce equum, qui didicit exitum vel introitum domus domini sui, super stratam et mundam viam hanc disciplinam exeundi et intrandi nihili habet; sed qui id solum assuetus facit, et vadit quocunque eum Dominus suus equitat, nunquam scit quo vadat, plus agitur quam agit, semper it et quomodocunque per

aquam, per lutum, per imbrem, per nivem, ventum etc. Tales sunt homines Dei, qui spiritu Dei aguntur, qui, ubi didicerint exterioris hominis disciplinas, non eas multum curant, nisi ut praeludium. Sed postea offerunt se paratos ad quaecunque opera vocantur, ubi per multas passiones, humiliationes ducuntur a Deo, nescientes quo ducantur*), committunt se Deo soli, nulli operi postmodum inhaerentes, et eorum opera non habent nomen in principio sed in fine, qui non agunt, sed aguntur. Non enim sua prudentia agunt aut proponunt, imo a proposito saepe revocantur et faciunt alia quam proposuerunt, et in hoc sunt contenti ac Deo quieti, ubi illi sensuales iustitiarii desperarent, quia non sciunt quid fecerint. Volunt enim a se opus nominari et definiri antequam faciant, igitur nomen operis sequitur operator in hoc statu, in illo autem praecedit.

Sermo in vincula S. Petri **) a. 1516.

Quaecunque ligaveritis super terram etc. Nisi Christus omnem potestatem suam dedisset homini, nulla fuisset ecclesia perfecta, quia nullus ordo, cum quilibet vellet dicere se ex spiritu s. tactum. Sic fecerunt haeretici, ac sic quilibet proprium principium erigeret, essentque tot ecclesiae quot capita. Itaque nullam potestatem vult exercere nisi per hominem et homini traditam, ut omnes in unum congregaret. Hanc autem potestatem adeo confirmavit, ut contra eam suscitaret omnem potestatem mundi et inferni, sicut dicit, portae inferni non praevalebunt adversus eam, quasi diceret, pugnabunt et excitabuntur, sed non praevalebunt, ut

---

*) Haec et sequentia vaticinatus quasi est Lutherus de magno reformationis opere, quod nec nomen initio habuit, nec definitum antea est.

**) *Loescher* I, 280. Walch. XII., 2220 sq.

notum fiat, hanc potestatem a Deo esse et non ex hominibus. Qui se ergo ab hac unitate et ordine potestatis subtrahunt, nihil est, quod sibi plaudunt de magnis illuminationibus et miris operibus, ut nostri Piccardi et alii Schismatici atque Capitosi. Melior est enim obedientia quam victimae stultorum, qui nesciunt, quid mali faciunt.

Sermo in die S. Laurentii a. 1516

de fiducia in Deum secundum Praeceptum I.*)

Nisi granum cadens in terram mortuum fuerit etc.**) Apostolus duo opera praedicatorum distinguit, Rom. XII., scilicet docere et exhortari, plantare et rigare, fundamentum iacere et superaedificare. Illud est incognita manifestare, hoc cognita exacuere et urgere. Quod***) et nos necesse est servare circa unumquodque praeceptum singillatim ****); docui itaque in praecedentibus, quomodo praeceptum istud †) intelligatur, et quis secundum vel contra illud operetur. Nunc exhortari et monere debeo, ne contra ipsum amplius agamus. Non habebis Deos alienos††), dicit ac mandat Do-

---

*) In Loescheri libro „vollständige Reformationsacta" I. p. 280 et I. p. 752 sqq. duo inveniuntur sermones die s. Laurentii anno 1516 habiti; quum vero prior ille, paginae 280 impressus, nil fere nisi initium alterius, quem hic tradidimus, usque ad vocabula: „Non habebis Deos alienos," contineat, nos illum typis repetendum non curavimus. Germ. apud Walch. X, 244 sqq.

**) In Serm. priore apud Loesch. I. p. 280 additum: Joh. 12.

***) In Sermone priore ap. Loescherum legitur: Quae.

****) Ibidem: singulatim.

†) Ibidem: primum intelligitur et — operatur.

††) Sermo prior apud Loescherum I. p. 280 his vocabulis, quibus ibi *additum est: etc.*, finitur.

minus, i. e. ut pura fide, firma spe, vera caritate in unum solum Deum confidamus, innitamur, et ita eundem aestimemus, ut sine ipso nullum bonum nos habere credamus ac sentiamus, solus ipse nostrum bonum sit, quod sapimus, quod quaerimus, quod exspectamus, quod desideramus. Sic Ps. XLIII: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te, Deus, sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? O dignam animam! o felicem! o puram! quae ita Deum solum sapit ac quaerit, ut, quicquid videt, audit, sentit, mortem et luctum ac miseriam putet, ut dicat, fuerunt mihi lacrimae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus. Quae omnia haec dicit tempore prosperitatis, mira gratia est illustrata: nam adversitatis tempore sic dicere non est magnum.

Conclusio. Tanto itaque remotiorem sese agnoscat ab impletione huius, quanto remotiorem se abesse sentit ab affectu huiusmodi. Mira videntur aliqua, et quanto magis, tanto remotiora. Ratio est conclusiva, cui Deus aliquid est, impossibile est, ut cetera ei aliquid sint, cui autem cetera aliquid sunt, impossibile, ut Deus ei aliquid sit. Sic sponsa in cantico, cum eum in omnibus quaesisset, nec in custodibus civitatis eum invenit, id est in sanctis praelatis, donec et illos pertransiret: adeo nihil potest cum Deo diligi, ut etiam doctos et sanctos homines oporteat nescire et fastidire. Cui autem Deus nihil est, etiam folium arboris aliquid est. Sic S. Laurentio nec ignis aliquid fuit nec mundus totus. Quod si sic gemunt, qui solum Deum quaerunt, quibus lacrimis sunt deplorandi hi, quales nos sumus, qui nec sentiunt hunc affectum, nec intelligunt suam miseriam, et ignorant, quod suum bonum extra Deum constituant, et in aliud confidunt quam in Deum, euntes ac ridentes in his, in quibus illi plorant. Mira dissimilitudo! quae illos gaudio afficiunt, hos dolore, fatigant cum sint eadem. Sed prosequamur exhortationem et pro rudibus regulam assignemus, et motiva tradamus ad confidendum in

Deo. Primo ut in Deum disceremus confidere satis esse debuit beneficium naturae nobis datae. Si enim credimus, quod ipse fecit nos, ipse tuetur nos, ipse educat nos, ipse omnia creata facit nobis servire, si haec, inquam, credimus vera esse, sicut sunt, quomodo potest fieri, ut non afficiamur bono corde in illum? Quomodo irascetur aut impatiens erit, si quicquam horum auferat. Quinque sensus dedit tibi, quod si unum amittas? numquid alio fugies quam ad Deum, et non potius dices, ipse fecit me, ipsius sum ego et omnia quae habeo. Hac cogitatione armatus fuit Job, quando omnibus amissis dixit: Dominus dedit, Dominus abstulit. Quod et Jesaias Cap. XLVI. requirit a nobis dicens, usque ad senectam ego ipse et usque ad canos portabo, ego feci, ego feram, ego portabo et salvabo. Cui assimilastis et adaequastis me? quasi diceret: Idolum me putatis, quod non in me confiditis? At nunc Christiani qui orant, credo in Deum omnipotentem, et quod Deus omnia possit, omnia fecerit, omnia faciat, si obtingat, ut amittant rem, formam, membrum, honorem, dicunt, diabolus hoc fecit, et deficiunt ad auxilium hominum vel daemonum currentes. Quod si interroges, an credant Deum omnipotentem? respondent, omnino credimus: Quare ergo non haec ab illo suscipitis? Quid allegabunt, nisi quod false dicunt se credere, aut agnoscunt suam insipientiam.

Igitur primum sit motivum considerare, quod omnia bona nostra ex Deo habemus, ac ideo habemus, ut per ea in illum speremus et confidamus, ut, qui tanta dedit, etiam maiora donare velit et possit. Verum nobiscum ludit sicut pater cum infantulo suo, cui aufert munusculum, ut affectum filii probet et ad sese sollicitet. Dedit enim, ut fiduciam sui faceret, aufert ut probet eandem. Quod si filiolus libenter reddit, maiorem affectum patris ea fiducia sibi parat. Si autem nolit, sed plorat, indignationem potius ac virgam una cum damno incurret. Ita Deus facit cum omnibus bonis visibilibus, etiam vita ipsa, quam dedit nobis. Omnia dedit,

ut fidere nos in se doceret: omnia rursum aufert, saltem per mortem, ut fiduciam istam probet. Hic cadunt infideles huius praecepti transgressores. Hoc est quod apostolus dicit 1. Cor. I.: quia non cognovit in Dei sapientia mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Ita similiter, quia per beneficia et bona non cognovit mundus Deum in bonitate eius, placuit per mala et bonorum ablationem salvos facere credentes. Discat itaque rudis quisque, imo etiam doctus quisque inspicere, quanta sibi dedit Deus multis aliis negata, et se ipsum secum interroget, quare dedit? Et inveniet abunde motiva ad fiduciam in Deum. Quod praecipue in diebus festis fieri debet: ideo enim habentur festa, ut ecce sensus sanos, corpus aptum, parentes fideles, substantiam sufficientem, pacem temporalem, fruges terrae, obsequia animalium, favorem hominum, coelum et aërem, diem et noctem, et omnia quae vides, et erubesce, quod pro illis eum nunquam laudasti, dilexisti, agnovisti, sed omnia haec supra illum amasti, nec in comparatione eius despexisti. Hoc est, in spiritu festivare, orare, laudare, quod non fit ore aut sono instrumenti, nec signis corporis, sed intimo affectu. Secundo beneficia spiritualia, quae tantum ad primum gradum seu punctum conerri possunt, quamquam non sunt visibilia, ut sunt scientiae, artes, ingenium, cum tam multi sint fatui, rudes, indocti, inutiles. Deinde virtutes et bonam famam ad vitam ac statum securum pro beatitudine, idem honorem, favorem, dignitatem, praelaturam. Tertio multiplex scriptura, in qua comprehenduntur alia duo, scilicet meritum et praemium. Prima est Jer. 12.: Maledictus vir, qui non confidit in Domino et ponit carnem brachium suum, et recedit a Deo cor eius, et benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius. Secunda eiusdem cap. 39. ad Abimelech Aethiopem: quia habuisti fiduciam in me, eruam te, et erit tibi anima in salutem. Tertia in Psalmo, Qui confidit in *Domino, sicut mons* Sion non removebitur in aeternum,

qui habitat in Jerusalem. Sic Saul Rex describitur mortuus in peccatis suis, quia non speravit in Domino Deo Israel. Contra Susanna habuit fiduciam in Domino, ideo non est derelicta. Ita per totum Psalmum 90: Quoniam in me speravit, liberabo eum, et Ps. 105: Domus Israel speravit in Domino, adiutor eorum et protector est, idem Ps. 36: Spera in eo et ipse faciet. Eccles. 2: Respicite, filiae, nationes hominum, et scitote, quod nullus speravit in Domino et confusus est, quis enim permansit in mandatis eius et derelictus est aut quis invocavit eum, et despexit illum? Quarto beneficia longanimitatis et patientiae et benignitatis Rom. 2. Videat quilibet retrorsum vitam suam peractam, quot periculis, casibus, mortibus sit praeservatus, in quibus vidit alios perire, qui peccatis magnis sustinuit sese ostendi, semper reddens bonum pro malo, et mirabitur admirabilem misericordiam. Quinto quod cum tertio coincidit, divitiae, honores, voluptates fecerunt, quomodo derelinquunt eos, qui ambulaverunt in eis. Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Et sane, si haec tantum audita haberemus et non experientia propria videremus, non esset tam gravis insipientia nostra. Haec sunt meditanda praesertim diebus festis. Sexto super omnia, quod dedit nobis Christum in exemplum et auctorem spei, ut apostolus dicit. Nam ideo, ut nos ad se traheret, ut in ipsum fideremus, voluit, proprium filium exemplum nobis ad eam rem fieri, imo et in auxilium, quia sacramenta Christi auxilium gratiae, vita eius consilium exempli nobis praestant. Sic enim duplo nobis prosunt omnia, quae in Christo sunt, scilicet, sacramentaliter et exemplariter, secundum B. Augustinum lib. 3 de Trin.: Sacramentum est, quod ligatus est pro nobis, ut nos ligati solveremur in aeternum: exemplum est, ut et nos vel ab hominibus vel a nobis ipsis ligemur vinculis poenitentiae super veterem hominem. Justificat sacramento hominem interiorem et facit novum, indicat exemplo hominem exteriorem, demonstrat veterem. Ita et sacramentum *est, quod nudus* voluit sine omni fidu-

cia fieri extreme relictus, in Deum solummodo confidens, ut nos non essemus sine fiducia et spe derelicti, sed et exemplo eius libenter in exteriore homine relinqui velimus sine spe et fiducia, ut in solum Deum speraremus. Per spem abstulit spem et pro fiducia aliam fiduciam restituit, dedit nobis spem in Deum et abstulit spem in creaturam. Haec itaque beneficia cum gratitudine affectuosa sunt rememoranda, et sic omnia bona voluntarie ei referenda et offerenda, cum promtitudine confidendi in Deum in aeternum.

Sermo in Festo Ascensionis Mariae*).

Beatam me dicent omnes generationes etc. Omnes generationes dicuntur successiones seculorum, i. e. filii filiorum, non autem, ut somniant quidam logici per suppositionem incompletam, pro aliquibus ex omnibus generationibus, qui generationes pro populis hoc loco accipiunt, cum tamen ubique non pro collectione, sed successione hominum accipiatur in scripturis, sicut et Judaeos Christus vocat generationem pravam et adulteram. Deinde vide, quid nos inclyta virgo docet exemplo suo, quam verae humilitatis et purae gratitudinis nobis exhibet fidelem doctrinam. Ex hoc, ait, i. e. ab hoc tempore beatam me dicent omnes generationes. Quare? numquid, quia ipsa multa fecit, quod fuit virgo humilis regiae stirpis, quod concepit filium Dei, fide et assensu? Nihil sui iactat meriti, nullum opus, tantum se passivam confitetur matrem et receptricem bonorum operum, non operatricem. Quia, inquit, fecit mihi magna, imo beata, quia ille fecit, quae facta sunt, quae donata sunt mihi. Ac per hoc non tam ipsa, quam Deus in illa benedicitur, quia beatificantes eam, non eam attendunt, sed dona ei data mirantur. Sic, sic

*) Hunc sermonem, quo Lutherus a. 1516 secundum Luc. 1, 48 Mariam nobis proponit tanquam animi vere humilis atque grati exemplum, Loescher ex codice MSo reddidit I, 280 sqq., Germanice Walch. XII, 2222 sqq.

sunt nude in Deum refundenda, quia solus ipse potens, et solius nomen eius sanctum est. Hic absolutam laudem Dei brevissime expressit, qui potens est, i. e. qui solus facit et efficit omnia. Unde Graece: Fecit mihi magna ille potens, quasi diceret, ille operator omnium. Est enim hoc loco potens Graece, Hebraice Gibbor, quod non uno facile exprimas nomine, significat eum, qui agit et potens est in agendo et faciendo, quod teutonice ego dicerem thätig. Vult ergo idem dicere quod apostolus, qui operatur omnia in omnibus, sine quo nihil operatur, ergo ille solus potens. Alludit autem virgo gloriosa ad illud verbum, fecit mihi, quasi diceret: Fecit ille qui facit, seu ille faciens, i. e. qui omnia facit, fecit etiam mihi haec, ut subintelligas, vere ipse est, qui facit omnia solus, quomodo tunc et Matth. 4. accedens tentator, i. e. ille qui tentat, Graeci cedendo aptius, ut apostolus 1 Thess. 3, ne forte tentaverit vos qui tentat i. e. tentator. Cum ergo solius Dei sint omnia, solus omnia faciat, solus potens, i. e. operosus effector, certe solus et nomen habet. Nam nomen debetur ei, qui fecit, non ei, qui non fecit, alioqui est nomen vanum. Ideo dicitur et sanctum nomen eius, polluitur nomen eius, si homo sibi quippiam arrogat de opere Dei. Solus potest, solus et nominetur. Apud seculares laudatur, qui multa fecit, sed apud Deum, qui multa acceperit, imo si apud homines ille laudatur, qui facit, non autem ille, cui factum est, quae est insipientia nostra tam infelix, ut apud Deum velimus laudari, ubi nihil fecimus, sed tantum ipso faciente accepimus. Igitur Deo laus et gloria, nobis autem beatitudo, nobis benedicitur, nobis congratulatur, congaudetur, applauditur in eo, quod Dominus fecit nobiscum misericordiam suam, sicut de sancta Elisabeth dicitur, et audierunt vicini et cognati eius, et congratulabantur ei, quia fecit Dominus misericordiam suam cum illa. Ita et haec beata virgo vult dicere, cum audierint, quod Dominus fecit mihi magna, non me laudabunt, sed beatam me dicent et congratulabun-

tur. O pulchra virgo! Quam omnia in Deum refert! Quam furens est hodie perversaque consuetudo homines laudare sine reverentia, sine memoria, sine relatione Dei! Quam indigne privatur Deus gloria sua!

Jam denique nostrum est attendere, quod, cum beata virgo prophetarit de se ipsa beatificanda ab omnibus generationibus, decet omnem Christianum hominem pio affectu in hanc virginem ei plaudere, congaudere, favere, congratulari, quia ipsa est, per quam nobis fructus vitae communicatus est, ipsa libentissime nobis servit ac servivit. Gaudet et exsultat merito, quia non tantum bona, sed et magna ei fecit Dominus.

Sic oportet et nos ei gaudere et nobis, quia magna fecit ei Dominus, sed quod ei fecit, nobis fecit. Nihil enim habet, quod non et nos habeamus, portat filium Dei in gremio, ac nos in cordis utero, ipsa mater corporalis est, ipse dixit, qui fecit voluntatem patris mei, ipse mater mea, frater et soror est. Lactatus est virginis uberibus, nos eundem puris et castis meditationibus, amplectitur eum castis ulnis suis, nos eum ferventibus affectionibus amoris, desideriis, ipse dilectus inter ubera et illius et nostra commoratur. O felix mater! O dignissima virgo, memento nostri *), fac ut et nobis haec magna faciat Dominus. Verum id ultimum nota, quod beata virgo pluraliter dixit magna, non tantum volens intelligi hoc unum magnum, quod carne concepit filium Dei, sed prorsus omnia, quae multa sunt in nos dona Dei. Quae necesse est, ut omnia magnificemus, sicut vere magna sunt. Nam quantum est, quod ex nihilo te creat, ex nihilo tibi omnia providet, quod tam miras vires corporis et animae tibi dedit et conservat! Magnum putas, si tibi homo mille det florenos, et parum est, quod tibi dat oculum in facie, imo pomum, digitum, cum omnibus divitiis mundi id non possis efficere, ut unam particulam membri tibi conferas

*) *Exigua* ex Papismo macula, cum cetera sint egregia.

vel sanes, sed nec unum granum pro victu tuo efficias. Sed caeci sumus, obliti bonorum et Dei benefactores. Redeamus ad materiam nostram, ad secundum Praeceptum.

Sermo in festo Bartholomaei Apostoli *).

Historiam de sancto Bartholomaeo contemnimus maxime, cum Eusebius·Eccles. Hist. l. 3. c. 25 omnium apostolorum actus velut a pravitate haeretica convictos propellendos dicat. Adeo nihil puduit bonos, ut sic dicam, collectores, ea corradere undecunque, quae nova et mira essent. Nam illud quam pulchrum est, quod solus Bartholomaeus filius regis inter apostolos dicitur et propter eum contentio inter apostolos orta est de majoritate. Deinde quod incesserit in regiis sandaliis, et etiam in purpura petierit incedere, credo, quod sic fit factus rex seu filius regis, sicut et ille astronomus Ptolomaeus, nempe ex ignorantia, puta quod Ptolomaeus nomen regium est in Aegypto. Imo suspicata fuit imperita temeritas, ut rex fuerit Aegypti, et Bar Hebraice filium sonat, Bartholomaeus filius Ptolomaei, i. e. secundum illorum sapientiam filius regis, cum Ptolomaeus sit rex. Cetera praetereo absurdissima, quae dissentiunt totaliter a fide et veritate, ne iterum dicar et videar scandalizare infirmos **). Prudenter agitur, quod non temere, contra consulta dici auditur, sed si ita etiam actum fuisset, cum ea inciperent, quae nunc consueta sunt, maxime, cum ex nulla veterum patrum auto-

*) Hunc sermonem anno 1516 habitum et ex cod. MSo, quem saepe diximus, redditum Loescherus specimen esse dicit invectivarum Lutheri in veteres papistarum fabulas. Loescher. I, 282 sqq. Walch. XII, 2226 sqq.

**) Vel hinc apparet, Lutheri zelum pro veritate iam ante *theses de indulgentiis quosdam* offendisse.

ritate roborentur. Judicium suum portabit, quicunque ille fuerit, qui istis suis figmentis sanctos apostolos et ecclesiam Dei illuserit. Primum figmentum igitur est, quod filius regis fuerit; et dicis, me nulla autoritate probare. Respondeo, nec tu, et multo minus. Secundo, quod in purpura et sandaliis incesserit, et gemmis in pallio tam diversus a ceteris apostolis, ubi Wammes? es verwundert mich, daß er nicht auch schreibt, daß er gele Hosen hat getragen und Sporen. Mirum quod non equestrem etiam fecerit, in quo singularitas haereticorum, schismaticorum, superborum mirum habet patrocinium. Tertium, quod iuvenis describitur et tamen habens barbam canis respersam, sed forte in fine praedicationis. Quartum quod diabolus eum confitetur sicut puer et describit etiam nares, capillos, oculos, quasi hoc ad rem pertineat. Quintum quod vestes et sandalia non veterascunt in 25 annis, forte, quod non potuit alias vestes habere, et 25 annis non etiam plus vel minus praedicaverit, quamquam hoc non magni referat. Sextum quod angeli eum non sinant esurire aut fatigari, hoc est idem, quod evangelium praedicans contra evangelium vivat, ubi apostolus in ieiunio esurire se confitetur, deinde ad Hebr. 12. aucti per fidem etc. Cerinthus aliquis haec somniavit. Septimum autem omnium suavissimum, quod centies in die et centies in nocte genua flexit. Rogo quid boni orabat in octali unius horae, si saltim discriminavit orationes, sine dubio ad unius dimidiam partem vacabat, ut iterum genu flecteret. Deinde quando praedicavit, quando ambulabat, quando bibebat, edebat? Nihil aliud egit, quam quod genua flectebat? Simile et de sancta Martha somniatur. Porro in nocte quaeso quando dormiebat? Tam insulsa praedicantur et creduntur merito ab his, qui nolunt meliora. Illud denique omitto, quod nepos regis Syriae dicatur et purpuratus regiae dignitatis memor, cum etiam ex sacro evangelio constet nec ullum regem Syriae tunc fuisse, sed praesides romanos, nisi regulos intelligas, ut Herodes et Arabiae Areta rex et Abgarus.

Irrisores populi fuerunt isti, sicut et modo faciunt plurimi simplicibus.

Apostolorum vita fuit communis et plena paupertate, pressura, fame, cruce et ceteris, et qui aliter sapit, contra evangelium sapit, nam inde fides crevit, quod tam abiecti et novissimi omnium, ut apostolus ait, tanta miracula fecerunt, tanta mysteria docuerunt, in se ipsis et pro se ipsis nihil sublime, nihil arrogans habuerunt, sed omnia simplicia et humilia. Haec igitur cum praedicantur, intelliguntur, quia creduntur, sed, cum praedicatur Christus, scandalizantur, quia non creditur. Dico ego Adam esse formam Christi, ex autoritate apostoli, ut, sicut ille nos sine opere nostro fecit peccatores, sic Christus nos sine opere iustos *). Et dicunt, ergo faciamus malum; cur non etiam tibi dicunt, ergo si iam sumus sine opere nostro peccatores, sufficiat, faciamus nunc bonum. Cur hic addunt malum malo, et non etiam ibi bonum bono? Igitur sicut Adam in suis semper auget malum, ita Christus in suis semper bonum. Igitur hi sunt duo homines in nobis, Adam et Christus, ille vetus, hic novus. Ideo non sequitur, iustitiam habemus nihil operando iuste, ergo iniuste operemur, imo tunc maxime peccent, quia peccatum habent, ut sicut portavimus imaginem terrenae, portabimus vel portemus et imaginem coelestis. Haec scandalizant infirmos, inquiunt, imo pessimum, quod alia nullos scandalizant, cum Christum crucifixum praedicare hoc sit scandalum Judaeis et stultitiam gentibus praedicare. Gentes, qui sibi in hoc sapientes videntur, quod verba sint sic instruenda, sic docendum, ut nullus offendatur, sed velut arte verborum et simulata veritate homines capiantur. Quare? quia sese putant esse, qui doceant et non Deum, ergo nolunt offendere, ne non doceant. Judaei sunt, qui suis operibus quaerunt iustificari, ideo nolunt audire, quod Christus eorum iustitia sit, et

*) Aurea confessio verae doctrinae de iustificatione.

scandalizantur in eo, dicentes, faciamus mala etc. Sed sine illos; caeci sunt.

Sermo

Dominica XIV. post Trinitatis *).

Nemo potest duobus dominis servire, Matth. 6. Hic movet Augustinus quaestionem, utrum non sit laborandum pro victu et necessariis, tam pro se, quam pro aliis? Et multis inductus autoritatibus respondet, quod utique, alioqui omnes prophetae et patriarchae et sancti et apostoli, Paulus manibus laborarunt, male fecissent, quin et dominus sibi contradiceret qui praecepit Adae, in sudore vultus sui comedere panem, et in praecepto tertio dixit, sex dies operaberis, in sexto quiesces. Est ergo sensus totius evangelii in isto verbo, nemo potest duobus dominis servire, i. e. qui vult Deo servire, non potest ei servire, si propter Mammonem aut aliud quodcunque ei servit. Tunc enim non Deo, sed magis Mammoni servit, quia utitur Deo et fruitur Mammone. Et ideo hoc evangelium contra Judaeos et omnes iustitiarios incedit, illi enim propter promissionem terrae, isti propter gloriam aut salutem Deo serviunt, qui autem servit Mammoni propter Deum, non Mammoni, sed Deo servit, quia omnia in Deum refert, sicut ille Deum in omnia refert, de tali fruitione et usu nota sunt omnia exempla, 1. Dist. 1. Sent.

Altera quaestio est, quomodo verum est, quod haec omnia adiiciantur quaerentibus primo regnum Dei et iustitiam eius, cum multi Sancti Hebr. 2. in fame, siti, nuditate egerint, agunt et adhuc agent: Vid. B. Augustinus hoc loco, quia curando, non

---

*) Hic sermo de Matth. 6, 24 sqq. habitus et ex MSo illo redditus utiliter praecipit de avaritiae et diffidentiae *stultitia.* Loescher. I p. 285 sqq. Walch. XII, p. 2230 sqq.

deserendo facit hoc Deus. Id autem inde videamus, quanta stultitia sit avaritia, sive sit spiritualis, sive corporalis. Primum volucres coeli, quibus pluris sumus, per hoc efficiuntur minoris, dum illae non sicut nos diffidunt de Deo. Secundo et lilia agri nos excellunt eadem causa. Tertio ipsum corpus nostrum, quod non possumus sic aut sic *). Et si quis digne penset, quia posset credere, quod homo nullam habet in Deo fiduciam, qui velit nolit, corpus suum tamen non potest habere in arbitrio suo, nec vitam nec sensum. Deinde frumenta plus quam majori parte temporis cogitur Deo committere, et reliquo sibi modico committit et Deo non credit. Confidit Deo, quando sunt foris in agro, et timet, quando habet in horreo et domo. Ita et in latiore spatio bona sua credit Deo, sed cum in domum, locum scilicet angustiorem, perduxerit, non credit, quasi Deus, qui tempore tam longo et loco tam spatioso non solum conservavit, sed etiam dedit, non possit etiam data et conservata custodire. Ita et cum foris sunt, multiplicibus periculis, aëris, fulminis, hominum, bestiarum exposita sunt, et committitur hoc Deo, intus autem cum fuerint, surgit diffidentia, non quod servanda non sint, sed quod avara sollicitudo et amor possessae rei adeo de Deo desperat et in possessa confidit, cum tamen in possidenda non potuit ita sperare et confidere. Sed hoc magis urget et probat stultissimam diffidentiam, quod majori tempore vitae sine nostri cura vivimus et pluribus locis. Nonne ecce medium vitae dormimus? Et quis sui curam agit dormiens? Deinde etiam in pluribus locis et operibus, personis, rebus, periculis, sine cura nostri sumus. Quis enim ubique et in omnibus operibus apud omnes in omnibus periculis cogitat, quomodo se conservet? cum nec pericula scire liceat per numerum, et mille undique ingruant casus. Praetereo infantiae tempus, pueritiae et aliarum occasionum, in quibus vel leves sumus vel

*) *Hic lacuna observatur, in* codice MSto.

occupati. Ecce omnia, si quis recte penset, inveniet, quod respectu totius vitae suae vix decimam vel vigesimam partem sui curam gessit, et tamen, qui maiorem partem coactus est omittere ista, minore parte sollicitudinis suae toto tempore pugnat contra Deum, qui eum maiore, imo omni parte servat. Ita si quaerat, in quot periculis se servavit, inveniet, quod nec in millies millesima parte sui custos fuit. Ita si loca prope et personas numeret, non aliter inveniet, et tamen contra Deum non erubescit profundissima insipientia et ingratitudo nostra, et quasi Deus non sit aut nos nesciat, ita paramus divitias ac substantias, modico illo tempore nos fame et egestate perituros timemus, qui tam magno tempore etiam palpamus nos non periisse. Minor esset haec quidem culpa, si haec audiremus tantum, nunc vero ita esse quilibet experitur in se ipso. Recte ergo dicit Dominus, vos modicae fidei, et vicissim scriptura dicit, Dominus sollicitus est mei, et Petrus, iactantes omnem sollicitudinem vestram in ipsum, quoniam ipsi est cura de nobis, et Ps. 36: Iacta super Dominum cogitatum tuum et ipse te enutriet.

Sed latius istam crassitudinem cordis vide. Quis est hominum, qui velit pro totius mundi pretio toto vitae suae tempore curam agere? Non credo quod ullus sit tam insipiens. Quod declaremus: Ecce fit dives negotiator in periculis latronum, quantis timoribus et angustiis agitur, dum curam sui agit? Quanto quaeso accepto pretio velit sic omni vita vivere? Nonne esset mors melior, quam talis vita? At nunc vide, quam cito transit periculum, cessat angustiari et fit laetus ac iucundus. Quare, an quia periculum transit? Ita; sed modicum et velut nullum, et cessavit sui curam agere, ac Deus rursum curat eum, ideo fit quietus, cura enim nostra crux est, cura Dei pax et quies. Nam licet illud cesset periculum, tamen innumerabilia, velut reptilia, quorum non est numerus, permanent magna et parva, in quibus tamen quare non timet? Quia non curam sui agit, sed Deus. Ecce ergo in

modico angustiatur, qui in infinitis iucundatur. Nonnisi, quia ibi sui, hic Deus eius procurator est. Idcirco nullus est, qui velit unum diem curam sui habere, si recte confideret, nam et Deus, ut probet, quam fideliter nostri curam agat in infinitis periculis, quae non videmus, sinit aliquid, unum et modicum sensibiliter venire, quasi diceret: Ecce, ego te in infinitis curo, videamus, cura saltem in hoc uno te ipsum, videamus, quid possit sollicitudo tua, ut Deut. 22: Ubi sunt Dii, quibus immolabant, surgant et opitulenter vobis, et in necessitate vos protegant, videte ergo, quia ego sum solus. Cum ergo non possit in hoc uno se curare, deberet sursum cor levare et dicere: Heu Domine Deus, cura tu, sollicitus sis tu pro me; quid facerem, si omnia pericula mea viderem? cum mihi hoc unum tantam angustiam faciat. Hoc est, quod Dominus in isto evangelio clamat, quia in modico non credimus, neque committimus nos ei, cui tamen etiam ignorantes commendati sumus, in plurimis, et pro istis plurimis non tantum non agimus gratias, neque modicum illud ei commendamus, sed super illud eum offendimus. Nam aeque securi essemus in istis apparentibus periculis et curis, sicut sumus in ignoratis, si ei fideliter confideremus. Erudit ergo nos modicis periculis ac provocat, ut in eum confidamus, nos autem ad nostram curam fugimus, ex nobis salutem quaerimus, ac sic idolum efficimur et magnis crucibus vexamur, quia nihil invenimus et tamen, postquam transiit periculum, quasi nostra cura superatum sit, gestimus, nec gratias agimus nec erudimur. Deberet enim homo intra se ire et cogitare sicut dixi: Eia Deus, quantam angustiam facit mihi ista sollicitudo mea! quid facerent alia, quae non video? Imo quid facerent, si perpetuo in ista cura esse deberent? Non video quam vere te appellemus patrem nostrum, quia nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum elaboraverunt, qui aedificant eam, nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Haec sunt igitur tenebrae Aegypti palpabiles, quod

haec videntes non videmus; quae enim crassior ignorantia, quam in multis scire se Deo commissum, et in paucis desperare? Ideo dicit, primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, hoc est, ut in regno eius sitis et iusti coram illo, iustitia enim Dei est, quando iusti sumus ex Deo iustificante et imputante, quae iustitia non consistit in operibus, *) sed in fide, spe, caritate. Non enim qui iusta operatur iustus est, ut Aristoteles ait; neque operando iusta et dicimur iusti, sed credendo et sperando in Deum. Hoc est quod passim dicimus resignationem et abnegationem sui. Nemo enim sese resignat nisi qui credit et sperat ac totus in Deum confidit. Proinde definitio Magistri sententiarum de spe, quod sit certa exspectatio beatitudinis ex meritis proveniens, non solum obscura est, sed et a plurimis falsissime intellecta. Numquid enim hoc sentiendum est, quod ideo sperandum sit, quia merita habentur? Siccine intelligitur spes in Deum, ut non in anteriora extendatur, id est, in Deum, sed in tergum, retrospiciatur, id est, in merita, quae praecesserunt? Nullus sperat, qui sic sperat, imo praesumit et idolum suorum meritorum colit. Igitur ad illud eamus, unde et Magister hausit hanc definitionem, nempe ex apostolo Rom. 5: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes vero non confundit. Hic apostolus numquid vult, ut in probatione patientia tribulationis speretur? Quis ita desipiat, ut in tribulationem sperandam doceat? Si non in tribulatione, ergo nec in patientia, nec in probatione, quia his omnibus aequaliter tribuit, quod operentur spem. An in verbo operatur, illusus est Magister, vel potius qui eum sequuntur false intelligentes, cum idem ipse per illud participium proveniens, quod apostolus per verbum operatur, velit intelligi. Spes scilicet fit ex meritis i. e. operibus et passio-

*) Egregia confessio doctrinae de iustificatione, sed nondum ab omni confusione cum articulo renovationis liberata.

nibus, hoc est noscitur ex illis velut ex materia, non in illa fertur sicut in obiectum. Sicut si dicas, calix fit ex fornacis igne, sed non ideo ignem semper capere debet, sed vinum. Imo omne opus aliud habet principium et alium usum, nec idem est principium seu causa alicuius et usus simul. Spes est opus operum et passionum, sed usus eius est in nudum Deum confidere, quem non videt, alioquin quod videt quis, quid sperat? sed merita utique videt. Aut quare non et patientia tribulationem semper secum tenet et probatio patientiam et spes probationem? Ergo aeterna erit tribulatio in hac vita et patientia et probatio. Sed tribulationis opus est probatio, non usus, et patientiae opus est probatio, non usus, spes vero iam non operatur aliud, nisi gloriam certam, quae non confundit.

Sermo

in die sancti Matthaei. *)

Non est opus medico valentibus sed male habentibus. Matth. 9. Hoc evangelium tam facile videtur, ut unusquisque statim auditum intelligere sese credat, cum tamen adeo sit profundum, ut, si duo adsint, qui illud plene intelligunt, satis sit. Si enim quisquam interrogatur, de quorum numero sese arbitretur, hoc, suspicor, responderet, de numero male habentium et peccatorum ac sociorum Matthaei, quia sc. ubi Christus est, omnes esse volumus, semper meliora de nobis praesumentes, nullusque de numero Pharisaeorum vult haberi, praesertim hi, qui sunt iusti et sapientes, cum tamen sint in medio eorum. Igitur veritas et iustitia, i. e. Christus non venit, nisi ubi non est, ideo non venit nisi ad mendaces, stultos ac peccatores. Sed ut intelligamus, quid Dominus intendit, scien-

*) Hic sermo, et ipse ex cod. illo MSo. redditus, legitur apud Loescher. I, 289 sqq. et Germ. apud Walch. XII, 2238 sqq.

dum, quod tria sint genera male habentium, quorum unum tantum Dominus hic adducit, quorum se medicum fatetur. Primi sunt aegri et nesciunt, noluntque credere se aegros, videntur sibi sani, qualem et Persius describit Satyr. 5. qui ad medicum dicit, Tu deterius palles. Hi sunt insanabiles et incorrigibiles, unde et ibidem dicit, iamdudum sepelii hunc. Tales sunt omnes superbi iustitiarii, quorum natura est, nolle doceri, sanari, sed semper dicere docenti, tu peius ignoras quam ego, peius vivis quam ego etc. Quicunque itaque sibi videtur scire, quae scienda sibi sunt, et non esse caecus, nec opus habere magistro, quoad rationem, item quicunque videtur sibi nihil male velle aut diligere et concupiscere, quoad concupiscibilem, item quicunque videtur sibi nihil boni, veri, iusti odisse ac respuere, quoad irascibilem, ac per hoc totum lucidum castum ac purum, hic est, inquam, qui non male habet, qui Christum non habet medicum.

Nullus enim nostrum est, qui in his tribus vitiis primi peccati non sit morbidus et saucius et egens medico, qui hanc trinam partem animae sanet, per potentiam Patris quoad irascibilem, per veritatem Filii, quoad rationalem, per suavitatem Spiritus S. quoad concupiscibilem; et tamen plures pluribus invenias, quibus si obiiciatur, quod caeci sint et mali et vani, sint indignissime laturi. Hos proprie appellat iniquos, et eorum vitam iniquitatem, peiores quam qui sunt falsi, vani, mendaces, iniusti, insipientes, eo, quod non tantum tales sunt, sed alio peiore peccato etiam diligunt vanitatem et quaerunt mendacium, tanquam iustitiam et veritatem, et pugnant contra iustitiam et veritatem. Igitur tota salus est, non fieri peccatores, sed amota caecitate scire et videre, quoniam sumus peccatores, ut Ps. 50: Tibi soli peccavi et malum etc. Ad hanc autem cognitionem non veniunt, qui tantum de actualibus cavendis solliciti sunt, neglecto isto originali malo, quod rursum actualia suscitat. Quod ut intelligamus, sciendum, quod duplex est peccatum, actuale et originale, sicut in febricitante

est duplex malum, sc. sitis aquae velut originale malum, et ipsa bibitio quam illa sitis inducit, nisi resistatur; sic est in nobis originale malum, quod ad superbiam, luxuriam, gulam, iram inclinat, velut innata febris. Nunc sunt multi, qui solum ad opera superbiae respiciunt, non ad ipsam superbiam radicalem et originalem, quam ex Adam habemus, quam Christus per gratiam suam sanare coepit. Sicut si febricitans solum de bibitione aquae doleret, cum potius dolere deberet de siti febrili ac ipsa febre, nec quiescore, donec ipsa sanaretur, et sic per se cessaret sitis et bibitio: ita nos semper aegros agnoscere et gemere, quod tales sumus ad superbiam, iram etc., ut cito ab ea aegritudine originali sanaremur, donec non delectaret peccare. Nunc autem, velut nihil peccati sit in nobis, securi imus operibus tantum occupati, quibus cessantibus cessamus lugere: ideo semper et toties recidivamus. Secundi igitur sunt, qui haec iam dicta sciunt, ut David Psal. 32: Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum nec est in spiritu eius dolus. Hi non sua poenitentia, sed Dei gratia peccatum sanari confidunt, quod in Hebraeo eleganter exprimitur, Beatus fiens levatus, contra fiens opertus peccato, beatus homo, non imputabit Dominus ei peccatum, quod dicit fiens levatus, intelligit, quod passive se habet ad delendum peccata, non enim ait, qui levat se a crimine, sed qui levatur, et in eo intelligit actuale, quod est crimen, quo quisque cadit per se ipsum. Deinde fiens opertus, hoc est, qui operitur in peccato, et sic maneat, ut aegritudo sanandi, tamen ignoratur, non imputatur, ut totum sanetur. Peccatores non odit Deus, sed iniquos. Talis igitur homo beatus est, quia huic soli non imputat iniquitatem, cum ceteris omnibus imputet, nec est in eorum interiori et spiritu dolus, qui hypocritae tantum foras speciosi et iusti, intus aegritudine profunda vulneratissimi et aegerrimi. Tertii qui sciunt hoc malum suum et in illo delectantur, hos non ceteris com-

parare decet, sed nec furiosis, quia etsi furiosi in suis damnis errore vel malis laetentur, vel rideant aut delectentur, faciunt tamen id ignoranter et per hoc invite.

Sermo

Dominica XIX post Trinitatis. *)

Ter hoc evangelium commendat et commemorat fidem istius reguli. Primo ut B. Gregorius ait, quia abit rogare pro puero suo, nisi enim credidisset, non rogasset. Secundo postquam impetravit, ubi dicit, credidit homo sermoni etc., cum tamen quasi incredulus prius a Christo fuit obiurgatus, dicente, nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Tertio postquam domum venit, ubi dicitur, credidit ipse et domus eius tota. In his nobis tres fidei gradus descripti sunt, scilicet incipientis, proficientis, perfectae. Incipientis fides est, quae ex miraculis ac signis vel magnis et generalibus ac singularibus Dei operibus fit, qualis in filiis Israel in Aegypto, et quotidie fit in hominibus Dei, quibus et Deo in illis creditur, quando manifesto dono vel opere insignes sunt prae ceteris. Haec fides poscitur *) semper signis huiusmodi, sed non oportet ibi sisti. Sic iste regulus auditis mirabilibus Christi credidit, sed voluit ibi sistere, imo a Christo fuit obiurgatus et accusatus, quod non crederet: quia qui non vult proficere in fide, idem est ac si non credat, ut sunt, qui nulli praelato credunt, nisi reddita eis ratione vel signo ostenso, ut quomodo id possibile esse capiat, ac sic fides cesset. Quales erant filii Israel in deserto; hic occiduntur filii Israel, in principio autem Aegyptii, qui in primo crediderunt operibus, in secundo noluerunt credere verbis, ideo paucissimi sunt, qui proficiunt in fide. Proficiens ergo est, ubi homo

*) Fidei natura hoc sermone graviter explicatur et legitur apud Loescher I 291 sqq. Walch. XII, 2242 sqq.

*) Legendum potius: pascitur. Loesch.

iam nudo verbo credit sine opere, sicut hic regulus, postquam audivit sibi negari signa et prodigia, captivavit se in verbum Christi et credidit. Hic, hic o quantis plagis opus est, antequam homo ad hanc fidem perveniat! Quoties resistit Deo, quoties petit signa! Haec fides non per speculationem acquiritur et intenditur, sed per vivam practicam, scilicet, quia Deus plurimis modis impedit consilium hominis et frangit sensum illius, donec desperet de se et suo sensu, experimento discit se non posse dirigi a se ipso et iam sponte tradat sui habenas, paratus etiam solo verbo duci, quia didicit, quod nec suis operibus, nec suis consiliis potuit efficere, quae voluit. Sicut in Psalmo dicit: Sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria, et dicet, revertar ad viam meam priorem, quia melius mihi erat tunc, quam nunc. Talibus itaque impedimentis discit homo sensum suum despicere ac suis opinionibus non confidere, promte alterius sensui credere, ac sic libenter Deo et aliis credere, soli sibi semper discredere, sibi suspectum esse, ac a se ipso prae omnibus cavere et timere. Quod ubi factum fuerit, perfecta fides facta est. Haec enim est perfecta, quae non tantum non opera, sed nec verba quaerit, quibus contentetur ac doceatur, quin etiam ita promta est, ut quaerat alium ductorem, fugiat se ipsum magistrum sui esse. Nam in prima fide formanda offeruntur signa non cogitantibus, nec quaerentibus, sed alia quaerentibus et noxia; in secunda vero subtrahuntur signa, quaerentibus ac volentibus, et offeruntur verba, sed etiam non quaerentibus neque volentibus, quia signis revocantur ab errore infidelitatis et erroribus Aegypti, quibus intendunt, verbis autem trahuntur a signis per desertum ad fidei profectum. Interea vero fide iam ipse nec signa nec verba requirit sibi exhiberi, sed exhibet se ipse ultra signa et verba etiam ad minutissimum motu voluntatis eius, cui credidit, cui, si eum sciret, promtissimus esset per omnia. Respondetur, prius fuit tempore *quaesitus et vocatus*, nunc gerit

et vocat ipse. Haec fides amplius nihil habet, cui credat seorsum, quia ita absoluta est et rotunda, ut pluribus credat, quam ei exhiberi possint credenda: offert enim se totam nihil excipiens prorsus, de quo 1 Cor. 13: caritas omnia credit, haec est, quod omnia quae sunt, quae fiunt, ut ex solo Deo fluentia accipit, et per suam rotunditatem omnia in ipsum refert, parata quicquid in omnibus cum omnibus voluerit facere. Hic domus eius tota credidit, et anima quodammodo in ipsam fidem mutatur, ut sit velut fides tota eius vita, intelligentia, ratio etc. Ista tria mira proprietate per ordinem in isto evangelio describuntur, nam ubi in fide profecerat regulus, ut verbo crederet neglecto signo, tum ad perfectam per occursum servorum ei descendenti et nuntiantium filii vitam, idem per comparationem horae ad verba Christi perducitur, quae quid significent differendum est modo.

Sermo

Dominica XXI post Trinitatis

cum parte explicationis Orat. Dominicae. *)

Redde quod debes, Matth. 18. Plura se tribuere quam petatur satis ostendit Dominus in isto servo, quia servus non petiit remissionem debiti, imo promisit solutionem, Dominus autem non promissione motus, sed afflictione promittentis, ideo dicit, misertus Dominus servi illius: proprium est enim Domini misereri afflictis, sicut dicit Ps. 30: Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et alio Psalmo, Expostula, invoca me in die tribulationis, eruam te et honorificabis me. Et Psalmo 119: Ad Dominum cum tribularer clamo, et exaudivit me, et Psalmo quarto, cum invocarem, exau-

---

*) Etiam hunc sermonem Loescherus reddidit ex codice, quem saepius memoravimus, quamquam dolet, quod maxima pars succiplenae explicationis orationis Dominicae perierit. Loescher I q. 293 sqq. Walch. XII, 2246 sqq.

divit me, Deus iustitiae meae in tribulatione, item Ps. 9: clamavit ad me et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione. Unde Psalmus quartus docet, quomodo hoc mirabile sit in oculis nostris, dicens, scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum, quasi diceret, hoc est mirabile, quod sanctum suum tribulari permittit, ut clamare cogatur, et Ps. 117: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli, a Domino factum istud, et est mirabile in oculis nostris. Quilibet nostrum est lapis vivus, reprobantes sunt omnes tribulationes, quae potius aedificant; sed hoc a Domino fit mirabiliter, ut reprobatio, tribulantium sit aedificatio lapidum. Proinde non debet ullus putare, quod pestis vel alia tribulatio quaecunque sit, magis ex ira Dei, quam ex misericordia inferatur, imo patet hoc, quod est sicut alia res indifferens, magis valet ad bonum. Ipsa enim docet homines intelligere, sicut Esaias dicit, tantummodo vexatio dat intellectum auditui, ipsa enim tribulat et cogit invocare Deum. Ideo videns Deus in prosperis sine afflictione esse, ac per hoc ipsum non invocari, nec ad gratiam dandam occasionem habere, per pestem affligit ut afflictis misereatur, quare oportet nos esse sapientes in malo, ita scilicet, ut quantumcunque super nos ceciderit, firmiter teneamus, quod voluntas, bonitas, misericordia Dei, qui Christus est, permanet quieta nec mutatur mutatis prosperis vel adversis. Qui ergo per turbationem malorum fixam cogitationem potest habere in fixa bonitate Dei, hic omnia mala superat, fides enim eius, quae est argumentum non apparentis bonitatis, misericordiae, dignitatis Dei, ipsa secum omnia quae praesentia et apparentia mala et abscondita res fidei. *) Sicut enim coelum nubibus obducitur, nihilominus creditur et cogitatur sol in sua claritate manere: ita cum Deus sit suavitas ipsa, bonitas, misericordia, cum inducitur ira,

*) *Sensus hic deficit.*

vel tribulatio, quae Deum abscondit, oportet scire, quoniam non per haec Deus mutatur, a voluntate et bonitate sua: et sic secure se quis potest inferre in tribulationem et mortem certissime sciens, quod sub transeunte morte et tribulatione latet et invenitur vita et pax stabilis, quae Deus est. Nam ex eadem causa docuit nos orare Orationem dominicam, quae plenissime continet omnes tribulationes nostras et est cruce refertissima; sed quia non intelligimus eam tempore felicitatis, ideo sicut pueris exempla regularum dantur, ita et ipse nobis practicam et exempla praebet super Pater noster, et, ut iuristae dicunt, casus in terminis. Quanti enim sunt, qui attendnnt tribulationes, in quibus cor esse propria eorum oratio testatur, licet surdis! Igitur promisi brevem eiusdem declarationem, ut sit unicuique ad manum occasio profundius meditandi et orandi ac sic Deum diligendi et desiderandi, prolixiorem daturus in suum tempus.

Dicimus itaque, Pater noster, qui es in coelis. Hic ne, ut dixi, semper homo sterilem vocis superficiem verset in ore, sensum debet in corde quaerere, et proposito singulo verbo dicere, quare sic voluit dici? Ut, quare pater et non Dominus, non iudex, non rex, non denique sacerdos? ut scilicet erubescas in te dicens, vere Tu pater, sed non ego filius, vel filia. Fecisti enim me, dedisti vitam, sensum et omnia bona ut supra; sed heu! quomodo ego his omnibus sum abusus. Ac sic in isto nomine Pater aedificatur scala illa duplicis confessionis, qua cor attenditur et ad contritionem sui certissimam, ut sit idoneum orare sequentia.

Primo ergo petitio, sanctificetur nomen tuum. Essentia Dei in coelis est, sed nomen eius etiam in terris, ideo sanctificatur nomen eius, non essentia, quae potius sanctificat omnia, non quod et nomen sanctum non sit in se ipso, sed quod non sancte habetur a nobis, sicut sacrae reliquiae *in se sanctae sunt*, possunt tamen parum sancte

et reverenter haberi. Sanctificatur autem multis modis, sicut contra et polluitur. Primo dum indigne illud portamus, scilicet indigne et turpiter viventes, cum sit nomen eius invocatum super nos; ut sunt, qui peccatis serviunt exterioribus, quibus dicit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Secundo magis polluitur, dum nobis illud arrogamus, ut sunt, qui sancte vivunt, contra et intus superbiunt sibi iusti ac sancti, non vendicantes, cum solus Deus iustus et sanctus sit. Illi itaque nomen Dei a se repellunt, hi a Deo auferunt, illi volunt sanctificari, hi volunt Deum non sanctificari, illi ad sinistram vivunt, hi ad dextram, illi nimis recedunt a sanctitate, hi nimis a pollutione, illi, utut licuit fieri, nihil, hi autem omnia etiam Deus volunt esse. Media via itaque tenenda est, secundum illud, ne sis nimis iustus; hoc medium autem est, interpollutum et mundum consistere, ac neutrum se esse velle, pollutum fugere et horrere, sanctum autem desiderare et quaerere, ac sic utrumque abnegatum et tamen in utriusque participatione esse, sed respectu immunditiae mundum esse, et inferius eam relinquere, respectu munditiae immundum esse, et eam quaerere, quae solus Deus est. Non enim fieri nos mundos, sed quaerere tantummodo munditiam oportet, sicut non oportet fieri Deum et tamen habere et quaerere Deum: ita non esse iustitiam, sed eam esuriri et sitiri oportet, qui enim non sitit, velut satur in se ipso utique se esse iustitiam quodammodo putat. Tertio, quando non satis reverenter habetur, ut de reliquiis, exemplum datum est, ut cum non satis reverenter illud nominat, cogitat, tractat. Et in omnibus gradibus sunt omnes, sed ignoscitur solum illis, qui agnoscunt sese in illis esse, et orant ipsum sanctificari. Quis enim tam sanctus et mundus, ut digne nominetur Dei nomine? quis non sibi aliquid nominis arrogat? Quis satis reverenter ipsum nominat? Restat sola oratio, qua petatur sanctificatio eius. Nam *sanctum est et terribile nomen* eius, venerabile ac

reverendum, sed his, qui sciunt sese non sufficere sanctificationi eius; contra pollutum et vile his, qui putant se illud satis sanctificasse. Unde sanctum Hebraeis vocatur, quod separatum est, et Deo soli dicatur, quae separatio fit reciproce, secundum tres praedictos gradus. Separatur primo, quando nos a profanis separamur, Christi enim vocantur et sancti, et iusti filii Dei, sed haec omnia ex Deo; polluuntur autem haec omnia, si indigne illis nominibus vivimus. Secundo separamur, quando a nobis negatur, ac de solo Deo per humilem confessionem affirmatur. Est enim nomen Dei, iustus, bonus, verax, sapiens. Haec omnia si nobis affirmamus, polluimus, ac sic prima separatione nos iustificamur, secunda rursus efficimur peccatores, quia per primam discimus, quid simus ex his quae sumus, ac si in secunda nobis nostrum, Deo suum tribuimus. Sicut enim prima sanctificatione pauperes efficimur in externis rebus, ita secunda sanctificatione in internis, quibus recte perfectis nisi homo penitus mundus sit, iam tertia sanctificatione nomen Dei sanctificaret, quia prae humilitate et vilitate sua non audet nominare. Tertio ergo separatur ab immundo usu et irreverenti cultu, et hic est summum fastidium cultus Dei, scilicet timor sanctus.

Corollarium. His qui sunt in gradu primo non est sanctum nec terribile, in secundo est quidem sanctum respectu primi gradus, sed nondum terribile, ac per hoc nec tum sanctum perfecte; in tertio autem est vere sanctum, quia terribile et summe venerabile. Primus gradus est incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum; nam primi sanctificant respectu externae vanitatis, sed peius pollunnt interna profanitate sibi placendo in sanctitate coepta. Ideo de illis proprie dicitur, quod non est timor Dei ante oculos eorum, et nomen Dei per eos blasphematur, dum sibi illud tribuunt. Ideo tertii iam etiam a se repulso nomine Dei in sola sua vilitate et nihileitate Dei nomen ponunt *ac reverentur*, negantes se iustos, bonos, sapien-

tes, veraces, ac ideo timentes, reverentes, magnificantes solius Dei nomen.

Ex isto autem patet, quid sit vita nostra praesens, et sic B. Cyprianus dicit, nos admoneri in petitione quinta nos esse peccatores, dum, dimitte nobis debita, petere docemur. Ita fere per singulas particulas credendum est, nos simul monere humilitatem et miseriam nostram. Quod si ita est, quis est unquam inventus, qui tantis titulis, tantis verborum viribus nostrae vitae tragoediam expressit, sicut hic unus exprimit in sola oratione ista brevissima? Nonne ad summum odium, taedium et horrorem vitae huius non exhortatur, qui septem miseriae titulis eam accusat? Quis eam vitam non omnibus lacrimis dignam putet, quam audiat appellari primo nominis Dei blasphemiam, irreverentiam, pollutionem; secundo exilium animarum et regni Dei ac Dominii subtractionem; tertio inobedientiam ac rebellionem divinae et optimae (voluntatis), ac sic resistentiam summo bono a mero malo factam; quarto egestatem et penuriam panis et universae necessitatis et profusionem animae et corporis; quinto transgressionem assiduam et peccatum totum; sexto nihil aliud nisi intus et foris undique tentationem et periculum ac velut assiduam perditionem; septimo nonnisi malum, poenam, afflictionem, aut spiritus in quantum carnem sapimus, aut carnis in quantum spiritum sapimus, atque hoc ipsum incipiendum, et ad illud, quod sine fine est tenendum. Utique haec ipsa sunt maxima et intentissime significata, sic ut quodlibet in se solo digne ponderetur et discutiatur cum suis annexis et sequelis, quae omnia de nobis affirmamus, quando oramus. Non enim oraremus, si in talibus non essemus, aut falso et ficte oraremus, quia semper oratione propria nostram miseriam confitemur, imo confiteri et agnoscere monemur. Ac per hoc si quis non nisi orationem suam intelligeret, satis abunde sui et Dei cognitionem haberet, ex quibus etiam satis abundam semper contritionem, compunctionem et lacrimas inveniret. Quae enim vis

divitiarum, gloriae, deliciarum tanta possit hic obtingere, ut possit gaudere in tantis miseriis? Ut quid ergo miseri nostrae conditionis obliti tam caeci sumus, ut flante etiam momento prosperitatis minutissimae non cohibemur, sed efferimur mira insolentia, et tamen audemus eadem insolentia orare hanc orationem coram Deo, ore affirmantes nostram infelicitatem, ubi corde nobis in felicitate placemus. Igitur ubi sanctificetur nomen tuum, ex corde ores, utique sic cogitabis, heu Domine! quid audio ut superbiae nostrae non est sanctificatum nomen tuum apud nos, nobis attribuimus nomen tuum, in blasphemiis tuis vivimus toti. Quid meruit blasphemus in Deum et fur nominis Dei? Quid meruit qui gloriam Dei in suam i. e. in ignominiam commutat? Ut illi, qui gloriam suam in similitudinem vituli commutaverunt. Quis huius culpae possit supplicium aestimare, multo minus evadere, nisi qui horrendo peccato suo agnito humiliter dolet et orat contra suum peccatum, quod odit, ut sanctificetur nomen Dei et polluatur potius nomen suum, sicut dignum est, ac vituperetur, maledicatur, blasphemetur, hic enim beatus erat. Sicut autem de prima oratione factum est, ita de omnibus sequentibus fieri debet, scilicet cum ruminatione et examinatione, quantum malum sit esse et fuisse in eo statu naturae depravatae ex bona, quae in eo peccatur. Nam omnes septem et singulae habent trinam illam differentiam, quod aliter serviunt incipientibus, aliter proficientibus, aliter perfectis, et pro nunc quidem omittimus exaggerationem malorum in singulis, differentes in aliud tempus opportunius.

Secunda petitio: Adveniat regnum tuum. Primus gradus est secundum apostolum, quando exterioris hominis vita non mundo servit sed Deo, sicut dicit, corpus autem non fornicationi sed Domino, et avaritia quaedam est idolorum servitus, et reliqua illa gentilia et ethnica vitia i. e. crassa et palpabilia; a quibus dum avertimur, a *regno Aegypti in* regnum Dei transimus. Sed hic

incipiunt propria vitia Israelis in deserto, ideo secundus gradus est proficientium, qui non sinunt Dominum regnare super se, sed suam sapientiam et proprium sensum, suam iustitiam. In quo mire Deus irritatur, nam sicut populus gentium et Judaeorum differt, ita et illa duo peccata differunt: unum quidem est ad externam creaturam conversio et fruitio, alterum ad internam creaturam, scilicet ipsam aversionem ab externa conversione, ut qui non rebus fornicatur a Deo, cum ipsa adhuc castitate fornicetur, superbiens ac placens sibi, et in omnibus sua quaerens, ac per hoc regno Dei insidians, ipsum in exilium pervertens. Hi sunt, qui stant in suo primo gradu, imo peius retrocedunt quam prius; qui vero proficiunt, semper petunt magis ac magis Dominum regnare, non quaerunt sibi Saulem, qui interpretatur abutens, hic est sensus abutens, inchoato regno Dei, inde sicut in primo gradu non fuit eo melior in Israel, ita in secundo non est peior eo. Tertius gradus est perfectorum, ut qui iam futurum regnum petunt, in quo solus Deus omnia in omnibus est, vivit, agit, quod in hac vita non fit, imo semper aliquid nostrum vel diaboli in nobis corregnat et corregnare, imo solum regnare quaerit. Vide itaque, ubi dixeris, adveniat regnum tuum, quomodo confitearis (si corde dixeris), te esse in exilio, et sub tyrannide diaboli, mundi et carnis tuae, ubi lex membrorum, imperante diabolo, regit te ad peccatum et onera conscientiae importabilia. Hic enim iugum oneris, et virga humeri et sceptrum exactoris sentitur, neque ullus unquam tyrannus sic exegit, sic oppressit, sic oneravit ac sic subiecit, sicut diabolus per concupiscentias carnis et mundi onerat conscientiam, quod qui sentit, suspirat utique, ut adveniat regnum Dei et cesset onus et exactio illa in pace conscientiae et securitate misericordiae Dei. Sed heu! quam multi hoc iugum et onus Babylonis ferreum putant iucundissimum! qui rident et gaudent illo premi et tyranno subdi. Minus omnia iumenta *serviunt, quam isti, qui vera* sunt iumenta, sed in-

sipientia, tantum ad onera, non autem ad regna nati, alioquin et iusti sunt iumenta, sed Dei et sapientia.

Sermo

in Feria S. Martini, A. 1516 *).

Lucerna corporis tui oculus tuus est, Luc. 11. Quamquam haec tropologice de oculo intentionis intelliguntur, tamen ad propositum Festi, imo Christi, de oculo regentis alios intelligitur. Ubique enim in scripturis nos potius caecos esse et esse debere dicit, et in oculum nostrum prorsus nihil confidere: idcirco oculus est alterius magister, ut Job. XXXI: Fui pes claudo et oculus caeco, et Dominus: si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proiice abs te, et Zach. II: Dominus est oculus hominis et omnium tribuum Israel. Vult ergo Dominus nos abstrahere a falsis doctoribus, ne simus faciles deceptionibus credentes, ne fiat, ut caecus caecum ducat. In quo se ipsum commendat, quando dicit, ego sum lux mundi, ego sum hominum oculus, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ideo isto oculo non praesente certum est, quod lumen, quod in nobis est, tenebrae sunt, et totum corpus tenebrosum est, id est, totum quod sumus, agimus, vivimus, et omnes, qui reguntur tali oculo, tenebrosi sunt, licet sibi illuminatissimi videantur, confidentes in bonam suam intentionem, id est, in oculum proprium.

Corollarium sequitur. Oculus noster extra nos est et non in nobis quaerendus, et tamen in nobis est et in nobis inveniendus. Quod sic intelligitur: quod oculus noster non est nostra seu sola, in quo confidendum sit, nec cogitandum, quomodo nos

---

*) Hic sermo redditur a Loeschero I, 756 sq., german. a *Walchio XII, 2274 sqq.*

dirigamus secundnm nostrum dictamen, sed petendum, ut a Deo dirigamur, cum psalmographo: dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam et gressus meos. Ac sic de nobis nostroque oculo prorsus desperandum, imo ipse eruendus, quia impedit, ne oculum Domini sequamur. Et tamen oculus Domini praesentissimus est nobis neque extra nos invenitur, sed intus: Ut patet evidenter ad experientiam, quia, cum homo illuminatur, nusquam migrat corpore vel anima, sed manet ut et ubi est, et intus ei revelatur. oculus directionis verae.

Sed haec tropologice, literaliter autem oculus est ipse episcopus et praelatus, similiter non extra nos, sed inter nos quaerendus, non in haeresi, sed in ecclesia. Et tamen non est intra nos, sed extra, quia non nostris viribus factus, a Domino enim constituuntur principatus et regna. Talis oculus fuit S. Martinus corporis Turonensis, quod tunc lucidum erat totum, quia oculus fuit simplex et verax. Tota ergo vis consistit in praelato, quo caeco et populus caecus ducitur, quo vidente et populus videt, nihil itaque tam est curandum, quam ut in populo sit bonus episcopus, maxime praedicator, hoc enim est officium episcopi, praedicare. At nunc nihil ita facile curatur sicut praedicatura. Passim omnes spernunt, cum id solum fuerit cum tremore curandum. Magna res est, verus et fidus praedicator, quomodo enim populus sciet, quod scire debet nisi doctor sit prudens et fidelis, qui sciat et velit? Neque enim prudens erit, si caecus sit, neque fidelis, si non velit prudentia uti. Et prius prudens posui, multi enim volunt, sed non sciunt, alii sciunt et non volunt, utrique mali servi. Bonus autem est, qui scit et vult, id est, prudens est et fidelis: medius, incedens inter eum, qui vult et caecus est, quem angelus Satanae stulto zelo ducit, et inter eum qui videt et non vult, quem ignavia et pusillanimitas cordis facit negligentem. Ut filii Dan et Ruben Jos. 18. de ignavia arguuntur, qui potuerunt et noluerunt gentes debellare

(id est vitia) per gladium verbi Dei. Sed nunc ad propositum, ut finiamus hoc quartum praeceptum.

Sermo

die S. Andreae, a. 1516 *).

Relictis retibus et navi secuti sunt eum, Matth. 4. Non tantum retibus, sed et navibus. Hic (ut B. Gregorius in homilia) dicet aliquis, modicum eos reliquisse; verum id dicunt hi, qui nondum tentaverunt, an etiam unum florenum relinquere possint. Parum fuit quidem relinquere navem et retia, si haec solum reliquissent, sed quia totus eorum victus et negotium erat, utique et usum eorum simul reliquerunt. Quis nescit, quod et venditor navis, imo ipse piscator navim suam sero relinquit aut finito opere, sed usum et affectum eius non relinquit. Sed nunc mystice, quod in isto evangelio et epistola simul et legenda commendatur S. Andreas de singulari affectu suo ad crucem. Licet enim legenda sit apocrypha, tamen digne de S. cruce tractat, imo speramus, quod non sit mala conclusio pro trium istorum simul declaratione: Crux Christi est nihil aliud nisi omnia relinquere, et per fidem cordis Christo soli adhaerere: vel sic, omnia relinquere et credere, hoc est crucem Christi ferre. Sic apostolus ad Gal. 2: Christo crucifixus sum, vivo tamen non ego, vivit vero in me Christus. Unde notandum, quod retia significant omnia illa, quorum usu quaeruntur bona, navis autem significat ipsam animam, receptaculum illorum omnium, seu affectum et cor. Sunt ergo retia universae substantiae et artes, quibus quaeruntur lucra, divitiae, voluptates, honores, dignitates. Hi enim sunt fructus piscaturae hominum, h. e. negotiationum, quibus

*) Loescher. I, 757 sqq. Walch. XII, 2278 sqq.

adeptis (velut in nave positis piscibus) vehitur in hoc mundo, mari maximo, et illis fruitur. Hoc relinquere ergo est retia relinquere, studia illorum quaerendorum, quod tamen raro fit. Navem vero relinquere est et affectum eorum relinquere et fruitionem. Nam et pigri ac delicati, etiam prodigi, haec retia non curant ac relinquunt, sed non navem: imo cupiunt alios pro se piscari, ut ipsi impleantur. Quamdiu itaque cor in istis corporalibus et visibilibus vivit, non potest vivere in fide, cum sit impossibile simul habere rem et fidem. Quare oportet rem relinqui ab eo, qui vult corde credere, corde inquam relinqui, non corpore: nam corpore non creditur, sed corde. Ita etiam non derelinquitur res corpore, sed affectu et corde. Sic ergo navis cum retibus derelinquitur, fides enim et possessio sic differunt, quod illa sit sperandorum et non apparentium, ista vero praesentium et apparentium rerum substantia; quamdiu enim cor aliquid habet, quo praesente quietum est, et absente inquietum, adhuc non habet fidem, sed rem, cum oporteat omnibus relictis in invisibili confidere.

Idcirco difficillima res est crux et omnium relictio et fides. Crux enim est, quaec hunc rerum affectum mortificat, ut omnia relinquat, sed fides mortificatum sustinet aliis rebus, quae non videt, nec experitur. Tantum ergo crescit fides et decrescit, quantum ille affectus crescit et decrescit. Sunt enim in mutua libra, tantum enim augentur invisibilia, quantum minuuntur visibilia, donec omnia relinquantur, et haec est fides perfecta. Ideo mira est iustitia, quae est ex fide, quia non reddit omnibus debita; sed relinquit omnia et cedit omnibus bonis *). Si enim omnibus omnia reddere debemus, Deo nec pro unius horae vita satisfacere possemus: ideo non melior iustitia, quam haec, ut omnibus cedamus: tunc nullis remanemus debitores, quamdiu autem aliquid in affectu manet, tamdiu inquieti sumus. Citat enim et monet nos con-

*) Cogitata praestantissima.

scientia, dat sententiam iudex et excommunicat, ultimum minatur poenam externam et mire affligimur, donec cedamus et dicamus: Ecce retia cum nave; amplius nihil habeo, valeant omnia. Hunc pauperem tunc suscipit Deus, quia beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum: et iterum, salvos faciet filios pauperum. Hanc quietem sentiunt, qui affectu rerum relicto alia bona sapiunt in fide. Ideo ait, corde creditur ad iustitiam, non ait, divitiis ac debitis salutis per easdem. Sic qui cum S. Andrea dicunt, o bona crux, salve crux pretiosa, quae decorem et pulchritudinem de membris Domini traxisti, suscipe me et redde me magistro, qui per te me redemit. Isti sunt, qui cupiunt hunc affectum rerum cito et maxime crucifigi, hoc enim significat Christi nudissimi crucifixio, qui figuram in se gessit veteris hominis et huius affectus ac malae navis relinquendae. Relinquendo enim mortalem vitam corporis sui, relinquendum docuit affectum rerum transeuntium, quod et significat, ut dixi, eius nudatio.

Sunt et alii quidam piscatores vanae gloriae et securitatis, quorum retia sapientia et iustitia et bona opera, et navis ipsa affectio vanitatis huiusmodi: quibus multo difficilius est corde credere, quia difficilius est hic omnia relinquere et crucifigi. Ideo difficilius quoque est, eos iustificari, cum iustus non sit, nisi corde credat. Justus enim ex fide vivit, credere autem non potest, nisi nihil videat aut sentiat aut tangat intus et extus. Hoc autem est suspendi in cruce, ubi nusquam tangit terram, in qua confidat, haec est via proficientium. Unde non ait, operibus bonis pervenitur ad iustitiam *), multa sciendo, sapienter intelligendo, sed corde credendo, scilicet quoniam hominum reseratur omnis sapientia et movetur sicut ebrius. Hic dicere, o bona crux, magnum est. Hoc autem genus hominum ita latet etiam superos, ut non te-

*) Confessio contra iustitiam operum.

mere timendum sit, quod damnentur, antequam sciant, quid sit fides aut quare damnentur, et sunt communiter tales, qui insensate et secure incedunt sine scrupulo conscientiae et timore Dei, quasi gens, ut ait Isaias, quae iustitiam fecerit et pactum Dei sui non sit oblita.

Alterum quoque genus eorundem hominum est, qui in ore habent, se non libenter velle mori, sed vivere, ut meliori vita et meritis valeant sese providere: quod verbum, ut est quidem bonum in specie, ita habet periculosissimam intelligentiam, et timendum, ut non intelligant qui ita dicunt. Intelligunt enim (timeo), quod velint eo pervenire, ut videant et agnoscant se esse bonos et bonum facere, ac bene vivere: quod si fieret, melius eis esset ac fuisset, ut millies fuissent mortui ante talem cognitionem, eo, quod non possunt superbiam vitare. Ideo melius cum patientia mortem susciperent, quam tam immortificati in spiritualia bona venirent, sicut melius est pueris mori, antequam bona et mala corporalia sciunt, ita istis, antequam spiritualia. Nam nisi quis sit perfecte mortificatus, plus nocent ei virtutes et bona opera, quam peccata. Sufficit ergo illis, quod agnoscentes sua peccata cupiant et sitiant iustitiam ac libenter moriantur. Mors patiens satis meretur sufficienter,*) quia si fieret eis iustitia, sicut cupiunt, statim satiati evomerent eam ac nausearent securi. Si intelligerent autem hoc verbum recte, optime vellent et bene intenderent. Nam intelligentia vera est haec, quod ideo omnino velint esse boni, ut solus Deus in hoc glorificaretur et proximus iuvetur, nihil solliciti de meritis ac praemiis nec de timore poenae inferni. Sic autem esse affectum, ut nihil sibi de meritis ac praemiis suis vindicet, et opera Dei intelligere ea esse solius, nec plus ea sibi arrogare, quam si S. Andreas ipsa fecisset, semper manere in suae nullitatis aestimatione et cognitione, et hoc ipsum sine dolo et fictione, quod sine perfectissima gratia non

*) *Sordes ex schola Romanensium.*

est possibile, et est officium perfectissimorum. Talis erat S. Paulus, qui dicit se primum peccatorem, et tamen eadem epistola dicit se bonum certamen certasse ac coronam iustitiae sibi reddendam, et Isaias Cap. 64. se vocat servum Dei, et tamen immundum, Cap. 6. Sic Johannes in sua epistola, esse nos filios Dei et non peccare, et tamen nos mentiri, si dixerimus nos peccatum non habere; talis fuit et B. Augustinus. Ii ergo opera sua inspiciunt, non quod facta sunt in ipsis et ab ipsis, sed per ipsos et a Deo solo, ut instrumenta sese agnoscant. Unde apostolus dicit, annunciarunt opera Dei et facta eius intellexerunt. Hunc autem gradum non est cuilibet praesumendum de se affirmare, ultra modum sublimis est. Quia sit dixeris, at hoc intelligo, quando volo vivere, ut melior fiam, nam qui emendatur a vita peccati et fit iustus et bonus, si sine periculo vult agere, oportet eum rursus fieri malum et peccatorem, adeo excellens est ista sanctitas, quod faciat, etiam ipsum iustum esse peccatorem, quia totus extra se positus in Deo, in eius voluntate, iustitia, sapientia vivit. Ideo non iam est iustus iustitia sua in illo acquisita vel infusa, sed in ipsa divina iustitia, coram et in qua amisit iustitiam suam, et facta est ei peccatum: nec amplius cupit sic iuste vivere, sed soli Deo vivere. Quare qui ad hunc gradum non nituntur, melius erat, ut ad medium non venissent: stant enim atque confidunt in accepta iustitia, non accipienda: quae est in Deo, ac per hoc adhuc stant in navi sua. Quid enim stare hominem in navi, nisi hominem stare in se ipso? in eo quod ipse fecit et fabricavit, in acquisita scilicet per eum iustitia et sapientia, ubi non est fides, sed experimentum, donec illa substantia altius adscendat et stet in Deo, quod est hominum valde perfectorum et exercitatorum, et non eorum, qui lactis sunt participes, quibus sufficit simpliciter ambulare in bonis operibus, licet frequenter peccent, Christum tamen respiciunt. Non itaque extra nos est iustitia quaerenda, sed intus in corde per fidem, ut Rom. 10: prope est verbum tuum in ore tuo et

in corde, non maria transire, aut aliis operibus quaerere exterius, ut multi volunt per opera iustitiam acquirere, dum potius iustitia faciat opera. Ideo tibi sufficit Christus per fidem, ut sis iustus, quo facto non tibi vivis, operaris, pateris, sed Christo. Ideo per illa nihil tuum, sed Christi tantummodo. Quorum instrumentum enim es, eius tu habes, tuum scilicet Christum ipsum per fidem, habeat et ipse suum, id est, te et opera in te, et erit perfectum matrimonium.

Sermo

Dominica II. Adventus a. 1516

de Evangelio.*)

Pauperes evangelizantur Math. 11. Haec graeca locutio debuit latine transferri: nam Dominus hic passive dicit, quod Jsai. 61. active dicit, pauperibus evangelizare misit me. Ita hic pauperes evangelizantur, i. e. pauperibus evangelizatur, hoc est, bonum, pax, gratia, misericordia eis nunciatur. Sed falsa intelligentia vel saltem obscura huius dicti etiam hac occasione evenit, quod, quid sit evangelium, non attenditur. Multi enim vocant evangelium praecepta vivendi in nova lege: quibus fit impossibile, ut apost. Paulum intelligant, qui sicut et Christus proprie accipit evangelium. Igitur evangelium habet duplex officium, primum est interpretari legem veterem**), ut Dominus Matthaeus 5. illud praeceptum: Non periurabis, non occides, non moechaberis, interpretatur, et sic de literali in spiritualem intelligentiam transferre. Nam haec est litera, non occides, scilicet de opere tantum externo intelligendo, quia haec intelligentia

*) Hic sermo de duplice evangelii officio legitur apud Loescherum I, 761 sqq., a Walchio germanice bis redditur, X, 1458 sqq. et XII, 2286 sqq.

**) Vox Evangelii hic latius capitur pro doctrina N. Testamenti.

occidit. Sed spiritualis intelligentia est illa, non occides corde seu spiritu, i. e. non irasceris, non odies, quia, qui odit fratrem suum, homicida est, et Dominus : qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Quam poenam lex operi minatur, dicens, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Haec autem intelligentia legis spiritualiter multo magis occidit, quia facit legem impossibilem impletu, ac per hoc hominem de suis viribus desperatum et humiliatum, quia nullus est sine ira, nullus sine concupiscentia, tales sumus ex nativitate. Quid autem faciet, quo vadet homo tam impossibili lege pressus?

Hic, hic, iam venit officium evangelii secundum et proprium et verum, quod nuntiat desperatae conscientiae auxilium et remedium: cuius officii sunt haec verba: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, et iterum, confide, mi fili, remittuntur tibi peccata tua. Igitur hoc est evangelium, i. e. iucundum et suave nuntium animae, quae per legem interpretatam iam iam peribat et deiecta fuit, audire scilicet, quod lex est impleta, scilicet per Christum, quod non sit necesse eam implere, sed tantummodo implenti per fidem adhaerere et conformari, quia Christus est iustitia, sanctificatio, redemtio nostra. Igitur, quantum contristavit evangelium legem interpretando, tantum et magis laetificavit gratiam nuntiando, sic interpretando humiliat, ut gratiam nuntiando exaltet, percutit ut sanet, mortificat ut vivificet, deducit ad inferos ut reducat. Sic Jsaiae 4: Quam iucundi pedes evangelizantium, bonum praedicantium, pacem.

Quare qui non attenderent, facerent nobis ex evangelio onus maius quam lex erat, quia grandius est, non irasci, quam non occidere, et gravius est, non concupiscere, quam non moechari, imo impossibile. Sic itaque homo per legem humiliatur, ut per gratiam exaltetur. Hoc est, quod Joh. Cap. 1. dicit, quod fuit missus a Deo, ut testimonium perhiberet de luce Christo. Igitur hoc est evangelium, nun*tiatio pacis,* remissionis peccatorum, gratiae et sa-

lutis in Christo. Huic autem gratiae nemo pertinacius resistit, quam qui in litera legis iusti sunt. Hi enim interpretationem legis non suscipiunt, multo minus se peccatores agnoscerent, putant enim sese legem implere, quam impossibile est implere per carnem, Rom. 8. Ideo Christus nunc dicit inter cetera miracula, quod pauperibus nuntiatur gratia et pax, quia divitibus et superbis ac iam iustis non potest nuntiari, eo quod interpretationem legis, i. e., annuntiationem poenitentiae et baptismi Johannis non suscipiunt, ideo ira potius illis nuntiatur pro pace. Nolunt dici stulti, peccatores, infirmi, quia non intelligunt legem in spirituali intelligentia. Est etiam notandum, quod spiritualis intelligentia a multis accipitur nescio quomodo, scilicet pro allegorica, tropologica, anagogica. Verum quidem hoc est, sed adverte rectius: Spiritualis lex seu intelligentia est ea, quae significat spiritum seu gratiam, ut scilicet, qui habet spiritum et gratiam, hic habet, quod lex iubet. E. gr. Non irasci est spiritualis lex, huius litera, Non occides; sine autem ira esse non potes, nisi sis mitis etiam in adversis; at hanc mititatem nulla litera habet, sed sola gratia donat. Ideo vocatur lex spiritualis, quia spiritum praecipit, litera autem requirit. Haec etiam est tropologia, si non ad externa opera respicias, quae semper sunt litera, sed ad cor et spiritum; etiam allegoria, si ecclesiam, ut est in spiritu i. e. voluntaria in lege Dei, suspexeris.

Deinde Johannes discipulos ad Christum mittit, i. e. evangelium legem interpretans cogit ad gratiam ire. Sed Christus Johanni non per verba respondet, sed per opera, quia, ubi spiritus et gratia venerit, iam experimentalis scientia legis facta est. Sic enim unctio tunc docet, ut homo ex vita sua magis discat, quid faciat, quia iam lex in rem significatam transiit, et fit quod ipsa praecepit. Ideo cessant verba, cum venerint opera i. e. iam non est lex, ubi est impletio legis. Sic oportet Johannem minui, Christum autem crescere, quia lex implexione sui manus semper ligat.

Sermo

in die conceptionis Mariae, anno 1516, de nomine Mariae.*)

Nomen Virginis Mariae alii sunt interpretati amaram maris, alii stellam maris et utrique probant eo ipso, quod in Hebraeo Miriam sit vocata virgo, sic et Lucas eam appellat, quia Mara significat amarum et Jam mare. Qui vero stellam maris dicunt, hi corruperunt, quod invenerunt; invenerunt autem stillam maris, nam Mar etiam stillam significat sive guttam, unde et Myrrha aliquando gutta vocatur. Somniarunt scilicet, quod stella maris aptius quam stilla vocetur. Non autem hoc dico, quod nunc velim tantam ecclesiae consuetudinem despici, quasi non sit ideo dicendum Maria, sed Miriam aut non stella maris, sed stilla maris. Originem tantummodo nominis quaesivimus, non calumniam pietatis. Igitur insignis laus virginis in isto nomine traditur, quod scilicet sit ex omni mari totius massae generis humani unica praeservata stilla. Est enim de mari, quia stilla maris secundum eandem naturam prorsus tamen non est secundum mare, sed de mari, quasi diceres, in esse naturali omnibus est similis, sed in esse gratiae est dissimilis, convenit cum omnibus quod est maris stilla, sed separatur ab omnibus, quia est stilla. Stilla discernit eam, mare coniungit, natura assimilat, gratia distinguit. Quam grandis itaque gloria, ex tanto mari unicam hanc stillam servari.

Est et alia nominis interpretatio ad dignitatem, quod est stilla seu gutta, quae graece stacte vocatur, h. e. Myrrha illa pura et electa, spontanea, quae ex arbore Myrrha (quae ab amaritudine sic ex Arabica lingua nominatur) incisa pluit et erumpit.

---

*) *Loescher. I,* 764. Walch XII, 2290 sqq.

Cuius mysteria nunc omittentes eam proprietatem adducimus, quod peruncta corpora ex illa non putrescunt, sed conservantur, ut Judaeis et Aegyptiis mos est sepelire, et in evangelio patet, ubi Nicodemus et mulieres ungere curarunt corpus Christi, ne corrumperetur. Ita B. Virgo est non tantum uncta, sed ipsa gutta et amaror efficacissimus et sibi et omnibus, nihil itaque putredinis in illa, quum vel ipsa gutta est. Tertio gessit figuram ecclesiae in suo nomine, quae sicut stilla situlae describitur apud Isaiam, quod ex toto mari electa mundi, sursum per fidem pendeat ad verbum Dei, cuius ipsa (ecclesiae inquam) nobilissimum est membrum.

Sermo

Dominica III Adventus a. 1516

de spirituali legis sensu.*)

Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini Joh. 1. Hic iterum Johannes pulchre ostendit spiritualem legis intelligentiam, sed est latius et profundius evangelium, quam ut possimus exprimere satis. Dicit, se esse vocem clamantis in deserto, dirigite viam Domini, dicit se baptizare aqua, non esse Eliam neque prophetam, neque Christum, neque se baptizare spiritu. Atque ut id notemus, Hebraicam illam locutionem, baptizo in aqua, eandem esse, quae latine sonat, baptizo aqua, seu cum aqua. Ideo melius coniunctio omitteretur, ut Act. I: Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem batizabimini spiritu sancto. Et est sensus lucidior, ne quis suspicetur, quod ipse in aqua sit, dum baptizat. Ad differentiam enim Christi dicit, se baptizare aqua, imo dicit, ego bap-

*) *Loescher. I, 765 sq.* Walch. X, p. 1454 sqq.

tizo aqua, sed medius vestrum stat, qui baptizat igne, ut Luc. 3: Ego quidem aqua baptizo, veniet autem fortior post me, cuius ego non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius, ipse baptizabit vos spiritu sancto et igne. Sic et vocem sese dicit clamantis, id est, valde sonantem, ad differentiam verbi (quod est Christus) et vehementer absconditi.

Haec autem sunt mysteria, quia spiritualis intelligentia legis, quae est evangelium*), erudit homines ad perfectissimam cognitionem peccati et sui ipsius, ita ut monstret gratiam omnino necessariam, et qui hanc intelligentiam habuerit, proximus est gratiae: Quia humilibus Deus dat suam gratiam. Lex autem literae sicut inflat et superbos facit, ita spiritualiter intellecta humiliat, ac sic ad gratiam praeparat et dirigit ad Christum. E. gr. Non moechaberis ad literam inflat eos, qui opus huiusmodi non faciunt, tanquam sint mundi, quia non moechantur. Sed hanc inflatam fiduciam sternit illa intelligentia, non moechaberis neque corde nec ullis viribus tuis. Hoc autem audito quilibet intelligit sese coram Deo moechari, quia sentit suum appetitum ad libidinem, ac per hoc humiliatur et gemens fugit ad gratiam, i. e. ad baptismum ignis post baptismum hunc aquae. Aqua enim frigida est, et fecit frigidum, i. e. agnoscere docuit, quod sit vacuus igne et spiritu, ut sic fugiat ad ignem. Inde in scripturis antiquis semper cordis praedicatur rectitudo et munditia, ut Ps. 23: Innocens manibus et mundo corde, quasi diceret, non est satis, ut manu i. e. opere sis mundus a libidine, sed et corde. Tunc sequitur dura scriptura: Quis gloriabitur mundum se habere cor? Ergo nullus adscendit in montem Domini praeter Christum. Et Ps. 94: dixi, semper hi errant corde, et Ps. 51: cor mundum crea in me Deus, et Ps. 24: delicta iuventutis meae et ignorantias meas non memineris, Domine,

*) Rursus evangelium accipitur pro doctrina N. Testamenti.

i. e. delicta occulta; idem enim verbum in Hebraeo iuventutem et abscondita significat, scilicet Almut.

Jam tunc sequitur, quomodo sit vox et quidem clamantis? Clamantis autem hic, scilicet, dirigite viam Domini, quasi diceret, legem Dei, quae est via Dei, ut patet Ps. 118, vitiose dirigitis vos, qui curvatis et depravatis legem per literalem sensum: rectificate eam per spiritualem intelligentiam, ut sic fiant prava directa et aspera in vias planas. Vierum hic voce et clamore opus est, profunde enm dormiunt, ut suscitentur ad hanc intelligentiam. Quo autem pacto? si dixeris, quomodo ergo ambulabo et implebo, si tam arcta via Dei et eius rectitudo etiam usque ad novissimum motum perpendat, respondet, ecce medius vestrum stat, ipse baptizabit vos igne, ipse erit verbum, cuius ego sum vox, ipse verbum scilicet absconditum, quod intus vos docebit et faciet, verbum enim Dei omnipotens est, omnia faciet. Sed heu nescitis, inquit, quam superbi et religiosi, quia qui missi fuerunt, inquit, erant ex Pharisaeis sacerdotes et levitae. Hoc est genus hominum legem Dei depravantium etiam usque hodie. Vide enim quomodo blandiuntur Johanni et insidiantur ei, ut ad se ipsum trahant. Talia multi faciunt, qui et modo caput Johannis cum Herode amputant, ut libera sit meretrix anima et filia eius lasciva libido cum operibus et motibus eius: cui Johannes i. e. spiritualis lex resistit; qui dicunt, non sunt praecepta data, ut necesse sit ea impleri, sed ut meta signata, quomodo corrigi homo debeat. Sic et B. Hieronymus intelligitur, quod Religiosus non tenetur ad esse in statu perfectionis, sed ad tendere in eandem. Atque ut materiam recte intelligeret, verum quidem est, quod non ad esse, sed ad fieri perfectum tenemur, sub poena peccati mortalis; at illi secure intermittunt conatum, satis arbitrati, si novissimo vitae momento inventi fuerint in tendentia ad perfectum. Hoc utique est caput Johannis auferre et occidere in occulto et carcere i. e. latente falso intellectu. Hi sunt itaque Pharisaei, iusti et sacerdotes, qui et alios praesumunt iustificare.

Sermo

Dominica IV. Adventus, a. 1516. *)

Erunt prava in directa et aspera in vias planas. Luc. 3. Sic de Judaeis cognovimus, quod et ipsi Christum exspectabant, sicut et adhuc exspectant, hoc autem imperiti, quod eum voluerunt eo modo venire, quo sibi placuit, quod fuit impossibile; quia vero alio modo venit, adhuc eum exspectaut et non recipiunt scilicet quia in apparatu seculari et pompa carnis non venit, non suscipiunt eum, qui carnaliter sapiunt. Voluerunt enim immutati manere in suo sensu, cum Johannes ideo venisset, ut eos mutaret. Ita et modo fit, ut omnes gratiam laudent et exspectent, sed Johannem odiunt et dicunt, daemonium habet. Quando hoc nempe nolunt evangelio credere, quod sint peccatores et nihil, nolunt dimittere sapientiam et iustitiam suam, et tamen volunt habere gratiam, nolunt humiliari et volunt exaltari. Ex eorum numero nunc sunt, qui gratiam actibus suis in substantia permanentibus tantummodo velut accidens et ornatum adhiberi volunt, cum totum in nihilum redigi oporteat, ut gratia sola locum habeat. Igitur hi non credunt, quod sint nihil, quod legem nullo modo impleant, Johannem interpretem eius non audiunt, ideo neque Christum obtinere possunt, dicunt enim daemonium esse, si quis omnia quae sunt aut faciunt nihil esse dixerit. Est bonum in genere, est bonum naturae, quasi hoc satis sit, non etiam pessimus quisque actus sit bonum natura, imo bonum alicui in genere.

Dimissis istis quaerimus quae sunt prava et aspera, item recta et plana? Prava intelligit curva, quod patet per suum oppositum, scilicet recta. Dixi autem supra, quomodo lex literae sit curvitas, spiritus autem rectitudo, ut, non moechaberis, si ad

*) Loescher. I, 767 sqq. Walch. XII, 2292 sqq.

literam intelligas et solum opus prohibitum impedieris, non erit anima tua directa per hanc legem, sed stabit secura apud semet ipsam confidens, quod non est moecha operatrix. Si autem intelligas, etiam non concupiscendum, iam spiritu intelligis et anima tua nihil apud se invenit, quo freta possit secura esse se legem implesse. Ideo ad Deum dirigitur et humiliata suspirat ad gratiam. Hoc autem est esse rectum cor et spiritum rectum, qui in Deo solo nititur et misericordia eius. Igitur curvitas literae est directa in rectitudine Spiritus, ambages in compendium et circumferentia in lineam, et arcus in chordam, ac per hoc curva ipsa i. e. homines voluntate curvi, in sua rectificata directa sunt in ea, quae sunt Dei. Eadem autem et aspera et plana, nisi quod etiam indirecta via potest esse asperitas. Meo iudicio aspera sunt ipsa superbia, quae ex curvitate nascitur, quia litera servata inflat, qui enim se sentit non teneri lege nec reum legis, non potest sese peccatorem confiteri. Ideo necessario nec erit humilis vilisque in oculis suis, sic curvum faciunt asperum i. e. elatum, sicut aspera montium vocantur; qui vero sentit se legi debitorem, utique gemit et vilescit ipse sibi. Quare recte sequitur, omnis mons i. e. superbia, qua humiliabitur, et omnis vallis implebitur i. e. humilitas gratiam accipiet. Igitur primo per Johannem et legis intellectum literalem dirigitur homo, de iustitia ad peccatum dicitur, quo facto iam asperitas et superbia planatur et fit humilitas, dum se peccatorem videt, qui sibi iustus erat prius, ac sic vere, postquam humilitas illa facta fuerit per legem, sequitur gratia, scilicet, quod videbit omnis caro salutare Dei. Videre autem non posset, nisi prava essent rectificata, et aspera planata, et montes humiliati et valles repleti. Qui vero Johannem odiunt atque resistunt, ei superfluum credunt doceri ab illo. Ubi Johannes dicit, dirigite viam Domini; direximus neque est curva: Johannes dicit, fiant prava directa; imo nulla sunt prava. Fiant aspera plana; plana sunt omnia: humilietur omnis mons; heu non est

mons; impleantur valles, non sunt valles; hic videbit omnis caro salutare Dei; illi, imo salvi sumus, perditionem non habemus. Sic itaque resistunt, dum ad se dici quidem audiunt, sed tamen tangi non credunt, ac per hoc iniuriam atque contumeliam sibi fieri volunt videri, nescientes, quod nisi pravi, asperi montes, valles, perditi essemus, non ille nos moneret rectitudinis, planitiei, humilitatis, plenitudinis salutis. Neque enim potest videre salutare Dei, qui videt salutare hominis, nec perditionem: nec suscipit dirigi, qui pravum se non videt; nec vult planari, qui sibi non videtur asper; nec vult humiliari, qui non videt se superbum; nec vult impleri, qui non sentit se vacuum. Hoc autem faciunt superbi in sapientia et iustitia sua, quorum cor satur est, nihil gemit, nihil suspirat, securum enim est et pingue. Ideo dicitur Ps. 77: occidit pingues eorum et electos eorum impedivit. Nam nulli revelatur iustitia Dei et salutare Dei, nisi simul, imo prius reveletur ei sua iniustitia et damnatio. Ut Ps. 97: notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit iustitiam suam, i. e. notam fecit iram suam ut Rom. 1 et peccata eorum.

Sermo in die S. Thomae, a. 1516.*)

Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciant firmamentum. Evangelium est nihil aliud nisi annunciatio operum Dei, praedicat enim ea, quae Deus operatur, ac eo ipso gloriam eius praedicat, quia opera Dei enarrando utique Deum glorificat. Nihil enim aliud est gloria et laus quam praeconium virtutis et operum enarratio. Ex quo sequitur, quod eo ipso coeli repro-

*) Hic sermo, de evangelio eiusque officio atque operibus secundum Ps. 19, 2 anno 1516 habitus, redditur a Loeschero I, 769 sqq., a Walchio german. XII. 2297 sqq.

bent ac vituperent gloriam hominum, atque sileri faciant opera manuum hominum, ut Ps. 16: Non loquitur os meum opera hominum, quia scilicet gloria Dei facit gloriam hominum intelligi vanitatem, imo ignominiam esse, et opera Dei indicant et ostendunt opera hominum (de quibus gloriabantur, tanquam bona, recta, sapientia, utilia essent) esse nihil, et peccata potius. Nam opera sunt substantia laudis et gloriae, destructa itaque substantia destruitur et aedificium, super illam nitens. Ideo evangelium, dum praedicat gloriam Dei, revelat ignominiam hominum, et dum manifestat opera Dei, ostendit ignaviam et peccatum hominum. Utrumque autem superbus indignissime fert, quod opera sua, in quibus placebat sibi apud seque gloriatur (quia iusta ea esse et sine vitio sentiebat) arguantur tanquam polluta et ignominiosa potius, ut Sap. 5: abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis. Ideo audit et irascitur, denique fremit et tabescit. Sic gloria suscitat iram et invidiam in hominibus et gratia provocat indignationem, et misericordia crudelitatem, et pietas tyrannidem et salus perditionem, ac prorsus bonum fit causa mali. Quis non miretur? Et sol dum oritur offendit oculos noctuarum; et vinum interficit febricitantes.

Ut haec clarius intelligantur, sciendum quid sit opus Dei: Est nihil aliud nisi iustitiam, pacem, misericordiam, veritatem, mititatem, bonitatem, gaudium, salutem facere, quia iustus, verax, pacatus, bonus, laetus, salvus, mitis, misericors non potest aliter operari, quia sic natura sua facit. Ergo Deus facit iustos, pacificos, mites, misericordes, veraces, benignos, iucundos, sapientes, salvos etc. Haec sunt opera manuum eius, seu facturae eius, ut Ps. 1: Confessio et magnificentia opus eius, id est, laus et decor seu gloria et claritas est opus Dei, non est nisi quod est laudabile et pulcherrimum sine omni vitio, ut et Ps. 95: Confessio et pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia eius et magnificentia in sanctuario eius, i. e. in ecclesia.

eius. Igitur facta Dei sunt ipsi iusti et Christiani, factura eius, nova opera autem sunt ipsae iustitiae, veritates etc., quas in illis factis operatur, ut Ps. ait: Annunciarunt opera Dei et facta eius intellexerunt, i. e. intelligi fecerunt: et porro, quia non intellexerunt opera Domini et opera manuum eius.

Ecce autem ad hoc ipsum opus suum proprium non potest pervenire, nisi assumat opus alienum et contrarium sibi, ut Isaiae 28, alienum est opus eius, ut operetur opus suum; alienum autem opus est facere peccatores, iniustos, mendaces, tristes, stultos, perditos; non quod revera tales ipse faciat, sed quod superbia hominum, cum tales sint, adeo nolit tales fieri aut esse, ut Deus maiori tumultu, imo solum hoc opere utatur, ut eos ostendat tales esse, ut fiant id in oculis suis, quod sunt in oculis Dei. Igitur cum non possit iustos facere nisi eos, qui non sunt iusti, cogitur ante proprium opus iustificationis laborare alieno opere, ut faciat peccatores. Sic dicit, ego occidam et vivificabo, ego percutiam et sanabo. Huic autem alieno operi, quod est crux Christi et mors Adae, nostri vehementissimi inimici sunt, qui se iustos et sapientes et aliquid esse existimant. Nolunt enim sua despici et stulta et mala haberi, i. e. nolunt Adam suum mortificari, ideo non perveniunt ad opus Dei proprium, quod est iustificatio sive resurrectio Christi. Igitur opus Dei alienum sunt passiones Christi et in Christo, crucifixio veteris hominis et mortificatio Adae; opus autem Dei proprium resurrectio Christi et iustificatio in spiritu, vivificatio novi hominis, ut Rom. 5: Christus mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. Ista itaque conformitas imaginis filii Dei includit utrumque illud opus. Hoc est, quod nuper de Johanne et evangelio, cuius ipse figura est, dixi. Nam sicut opus Dei est duplex, scilicet proprium et alienum; ita et evangelii officium est duplex. Proprium officium evangelii est nunciare proprium opus Dei, i. e. gratiam, qua pacem et iustitiam et veritatem omnibus gratis

dat pater misericordiarum, mitigans omnem iram suam: inde enim evangelium dicitur bonum, iucundum, suave, amicum, quod qui audiat non possit non gaudere. Hoc est autem, quando nunciatur remissio peccatorum tristibus conscientiis, ut Rom. 10: speciosi pedes, i. e. quam amabiles, iucundi, desiderabiles, ut in Hebraeo sonat, pedes evangelizantium, i. e. bonum et suave nuntium offerentium, annunciantium pacem, i. e. non legem, non minas legis, non implenda et facienda, sed remissionem peccatorum, pacem conscientiae, impletam esse legem etc., praedicantium bona, i. e. dulcia, scilicet suavissimam Dei Patris misericordiam, Christum nobis donatum.

Alienum autem evangelii opus est, parare Domino plebem perfectam, hoc est peccata manifestare, et reos arguere eos, qui iusti erant sibi, dum dicit, omnes esse peccatores et gratia Dei vacuos. Hoc autem pessimum nuntium videtur esse, unde potius Cacangelium i. e. malum et triste nuntium dici possit. Sicut enim nihil dulcius audiet, qui tristis ac desperatus mortem exspectat, quam si dicatur: ecce liber esto et vive, ita nihil tristius auditur illis, qui secure vivunt, quam si dicatur: ecce morte morieris. Ita evangelium durissime sonat in sono suo alieno et tamen oportet ita fieri, ut possit sonare sono suo proprio. Exemplis id fiat (sicut supra fecimus) manifestum. Ecce Rex dicit, non occides, non furtum facies, non moechaberis. Hic superbi, qui operum iustitia iusti sunt, et opera illa non fecerunt, securi iam vivunt, tanquam lege impleta nec ullius peccati sibi conscii, multae autem iustitiae. His ita praesumentibus venit legis interpres, scilicet evangelium, *) et dicit: Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum coelorum. In hoc quod dicit omnibus, poenitentiam agite, utique omnes peccatores arguit et sic tristia et ingrata nunciat, quod est Cacangelium i. e. malum nuntium et officium alienum.

*) In latiori significatu dictum.

Quod autem dicit, appropinquat regnum coelorum, h. e. bonum nuntium et iucunda ac laeta praedicatio est officium proprium, scilicet evangelii. Sic enim Johannes vox clamantis, i. e. evangelium venit, et omnibus praedicat baptismum poenitentiae, ac per hoc omnes peccatum habere constanter asserit. Hic autem nunc stat Dominus sicut in monte divisionum, ut Isaiae 28 dixit. Nam alii credunt Johanni ut voci evangelii, tristem illam praedicationem veram putantes, ac sic humiliati et trementes obediunt, agnoscentes sese esse ita peccatores, sive sint sibi conscii sive non plus Johanni quam sibi credunt. Et hi iam sunt parati per Johannem in plebem perfectam et electam Domino, sunt enim capaces gratiae, esurientes iustitiam, lugentes pro consolatione, pauperes spiritu, mites atque dirigibiles. Ideo Christus, regnum coelorum venit in eos, qui peccatores venit salvare. Alii vero, qui sibi conscii iustitiae non credunt verum esse, neque ad se illud pertinere, poenitentiam agite, imo, inquiunt, iusti sumus, peccatum nescimus, iam regnamus, appropinquavit enim, imo venit iam dudum regnum coelorum; quod si Johannes pergat illorum duritiam arguere et dicere, progenies viperarum, quis monstravit vobis fugere a ventura ira? facite ergo dignos fructus poenitentiae: hic iam dicunt, daemonium habet, utpote qui tam iustos et dignos non solum peccatum habere contendat, sed etiam prae ceteris progeniem viperarum vocet et iram denunciet. Tales sunt et nunc et in futurum omnes, qui in iustitia sua confidunt, qui solum quaerunt de se ipsis audire, evangelium i. e. bonum nuntium, quod iusti sint et recte faciant, non autem de Christo. Idem de se nolunt audire alienum sonum evangelii, quod peccent, stulti sint, sed credunt potius evangelium falsum et mendacium esse, ideo sunt irritabilissimi omnium, promti sese defendere et in alios vindicare, se iustificare, alios iudicare et condemnare, querulantes et accusantes, quod iniuriam sustineant ipsi recte facientes. Sed quomodo probetur, quod etiam

ipsi sint peccatores, Christus docuit et Paulus, scilicet quia non implent legem spiritu, quia saltem corde peccant et concupiscunt, etsi non occidunt, tamen irascuntur, etsi non furantur, tamen avari sunt, etsi non moechantur, tamen concupiscunt, cum sine gratia concupiscentia non recedat, ut Rom. 7: Infelix ego homo, quis liberabit de corpore mortis huius? Non ait, habitus aut actus frequenter iterati, sed gratia Dei per Jesum Christum. Quare evangelium magnificat peccatum, dum latificat mandatum, ita ut nullus possit iustus inveniri, qui non praevaricetur legem, ac sicut omnes peccant et peccaverunt, sic patet, quomodo omnibus necessarius sit baptismus poenitentiae ante baptismum remissionis peccatorum. Ideo Johannes non absolute scribitur praedicasse baptismum poenitentiae, sed additur in vel ad remissionem peccatorum i. e. quod per hunc parentur ad gratiam, qua fit remissio peccatorum, quae non remittuntur, nisi quibus displicent, hoc enim est poenitere. Non autem displicent nisi his qui ea cognoscunt: non autem cognoscunt, nisi qui legem intelligunt: legem autem per se nemo intelligit nisi explicetur, hoc autem facit evangelium. Sic enim per legem fit cognitio peccati, sine qua peccatum mortuum erat: cum autem venisset lex, peccatum revixit, nam concupiscentiam nescivit peccatum esse, nisi lex, scilicet spiritualiter intellecta, diceret, non concupisces. Ideo lex optima res est, dum mala monstrat et infelicitatem propriam agnoscere facit, atque sic ad bonum quaerendum movet, — nam initium salutis est nosse morbum, et principum sapientiae timor Domini. At lex incutit timorem, ut homo humilietur, dum videt, se non servare legem, ac sic iudicium Dei incurrere; gratia autem infundit amorem, quo fit fidentior, dum videt se velle servare legem, et quicquid non potest servare quod Christi plenitudo pro eo suscipitur, donec et ipse perficiatur. Sic Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum.

Sermo a. 1516 Fer. II. Nativ. de timore Dei. *).

Qui timet Deum, faciet bona, et qui continens est iustitiae, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata, Ecclesiast. 15. Aliquis timet Deum propter Deum, et facit optima bona et extreme vitat mala. Aliquis timet Deum propter Deum et propter poenam simul, et facit minus bona ac perfecta. Aliquis timet Deum propter poenam tantum, et facit bonum tantummodo in speciem foris. Primus est filius, secundus inter filium et servum medius, tertius est servus. Primus est perfectus, secundus proficiens, tertius incipiens. Primus vocatur timor filialis, sanctus, aeternus Ps. 18., secundus initialis et mixtus, tertius servilis et coactus. Primus castificat cor, secundus partim cor et partim corpus, tertius solum corpus. Primus nullum relinquit peccatum, secundus aliquid, tertius plenum, si quidem tertius voluntate peccatum amat intus, timore autem poenae omittit foris, secundus autem partim odit peccatum, partim et amat, quia est medius inter utrumque, primus autem diligit iustitiam et odit iniquitatem. Qualis ergo est timor, talia sunt et opera quae sequuntur. Omnis autem timor est ex amore, sed timor filialis idem habet, scilicet solum Deum, quem timet et amat; secundus initialis amorem et timorem aliquo modo dividit, quia aliquanto timore Deum timet, aliquanto etiam amore amat, aliquanto autem timore poenam timet et aliquanto amore aliud bonum a Deo amat. Tertius autem prorsus pessime dividit, quia aliud amat quam Deum, ideo Deum timet tribuens Deo timorem sine amore, et creaturae amorem sine timore. Sicut adultera timet virum et amat adulterum, dividens timorem et amorem, quorum utrum-

---

*) Loescher. I. 773 sqq. Walch. X, 240 sqq. XII, 2306 sqq.

que viro debuit, quorum utrumqne casta viro suo exhibet. Ideo de Cain Gen. 4. dicitur secundam antiquam translationem, quod recte offerebat, sed male dividebat, cum non deberet dividere. Igitur quanto magis receditur a divisione timoris et amoris ad unionem timoris et amoris, tanto meliora fiunt opera. Quia timor et amor coniuncti faciunt hominem novum, divisi vero veterem: incipientes autem coniungi, medium inter veterem et novum, i. e. proficientem de servitute ad libertatem, de litera ad spiritum, de morte ad vitam, de Mose ad Christum.

Nunc illud etiam tractandum, qui continens sit iustitiae. Hic continens propria significatione accipitur pro perseveranti et individua adhaesione continuaque prosecutione: sic terra dicitur continens in geographia, quae non est intercisa mari, sed pars partem continuat, et continenter sibi adhaerent. Sic enim propriissime dicuntur contineri, quae se mutuo tenent, aut simul tenent, quae philosophi vocant partes communicantes in continuo, quod continet se in tertio communi. Ita hic dicitur, qui continet iustitiam, i. e. inseparabiliter ei ac iugiter adhaeret et communicat, ut quodammodo unum sit cum illa, concordans ac diligens amplexa usque illam toto corde: quod sine caritate fieri non potest, partim quod continere iustitiam, i. e. diligere iustitiam est odisse iniquitatem. Sic enim et amplexantes sese continent mutuo, quod est signum amoris inter eos. Igitur iustitiam non apprehendit, nisi continens, perseverans, tenaxque amator eius. Tenacitas autem illa sancta ex amore et timore Dei procedit. Primo enim quaeritur regnum Dei et iustitia eius.

Et obviabit illi tanquam mater honorificata. Apprehendet eam, inquit, i. e. assequetur eam et erit sua tandem: non fraudabitur ea, si modo tenaciter eam dilexerit. Insuper occurret ei ipsa et rursum eum tenaciter diliget, et obvios amplexus porriget, sicut dicitur: Ego diligentes me diligo. Continebit continentem se, accedet ad accedentem,

offeret se quaerenti se. In quo verbo ostendit, quam facilis est assecutio iustitiae, dummodo difficultas inchoatae vitae victa fuerit. Omne principium grave, sed post principium proficiendo velut sua sponte obviat, prona facilisque. Sicut in omni motu principium magis est impeditum, medium autem sponte currit: ita, qui incipit iustificari, laborem habet in mortificandis passionibus; sed laborate fortiter in principio, tandem facile cedunt in profectu. Sic propheta: Convertimini ad me et convertar ad vos, quasi diceret, quaerite me et obviabo vobis. Sicut filio prodigo adhuc longe agenti surgens occurret pater. Ideo ipsae autoritates non de prima gratia tantum, sed de utraque intelligendae sunt. Prima est, quae facit hominem converti ad se, de qua dicitur, convertimini ad me: secunda, quae facit hominem perfici in se, de qua dicitur, et ego convertar ad vos. Hoc ideo dico, quia multis praestat laborem illa autoritas, et si quae similis est, cum de proficiente vita sint dictae, illi autem de incipiente eas accipiunt. Mater, inquit, honorificata suscipiet sicut filium suum, et mater honorificata, quia et iniquitas est mater filiorum iniquitatis, sed mater ignominiosa. Haec autem est mater honorificentiae et gloriae, quia non confunditur, qui hanc matrem fuerit adeptus. Haec est gallina Christus, qui expandit alas suas et protegit filios suos, qui quaerunt et adhaerent ei. Nec dulcius nec vehementius potuit iustitia commendari, quam quod sub affectu materno describitur, quo nihil est dulcius, et praesertim matris honorificae. Apud matrem enim omnis fiducia et securitas ac blanda consolatio est filiorum: ita conscientiae pusillae et peccatricis apud iustitiam in Christo.

Sermo in die Innocentum a. 1516.*)

Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus. Rama Hebraice excelsum significat, unde Abraham

*) Loescher. I, 775. Walch. XII, 2310 sqq.

pater excelsus dicitur: ergo vox in Rama est idem, quod vox in excelsis, i. e. quod Lucas suo more montana dicere solet, quia montosa est terra promissionis, ergo in montanis Bethlehem Rahelis vox audita est. Herodes cruentus rex multos Judaeorum occidit, eo, quod semper timuit regni invasorem, quare et filios suos tres occidit uxoremque propriam: ita et Christum inter infantes quaerit, suspicatus forte, quod parentum Christi suasu magis eum illusisset: sciebat enim Judaeos regem exspectare, et se miro modo fastidiri. Ideo per infantum necem etiam ipsos terrere voluit, ne facile regem iactarent. Ad propositum nostrum etc.

Ex Sermone habito Dominica 10. post Trinit. a. 1516.*)

De Indulgentiis, quae profecto, etsi sint ipsum

---

*) Etiam hunc sermonem de indulgentiis, et qui duo sequuntur simili argumento, Loescherus primus ex codice MSo in lucem protulit. Superius quidem hic sermo interserendus erat, sed quum de indulgentiis in eo agatur, nos eum cum duobus sequentibus, qui simili sunt argumento, coniungendum censuimus, magis argumentum quam temporis ordinem spectantes. Loescherus, I, 729 sqq. eos reddit atque ita de iis iudicat: „Man sieht aus diesen Sermonen, wie christlich, behutsam und verständig Luther die Ablasssache vor der Publication seiner Thesen traktiret.“ Walchius eos germanice reddidit Tom. XIX, 917 sqq. atque ita de iis disserit in praefatione, T. XIX, 76: „Es ist daraus abzunehmen, wie Lutherus die Ablasssache, ehe er seine Sätze ans Licht gebracht, angesehen habe, und wie er hierinnen nach und nach zu einer hinlänglichen Erkenntniss gelangt sei, Anfänglich verwarf er den Ablass an und für sich nicht, sondern nur den dabei vorgehenden Missbrauch, dass derselbe als ein Mittel dem Geize ein Genüge zu thun angewendet, und die Menschen dadurch an der Ausübung wahrer Gottseligkeit und an dem thätigen Christenthum behindert würden. Allein nachgehends kam er durch die Gnade Gottes in seiner Erkenntniss weiter und sahe wohl ein, dass der päpstliche Ablass an und für sich eine

meritum Christi et sanctorum eius,*) ideoque omni reverentia suscipiendae, tamen teterrimum factae sunt ministerium avaritiae. Quinam enim per eas salutem quaerunt animarum, et non potius pecuniam bursarum? Quod evidenter patet ex ipsorum ministerio, nusquam enim commissarii et ministri aliud praedicant, quam quod commendent indulgentias et populum provocent ad dandum. Non hic audias, qui populum doceat, quid sint indulgentiae, quo die conferam, quo finiam, sed quantum dare debent, in ea scilicet populum ignorantia suspensum relinquentes, ut credat se statim salvum, adeptis istis indulgentiis. Non enim ea gratia ibi confertur, saltem per se, qua quis iustus aut iustior fiat, sed tantum remissio poenitentiae et satisfactionis iniunctae, qua dimissa non sequitur, quod statim evolet in coelum, qui sic moritur. Stultus autem et maior pars populi decepta credit per plenariam remissionem ita peccatum omne auferri, ut statim evolet, et impune peccat et aggravat se vinculis conscientiae.

Verum notandum, quod duplex est gratia, scilicet remissionis et infusionis, seu extrinseca et intrinseca. Remissio est relaxatio poenae temporalis, quam hic ferre cogeretur a sacerdote iniunctam vel in purgatorio residuam solvere, sicut olim septem anni pro uno peccato imponebantur, sed per hanc nihil minuitur concupiscentia et morbus animae, nec augetur dilectio, nec ulla virtus interior, quae tamen omnia fieri oportet, antequam regnum dei intrent, quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, nec intrabit aliquid coinquinatum. Quanto autem tempore in purgatorio hoc expediatur, nemo scit. Nec hoc papa habet solvere ullo modo per auctoritatem clavis, sed solummodo per

---

schändliche Sache sei, welche das Verdienst Jesu Christi verkleinere und die wahre Busse aufhalte."

*) Lutherus ex errore in scholis hausto loquitur, sed ingenue.

applicationem intercessionis totius ecclesiae, ubi adhuc dubium remanet, pro quanto, an pro toto Deus hoc velit acceptare. Potest quidem animam solvere a purgatorio quoad poenitentiam a se iniunctam vel iniungibilem, sicut sonat eius Bulla, in quantum claves sanctae matris ecclesiae se extendant, et de iniunctis poenitentiis misericorditer relaxamus. Quare nimis temerarium est praedicare, per istas indulgentias redimi animas a purgatorio, cum hoc sit absurdum dictu, nec quomodo intelligi velint, exponant. Alioquin papa est crudelis, si hoc miseris animabus non concedit gratis, quod potest pro pecunia necessaria ad ecclesiam*) concedere. Infusio est interior illuminatio mentis et inflammatio voluntatis, quae est aeterna emanatio, sicut radii solis in animam, nec cessat propter plenariam remissionem. Haec est necessaria pro concupiscentiae exstirpatione, usque dum perfecte exstirpetur. Tunc autem est perfecta, quando homo summo taedio huius vitae suspirat ad Deum et tandem desiderio Dei solvitur a corpore. Hoc certe in paucis compertum est, qui plenarie absolvuntur, imo remissió plenaria non confertur, nisi digne contritis atque confessis.

Corollarium.

Cum nullus hominum possit certus esse de se ipso, nedum de aliis, quod sit perfecte et digne contritus atque confessus, temerarium est asserere indulgentias assecutum statim evolare, vel animam de purgatorio eripi; intelligo, si quis certam deputet animam, quam alioquin eripi non dubito, puta, quae digne fuerunt contritae et eiusmodi ereptionem meruerunt, ut sonant verba B. Augustini. Qui autem tales vel non tales sint, Deus novit. Nam alios oportet pati purgatorium, quia non meruerunt sibi subveniri, scilicet, quia non fecerunt se dignos, cum non essent digne contriti

*) Alluditur ad Tezelii clamores de necessitate pecuniae ad aedificationem Templi in Vaticano.

et amore praesentium abstracti. Quicquid sit, quia ego non intelligo satis hanc rem, hoc *) sine dubio incertum est, an Deus imperfectam contritionem ibi per iudulgentias remittat, quod imperfecte amaverunt Deum et nimio affectu adhaeserunt creaturis et sic praeter peccata, quae fecerunt et deleverunt per contritionem, confessionem et remissionem plenariam, adhuc immundae sunt, propter talem affectum terrenum, cum quo recesserunt; et utique ille remitti non potuit per indulgentiam plenariam, cum nondum abesset et deletus per contritionem semper maneret et manet actu in anima separata, nec purgatorio remitti potest, nisi prius displicuerit per contritionem et resipiscentiam. Quis igitur dolet, se timuisse mori et cessat timere mortem, i. e. rebellis esse divinae voluntati, nonne qui hoc ipsimet dicunt, quod indulgentiae prosunt contritis atque confessis, aliis nequaquam? Sed dices, contritio perfecta per se tollit omnem poenam, ergo non necessariae indulgentiae, quia perfecte contritus statim evolat. Respondeo, fateor meam ignorantiam; perfecte contritus evolat sine indulgentiis, imperfecte autem nec cum indulgentiis, quia a contrito perfecte Deus nihil requirit nec pro actualibus, nec pro habitualibus, i. e. fomite et origine. Quid ergo prosunt indulgentiae? An tantum ad satisfactionem actualium? Quomodo ergo redimuntur animae, quibus actualia remittuntur, sed manet originale seu habituale? Nam quibus originale remittitur, et actuale; sed non contra. Originale dico fomitem ex origine relictum, per gratiam nondum sanatum et mortificatum, ut apostolus Rom. 6 et 8 loquitur. An quae meruerunt, ut in purgatorio vel morte digne conterantur super fomite hoc, per indulgentias consequentur? Hanc difficultatem non perpendunt, quod de fomitis mortificatione et radicali peccato amplius nemo est sollicitus, tantum de actualibus curant amputandis, conterendo, confitendo, satisfa-

*) Sincera Confessio.

ciendo etc. Ceterum cito recidivant et redeunt ad vomitum, quia non advertunt, morbum et radicem peccati; sicut qui rivulos fontis praecidunt, aut folia arboris, relictis vena et radice vivis, non solliciti assiduo gemitu pro gratia destructrice corporis huius peccati et mortificatrice membrorum peccati. An forte per hoc, quod dicunt, per modum suffragii, quod illud suffragium non tantum actualium eis remissionem conferat, sed etiam contritionem et poenitentiam super fomite et reliquiis amoris terreni impetret, ad gratiam perfectissimi amoris Dei, ac suspirium ad Deum conferat? Exempli gratia, homo mortuus, si moritur invitus, et non tanto desiderio cupit dissolvi, ut libentissime voluntati Dei obediat, saltem secundum rationem, licet sensus repugnet, ut in Christo et omnibus martyribus: hic manifestum est, quod in peccato moritur, licet non mortali, sed tamen prope, ergo non poenituit super illud in vita. An ergo in purgatorio gratiam poenitentiae accipiet a Deo per suffragia ecclesiae, ut libenter velit esse mortuus? quia etiam natura non potest, nec ignis purgatorii sine gratia ipsum ab hoc liberare. Quia autem in peccato moritur, quia non diligit quod vult Deus ex toto corde, sed invitus facit, non est voluntas eius in lege Domini, ergo et si opere implet mandatum, non tamen corde.

Sed concordemus, quantum possumus: omnia opera et merita Christi et ecclesiae sunt in manu papae, et ipse, quaecunquae bona fiunt in ecclesia per Christum, potest trifariam applicare, ut sequitur: primo ut satisfactionem, secundo ut suffragium, tertio ut votum vel sacrificium laudis, sicut et Christus operibus suis et Deum glorificavit, et nostra peccata abstulit et gratiam promeruit. Ad satisfactionem applicat indulgentias, quas concedit viventibus, cuius rei affectus et intentio est haec, ut, si peccasses et contritus pro peccatis satisfacere quaeras, ad papam venires, dicens: Pater S., obsecro S. T. velit ordinare opera et orationes ecclesiae pro peccatis meis; tunc illi fiet ut petitur, et tunc omnes

qui celebrant, orant, ieiunant, laborant, aut quodcunque faciunt Deo placitum, pro te faciunt, et sic aufertur a te labor poenitentiae et satisfactionis. Haec est illa indulgentia plenaria. Verum hoc non tibi sufficit, quia non ideo habes intus gratiam, nec ideo proficis, sed manes in ea qua fuisti gratia, cum hoc petebas. Ideo iam curandum, ut proficias, et non stertas segnis, quasi iam sanctus et purus. Nunc enim instandum est crucifixioni membrorum et mortificationi principiorum peccatorum, hoc est, concupiscentiarum, quae sicut fuerunt autores peccatorum, pro quibus indulgentia data est, ita et erunt recidivorum, si steteris securus. Ad suffragium applicat indulgentias, quas concedit defunctis: ubi iam propriae non sunt indulgentiae, quia iam papa non habet solvere aut indulgere, sed tantum intercedere, ut Deus indulgeat et solvat, sive de poenis pro actualibus peccatis, sive de radicali nondum in vita mortificato et sanato, quod per infusionem gratiae fieri non est dubium, quoniam ipsi tunc mereri nullo modo possunt. Hanc vivis non video quare concedat, licet in generali ecclesia pro omnibus suffragetur coram Deo, sed amplius est, quod in particulari applicatur per papam vel quemlibet hominem. Dicit enim ipse, defunctos participes fieri, quod utique per modum suffragii intelligere se alibi satis declarat. Non tamen temere statim pronunciandum est, quod animam nominatam liberet, qui has indulgentias redimit, quia nescitur, an coram Deo ipsa digna sit, vel alia, quae melius meruit. Unde plus videtur papa facere cum indulgentiis pro defunctis, quam pro vivis, quia et gratiam infusionis eis impetrat, vivis autem solam remissionem concedit. Animae in purgatorio habent se ad gratiam posteriorem, seu ad augmentum et complementum gratiae, quae est gloria, sicut impius ad primam gratiam seu iustificationem. Utrique enim non possunt eam mereri, apti tamen eam recipere. Ille qui habet primam, licet extra viam, sicut iste, qui est in via, licet nondum habet priorem: adhuc tamen mihi manet dubium, cum papa

non nisi suffragetur et intercedat pro animabus, non ut potestatem habens sed ut mediator accedens, quare certum est, animam liberari, cum apud Deum stet arbitrium, quantum, quomodo, quando, ubi, pro quibus ecclesiam suam velit audire? Quis certus est, quod ita Deus acceptat sicut petitur? nisi forte ex hoc quod Deus non repellit orationem ecclesiae suae, in qua Christus orat cum ea, sicut dixit, petite et accipietis, et iterum, quidquid orantes petieritis, credite quod accipietis, et fiet vobis. Quae cum certa sint, utilissimum est istas indulgentias dari et redimi, quicquid sit de avaritia et quaestu, quae in illis timentur. Nam forte Deus ideo vult abundantiori misericordia defunctis misereri, quod videt eam contemni a viventibus, et multi nunc intrant purgatorium, plus quam olim, eo quod segnius nunc agant Christiani quam olim. Ideo et multi intrant et pauci pro eis laborant, dum praecedentes et adhuc superstites utrinque segnes fuerunt et sunt, papa eis isto saltem modo succurrit, ad votum seu gratiarum actiones applicat in laudibus Dei de beneficiis sibi et electis exhibitis.

Conclusio.

Id itaque diligenter attendendum, ne indulgentiae, id est, satisfactiones fiant nobis causa securitatis et pigritiae et damnum interioris gratiae. Sed sedulo agamus, ut morbus naturae perfecte sanetur et ad Deum venire sitiamus prae amore eius et odio vitae huius et nostri ipsius taedio, id est, assidue sanantem gratiam eiusque ramos.

Sermo

die S. Matthiae 1517.*)

Abscondisti ea sapientibus et intelligentibus et revelasti parvulis, Matth. 11. Homo abscondit

*) Loescher. I, 740 sqq. Walch. XIX, 944 sqq. XII, 2258 sqq.

sua ut neget, Deus abscondit sua ut revelet. Abscondit enim sapientibus et magnis, ut humilientur et insipientes fiant, et sic parvulis revelet, hoc enim placidum est coram eo et optima voluntas, iusta et recta et sancta. Et quae melior voluntas, quam quae sua absconsione nihil aliud facit, quam ut impedimenta revelationis tollat, i. e. superbiam? Duo hic quaeruntur: Quid sint sapientes et intelligentes, quibus absconduntur ista? alterum, quae sint illa abscondita? Ad primum passim respondetur, quod sapientes et intelligentes sint, qui sibi videntur tales et vere non sunt. Hanc glossam veram quidem sed obscuriorem, quam sit ipse textus, multi dicunt, qui ipsimet tales sunt et non credunt, se tales esse, imo abominantur eiusmodi. Haec enim glossa sic sonat, quasi aliqui sint sapientes, alii sibi videantur tantum, quae est periculosa intelligentia, proxima superbiae, istisque propria qui eiusmodi sapientes sunt. Ideo Christianis dicendum: Sapientes isti sunt, quicunque quodcunque sapiunt, maxime in sapientia Dei et sacra scriptura: tales enim omnes et sunt et videntur sibi sapientes. Porro illi, quos ipsi appellant vere sapientes, qui non sibi videntur, hi sunt non qui sapientiam habent, sed stulti et egentes sapientia et intelligentia, videntes sine omni fictione cordis se vacuos esse et prorsus nihil scire. Hi, inquam, vere insipientes, sed sapientiam sitientes, ipsi sunt sapientes vere. Ceteri omnes, sive sibi videantur, ut sunt rustici et crasse ignorantes, sive habeant sapientiam, ut subtiles hypocritae, omnes sunt sapientes, quia non insipientes, non vacui non esurientes sapientiam, non parvuli. Unde apostolus, egregius doctor, non ait, qui vult esse sapiens inter vos, stultus sibi videatur aut se reputet sed sit stultus, ut sit sapiens. Nam haec est vera enunciatio: stultus est sapiens et sapiens est stultus; stultus scilicet sua sapientia est stultus aliena, i. e. Dei indurantis et imputantis. Qui enim se agnoscit, sicut vere est stultus coram Deo, huic imputatur haec humilitas pro summa sapientia.

Qui ergo vere sunt sapientes i. e. insipientes, hi semper dicunt: Dirige, Domine, in conspectu tuo viam meam et gressus meos dirige. Atqui sic orat, utique caecum et insipientem sese confitetur, ut patet. Non autem videtur sibi insipiens, quasi nihilominus sit sapiens. Sapientes autem, i. e. stulti, dicunt: Quis ostendet nobis bona? Nos sumus quod sumus, piae intentionis et rectae dictamen rationis sequimur, sicut Cicero de Senect. gloriatur, quod in hoc sapientes sint, quod rationem tanquam optimum ducem sequuntur. Haec ergo recta ratio, hoc dictamen, haec prudentia naturae, quae nunc per omnia pulpita resonant et iactantur, ipsa est sapientia et prudentia, cui abscondit pater ea quae sua sunt, ut eam stultam et ream faciat, et gratiam dirigentem quaerere cogat. Porro sapiens et intelligens possunt ita distingui, quod sapiens est, qui iuvenum est et aliorum magister, potens alios docere, intelligens, qui capax sit eorum quae traduntur, utrique enim stulti sunt apud Deum.

Ad secundum respondetur, quod ista abscondita sint ipse Christus et Deus Pater, sed statim ipse resolvet dicens: Omnia mihi tradita sunt a patre meo, et nemo novit filium nisi pater neque patrem quis novit nisi filius, et cui filius voluerit revelare. Igitur cognitio Dei et Christi, Patris et Filii, haec sunt abscondita, in quae impingunt maxime sapientes et sancti. Sicut dicit Johannes: Et haec facient vobis (occidendo arbitraturi se obsequium praestare Deo,) quia non noverunt Patrem, neque me. Ideo enim arbitrantur se obsequium praestare Deo, quia sunt sapientes et intelligentes, non parvuli: ideo autem sapientes, quia haec abscondita, nec Patrem nec Filium, cognoscunt. Quae est ergo cognitio Dei a Christo tradita? Ergo omnia nobis ablata et nihil nobis relictum? Ubi ergo est sapientia? Ubi iustitia? Ubi veritas? Ubi virtus? Non in nobis sed in Christo, extra nos in Deo. Ergo sic parvuli, stulti, peccatores, mendaces, infirmi, vani facti sumus, dum omnia Christo dantur. Ergo nec Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater cognoscit,

quia omnia sunt Patris solius et soli Filio data. Et ita nos evacuati omni cognitione prorsus, ac per hoc iam parvuli et apti, quibus revelet Pater sua, quibus revelet et Filius sua, i. e. eadem uterque revelat, et idem revelat, una revelatio, unus revelator. Glorificat Pater Filium, et glorificat Filius Patrem, ut in Johanne dicitur. Disce ergo, ubi sit sapientia, ubi virtus, ubi intelligentia. Baruch ait cap. 3: Utrique Deus noster solus invenit eam: ergo non ex nobis, nec in nobis, sed in Deo quaerenda: hic eam tradidit Jacob puero suo et Israel electo suo. Et Joh. 12: cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. Ergo nihil reliquit nobis? Ita sane. Ubi ergo sapientes?

Scite itaque, quod iustitia, virtus, sapientia nostra sit ipse Christus, a Deo nobis factus, in quem posuit Deus Pater omnem sapientiam, virtutes, iustitiam suam, ut nostra fieret: hoc est nosse Filium. Deinde scite, quod Pater misericordiam suam nobis reputet iustitiam Filii sui, i. e. suam ipsius, quia eadem est iustitia Patris et Filii, eadem vita, virtus nobis donata; hoc est nosse Patrem Christi. Haec autem sapientibus ita sunt abscondita, ut, cum haec audierint, statim garriant: Non operemur bona, faciamus mala, ut veniant bona: si extranea iustitia et Dei sola misericordia iusti sumus, otiosi simus, siquidem nostra opera nihil sunt, nec sapientia aliquid est. Sic, sic loquuntur, qui sapientes et iusti sunt nimis, qui si primo parvuli essent, ut Patrem et Filium accipere revelantem se ipsum possent, hanc quaestionem facile solverent. Quamquam non sint otiosi, in quibus sapientia Christus revelata est, et qui non iam ipse sed Christus in eo vivit. Non est metuendum, ne Christus sit otiosus, imo actuosissimus est, et id ipsum cum omni suavitate et facilitate, ubi illi sua sapientia et iustitia laborant, sudant, onerantur mira mysteria et frustra. Nam suis consiliis et studiis et viis nituntur ad quietem conscientiae pervenire, et non ante pausare, quam intelligant sua peccata satisfactione purgasse et

suae intentioni satisfecisse, quod est impossibile et super arenam aedificare.

Ideo quantumcunque operentur, laborent, speculentur, nihil aliud faciunt, quam quod animae inquietudinem augeant, quam per haec fugere quaerunt: quae non effugitur, nisi sciendo Patrem et Filium, i. e. gratiam et misericordiam Dei in Christo nobis gratis datam, et merita Christi nobis imputata. Istis ergo nunc dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, non ipsi vos reficietis, i. e. quietos facietis, sed ego. Quid in vobis manetis? Exite de vobis et venite ad me, desperate de vobis et sperate in me. Sicut Abraham exivit de terra, cognatione, domo sua et patris sui: nam domus patris nostri sumus ipsi nos, nos sumus mundus ipse, ergo ex nobis eundum, quia laboramus et oneramur. Et aptius in Graeco: Venite ad me omnes, qui estis laborantes et onerati. Mitius enim esset, si onerati laboraremus, ut onus esset labor; nunc autem et labor est onus, i. e. laboramus, ut quiescamus, et id ipsum laborare magis nos onerat, quia peccatum magis augetur nostra iustitia et operibus, non alleviatur, nec securatur conscientia, sed magis affligitur per illam. Ut Eccles. 10: Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in verbo pergere; et supra: Qui transfert lapides, affligitur in eis, et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Haec sunt officia et opera iustitiariorum. Nam et vulgo dicitur de difficilibus laboribus, ich wollte lieber Steine tragen und Holz hauen: et tamen haec duo opera quid faciunt nisi aliis serviunt et non sibi? Igitur requiem animarum audiamus. Tollite iugum meum super vos. Non ait, operamini illa vel illa, sed venite ad me, relinquite vos et tollite crucem vestram post me; qui enim non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Venire enim ad Christum et exire de se ipso est magna crux, quam nemo magis horret, quam qui suis operibus peccata purgare quaerunt. Quia hi omnes non peccata, sed poenas peccatorum evadere cupiunt (servi enim sunt, peccatum

non odiunt, sed tantum poenam peccati), ideo multis sanctificationibus*) quaerunt ignem inferni exstinguere, poenam iudicii effugere. Sed quia peccatum semper manet, ideo et poena conscientiae non transit, quaerunt enim quae sua sunt. Ideo non est pax impiis: qui si se relinquerent et peccata sua odissent, iam nullam poenam haberent, nec timerent, quia ablata culpa poena per se ipsam cessat. Sed se ipsos relinquere nolunt, et timent hoc leve iugum Christi: ideo laborant sub onere suo, et timent, ubi non est timor, et trahunt sicut plaustrum peccatum.

Adhuc servilem iustitiam mire perficiunt ipsae effusiones indulgentiarum, quibus nihil agitur, quam ut populus discat timere, fugere, horrere poenam peccatorum, non autem ita et peccata. Ideo parum sentitur fructus indulgentiarum, sed magna securitas et licentia peccandi: ita sane ut nisi timerent poenam peccatorum, nullus vellet optare gratis istas indulgentias, cum potius populus ad poenam amandam esset exhortandus et crucem amplectendam. Et utinam ego mentiar, qui dico, indulgentias forte ita rectissime dici, quia indulgere est permittere, et indulgentia impunitas, permissio peccandi et licentia evacuandi crucem Christi. Aut si permittendae indulgentiae non nisi infirmis in fide sunt dandae, ne scandalizentur, qui per crucem non nituntur ad mititatem et humilitatem pervenire, ut hic dicit Dominus. Nam non per indulgentias, sed per mititatem et humilitatem hic dicit invenire requiem animarum. Mititas autem non est nisi in poenis et cruce, a qua illae indulgentiae absolvunt, quam horrere docent, et faciunt, ut nusquam efficiamur mites et humiles i. e. nunquam indulgentiam consequamur nec ad Christum veniamus. O pericula nostri temporis! O stertentes sacerdotes! O tenebras plus quam Aegyptiacas! Quam securi sumus in omnibus pessimis malis nostris!

*) Legendum videtur: satisfactionibus.

Sermo

de indulgentiis pridie Dedicationis a. 1517.*)

Thema. Stans autem Zachaeus dixit ad Dominum. Conclusio. Quibus Christus aliquid est, illis omnia nihil sunt, quibus autem Christus nihil est, continuo illis omnia grandia sunt. Quid autem sit, Christum aliquid vel nihil esse, discamus a Zachaeo, cuius affectus erat, ut evangelista dicit, quod quaerebat videre Jesum quis esset. Imo necessario sequitur, quod sublimiter de eo sentiebat, de se vero nihil. Deinde gaudet suscepto Christo. Ideo Christum aliquid esse est in ipso placere, delectari, desiderare, diligere, magni reputare, se indignum eo iudicare et non quaerere ad habendum (quod est praesumtuosum), sed ad videndum tantum, ac omnes eos iudicare, magni facere, praedicare, ad quos ille dignetur declinare, atque velut desperare, nec unquam praesumere, quod ad se veniat, licet paratissimum sese sentiat ad suscipiendum eum, sed contentus sic se mirari, et obsequi illos, ad quos illum viderit ire. Hic pius, humilis et rectus affectus solum Christum aliquid iudicat. Econtra Christum nihil esse, est non in ipso delectari, sed in se ipso et in his, quae sua sunt, imo contemnere et nolle eum desiderare. Sed sane notandum, quod sint diversimodi in Christo placitum habentes, eum cupientes, reputantes. Aliqui carnaliter, curiose, pueriliter, seu secundum suam opinionem, quales illi erant in evangelio, qui tunc mirabantur, quod ad hominem peccatorem ivisset, cum ad se illum cuperent ire, quia se dignos reputabant. Hi sunt iniqui, qui potius se reputant et sibi placent, et sibi

*) Hic sermo pridie Dedicationis aedis Vittembergensis a 1517 habitus legitur apud Loescher. I, 734 sqq. et germanice apud Walch. XIX, 929 sqq. (cf. C. Jürgens: Luthers Leben P. III. p. 580.

aliquid videntur esse, arbitrantes se sapere, intelligere, bene vivere. Et sic per Christum i. e. gloriam Dei suam gloriam quaerunt, ut puta pro confirmatione suae dignitatis, Deum hospitem habentes, qui ideo ad eos declinarit, quia digni sunt, ideo eum reputantes, ut per eum reputentur, quod si non reputentur per eum, iam cessant eum reputare ac magni facere, et sic iustificantur in opinione sua bona de se ipsis, quod, ubi non fit, irascuntur et murmurant, videlicet peccatores sibi praeferri: et statim proruit infelix superbia interior in iudicium temerarium, vel in ostentationem sui, in blasphemiam Dei, quoniam tam pulchre se ornaverat prius decoribus bonorum operum. Hi ergo sic Christum quaerunt, ut non per eum salventur, sed ut salvos se testificentur. Non auctorem iustitiae, sed testem sanctificationis suae requirunt, ac per hoc se meliores et superiores eo aestimantes. Ah! bone Deus, quam grandis stultitia est iudicatio proximi. Hic murmurant omnes, omnes temere iudicant; tam communis pestis est iudicium temerarium etiam usque hodie, cuius causa est caecitas magna et ignorantia sapientiae in mysterio absconditae a sapientibus et revelatae parvulis. Sunt enim stulti et crassi sancti, qui, cum grossos defectus in se non sentiunt, nullos defectus in se statuunt. Ideo tutius est, multos magnos et crassos defectus habere quam nullos. Ratio est, quia, cum omnis homo sit vanus et mendax coram Deo, soli illi hoc ignorant, qui in sensu et corde se tales nonnihil inveniunt, ac in hoc contenti sunt, dicentes: Nihil mihi conscius sum, ergo in hoc iustificatus sum; cum hoc ipsum sit horribilissimum peccatum, non esse sic conscium, quod sit iustificatus ex eo.

Alii spiritualiter et vere, qui, ut dixi, non audent eum ad se cupere prae nimia sua indignitate et illius dignitate, et eo ipso tamen vehementissime eum vocant, per negativam fortissimam concludentes affirmativam. Sic autem Deus quaeritur, dum non quaeritur, laudatur, dum non laudatur, diligitur, dum non diligitur, petitur, dum non petitur,

pulsatur, dum non pulsatur, dum fugitur ab eo, curritur ad eum. Quae omnia in Zachaeo vide mirabilissime: neque enim pulchrius, ornatius modum vidi, quam hoc loco descriptum. Orationem enim veram nullus audit nisi Deus, nec homo ipsemet, et est in oratione etiam mentali sicut in circulo, signo, cogitatione i. e. id quod petimus est velut circulus. Hunc nos Deo exhibemus, quando petimus. Hunc optime sentimus; sed Deus illum intimi cordis fundum desiderii, quod est supra omnem cogitationem, exaudit: quod cum facit, omnia admiratur accepisse se, quae non audebat petere, et sic verum est: anima quod petit non petit, et quod non petit hoc petit, quia nescit quod petit; sicut ut ait Christus et apostolus Paulus: Sic sicut oportet orare nescimus. Sic Sancta Monica, ut ait B. Augustinus, exaudita est secundum cardinem desiderii sui. Exemplum Zachaeus, qui potuit videre Christum et non petiit in domum: at hoc maxime petitur, quia patet, si quis interrogasset, an vellet Christum in domum: respondisset, utinam! Et cum alii, qui petierunt, non sint exauditi, quia desiderii cardo non petivit Christum, sed se ipsum.

Coroll. Nemo praesumat se petere vel orare recte, sed roget, ut doceatur a Deo orare et petere. Hinc superbi in suis orationibus omnem diligentiam fecisse putantes, securi erunt, non advertentes, non timentes, ne forte malo fundo oraverint.

Conclusio. Patet ex evangelio, quod adeo Deus solum inquirit hominis interiora et cor, ut, si quis omnia fecerit aut dederit, praeter cor, nihil fecerit. Sic Prov. 4: Praebe fili cor tuum mihi, non manum, non denique corpus, sed cor, mihi non tibi. Sic. Gen. 4. respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit, quod apostolus Ebr. XI. sic exponit: Fide Abel plurimam hostiam obtulit quam Cain. Ecce fides distinguit inter Abel et Cain. Et quanta vis sit posita in hac re, ex contraria dis-

plicentia patet. Nam Ps. 4. dicitur: Filii hominum usque quo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et mendacium? Id est omnia, quae sine corde offeruntur, vana sunt et mendacia, in quibus tamen gloriamini ad confusionem vestram per cor grave. Et Ps. 4: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: Semper habent errorem corde, ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus iuravi intra me, si introibunt in requiem meam. Ecce sine corde semper erratur, ira incurritur, requie privatur, vanitas quaeritur, mendacium diligitur et confusio pro gloria quaeritur. Nam Hebraeus textus sic habet sensum: Filii viri usque quo gloriosi estis in iis, quae ad ignominiam sunt? Dum diligitis vanitatem et quaeritis mendacium.

Sic dedicationes ecclesiarum in ceremoniis et externis operationibus signa sunt cordis dedicandi Deo. Quid enim Deus templum signi curat, quando templum signati non habet? Quid faceret homo homini, si quotannis in negotio alter alteri registra et dicas afferret et scriberet debita et facienda, nunquam tamen faceret? Nonne ille solum signa et verba tandem pertaesus rumperet simul omnia? Certum enim est, hoc nolle hominem ab homine sustinere, et tamen Deus debet hoc assidue sustinere. Ideo ecce fit, ut saepius ecclesiasticas fulminet quam alias domus, quod hic vanissimis signis tantum irritatur verius quam colitur. Sed ad evangelium revertamur et scrutemur, videamusque mirabilia de lege Dei. Videmus hic Christum meum cordium iudicem et nullius personae i. e. faciei sive bonae sive malae respectorem; nam si personam respexisset, melior illa erat eorum qui murmurabant, quam ad peccatorem divertisset, quos tamen deseruit, peior erat Zachaeus, quem tamen non veritus est. Illi enim sequebantur eum et cupiebant, hic erat princeps publicanorum, illi boni, hic malus. Ex quo id miraculum conficitur, quod qui cupiunt Christum, non cupiunt, et qui non cupiunt, cupiunt, et ipse ad eos ingreditur, qui eum non cupiunt, fugit ab eis qui eum cupiunt. Hic

igitur differentiam cordium et cupiditatis videamus, ut corde erudiamur in sapientia. Certum est, quod illi desiderabant Christum ad eos ingredi, alioquin murmurassent, quod ad Zachaeum ingressus fuit; sed cor eorum fuit perversum et vanum, quod Christus vidit, ipsi autem non viderunt. Nam cor eorum fuit tale, quod se dignos credebant Christi adventu, ac per hoc volueruut per Christi ingressum suam dignitatem probari et commendari a tanto propheta, ut diceretur: Ecce quanti sunt illi, ad quos tantus ingreditur! Sic sic suam gloriam et suae iustitiae pompam in Christo quaerebant, et quae sua sunt. Nondum erant vacui et inanes se ipsis, ideoque indefensi sunt, quod non eos glorificavit suo ingressu, dicentes, quod ad peccatorem divertisset, quasi dicerent: Sunt hic multi iusti tanta gloria bene digni, et peccatorem praefert. Vide ergo, quid faciat stulta superbia, quam manifesta praeferat peccata, scilicet iudicia temeraria, detractiones, invidias et iras. Sic, sic Christus in signum contradictionis ponitur, ut revelentur cordium cogitationes. Quis enim nosset eos talia cogitare, nisi Christus revelasset? Nec ipsummet cor novit se talia cogitare, donec contradictione huius signi reveletur. Christus autem non venit, ut testimonium perhibeat vanitati, ut approbet et iustificet et glorificet iustitias et probitates hominum, sed ut glorificet Patrem suum: non ad gloriam iustitiae nostrae, sed ad gloriam misericordiae et gratiae suae, ut apostolus ait. Ideo non potest venire ad eos, qui sese dignos et iustos putant, sed tantummodo ad miseros et misericordiae cupidos et gratia indignos. Sic patet, quomodo simul cupierunt et non cupierunt Christum, quia concupiscere isto modo, scilicet per se ipsum et finem gloriae suae, est potius non concupiscere.

Zachaeus autem non cupiebat Christi adventum, et tamen cupiebat: quod non cupiebat patet, quia ascendit tantum ut videret transiturum, non autem praesumebat, nec audebat cupere ingressurum. Patet enim manifeste, quod non se dignum

putavit quia voluit esse contentus eo viso et latere postea, non enim habuit, unde gloriosum sibi foret, Christum advenisse: sciebat sese non mereri prae caeteris omnibus, quod autem cupiebat patet, quia accepit illum gaudens: gaudium enim est signum praecedentis amoris et cupiditatis. Si enim quis ipsum interrogasset, velletne Christum habere? respondisset, non audeo optare nec velle. Illi autem respondissent: Utique et spero sic futurum. Videte ergo profunditatem cordis humani, cuius veritas tam intima est et tam secretum velle, ut nesciat sese nec gaudeat velle, solummodo sentitur et vivitur hoc velle, non autem elicitur. Hoc est rectum cor, haec sunt interiora hominis. Unde dicit Christus: Hodie salus huic domui facta est a Deo, hinc hinc iustus, quia haec est domus mea: et iterum, eo quod et ipse sit filius Abrahae: ipse, ipse, non illi. Ecce ergo quomodo offenduntur illi, quum non fecerit, ut offenderentur ad malum? Quia potuisset hunc Zachaeum occulte vocare ad gratiam, sed voluit id manifeste fieri, ut illi falsam iustitiam propriam agnoscerent et Zachaeo similes forent. Et sic per unius exemplum voluit omnes a morbo sanare, licet illi abusi sint medicina huiusmodi, unde et concludit. Venit enim filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat. Non venit glorificare iam iustos et salvos, voluit ipse eos offendi, non ut caderent, sed ut se ipsos agnoscerent, quoniam pleni erant gloria et amore sui.

Hoc autem vitium est in quolibet homine, nisi per gratiam sanetur, et fuit ab initio mundi, eritque usque in finem, quia quaerit in omnibus, etiam in Christo, quae sua sunt. Regnat autem potissimum nostro tempore, ubi populus per seductores, fabulatores etc. in istud vitium ducitur, qui debuit potius reduci: Quales sunt qui indulgentias praedicant *), de quibus ex. gr. et quia id multi petierunt, pauca dicam: dixi enim de iis alias plura, maxime cum sit prae foribus pompa ista indulgen-

*) Mascula vox contra Tezelium et eius gregales.

tiarum, ut sim ego excusatus, et vos a periculo falsae intelligentiae eruamini. Primum protestor, quod intentio papae est recta et vera, *) saltem ea quae iacet in litteris, syllabis. Secundo forte et verba eorum, quae buccinant, sunt vera in aliquo sensu; sed tamen vis est quaedam, non dicuntur vere, vel non intelliguntur recte. Sciendum itaque, quod tres sint partes poenitentiae, secundum usitatum modum. Melius autem sic **): Duplex est poenitentia, scilicet signi et rei. Rei est illa interior cordis et sola vera poenitentia, de qua Christus dicit, poenitentiam agite, et Petrus Act. 2: poenitemini et convertimini. Signi est illa exterior, quae frequenter est facta, cum illa interior sit ficta saepe, et haec habet duas illas partes, confessionem et satisfactionem, de qua Lucae 3. dicit Joh. Baptista: Facite ergo dignos fructus poenitentiae. Confessio iterum duplex est, publica et privata. De publica dicitur Jac. ultimo: Confitemini alterutris peccata vestra; de privata nescio ubi scriptura loquitur: idcirco dominis Juristis eam commendo, ut ipsi probent, ubi de iure divino probentur satisfactio et confessio, ut nunc sunt in usu. Nam satisfactio illa, quam Johannes praescripsit Lucae 3., est totius vitae Christianae officium, et generalis omnibus imposita et publica; privata vero confessio et satisfactio fateor me nescire, ubi doceantur et praecipiantur.

Conclusio. Indulgentiae praerequirunt, imo ad contritionis veritatem debent prodesse, aut sunt maxime, tollunt autem nihil aliud quam privatae significationis impositiones. Et sic timendum, quod frequenter cooperentur contra poenitentiam interiorem. Nam poenitentia interior est vera contritio, vera confessio, vera satisfactio in spiritu: quando poenitens vere purissime sibi displicet in omnibus, quae fecit et efficaciter convertuntur ad Deum pu-

*) Verba reverentiae et amoris omnia in melius interpretantis.

**) Aurea observatio.

reque agnoscunt culpam, et Deo confitentur in corde: deinde per sui detestationem intus sese mordet et punit, ideo ibidem Deo satisfacit. Imo vere poenitens vellet, si fieri posset, ut omnis creatura suum peccatum videret et odisset, et paratus est ab omnibus conculcari. Non quaerit indulgentias et remissiones poenarum, sed exactiones poenarum. Unde duplex est contritio seu poenitentia interior, una scilicet ficta, quae vocatur vulgo Galgenreue, quod facile videtur in iis, qui statim recidivant et saepius ita ruunt. Hi sic dolent de peccato, quod plus de poena peccati: et nihil aliud displicet quam displicentia Dei in peccato: mallet enim ut peccatum placeret Deo, et sic Deum iniustum optat. Haec res perversissima est, sed frequentissima, quia timore poenae et amore sui iustitiam Dei odit et suam iniquitatem diligit, poenam enim odit. Alia est vera, de qua dixi, quod amore iustitiae et poenarum odit peccatum, quia cupit ulcisci iustitiam laesam. Ideo non petit indulgentias, sed cruces: sicut legitur in multis legendis, ut de S. Paula, quam S. Hieronymus prohibuit ne fleret, et ut mitius se castigaret, illa noluit etiam cum dispendio salutis corporalis.

Videte itaque, quam periculosa res sit indulgentiarum praedicatio, quae praecisa gratia docet, scilicet fugere satisfactionem et poenam, ita ut operatio erroris esse timenda sit, quam apostolus praedixit.*) Qua enim facilitate simul et semel possunt praedicari contritio vera et tam facilis largaque indulgentia? cum vera contritio rigidam exactionem cupiat, et illa nimis laxet. An excusabimus, quod de contritione perfectorum ista intelligenda sint? Ac sic non esse necessarium, homines ad perfectam ducere. At cur ergo meretrices et publicani incipiunt ab hac contritione? Imo ad hanc omnes sunt exhortandi.

*) Prophetica vox Lutheri de revelatione antichristi per indulgentias.

Sermo

die Circumcisionis a. 1517 de circumcisione et iustitia fidei. *)

Consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer. Quaeritur, cur Christus voluerit circumcidi, cum non fuerit legis debitor, imo secundum apostolum fuit legi mortuus, vivens Deo. Si autem fuit legi mortuus, cur prohibet Galatas legem servare, qui multo minus fuerunt mortui legi, quam Christus? Neque enim satisfacit solutio B. Hieronymi, quod lex ante passionem necessario servabatur, post passionem vero non licebat eam servare, quia nec ante nec post fuit Christo necessaria. Respondetur, quod iusto prorsus nulla lex est posita, 1 Tim. I. et Gal. 5: neque ad aliquod opus tenetur, quod sic intelligendum est, ut saepe dixi, quia nemo ex operibus iustificatur, nec ideo fiunt opera, ut quis iustificetur, cum hoc sit impossibile: gratia enim sola iustificat non opera, licet per opera gratia quaeratur et quaeri debeat. Non autem ipsis operibus factis iam iustitia est praesumenda: nam sicut ista circumcisio Christo nihil attulit iustitiae, sed per eam Deo et nobis servivit: ita nulla operatio confert iusto aliquid iustitiae, sed Deo per eam et hominibus servitur. Quod probatur, quia, nisi antea iustus et mundus esset, quicquid operaretur, nihil operaretur. Ideo enim docemur sanctificari prius et parari, et contritione ac poenitentia purgari, ante omne opus bonum, ut prius iusti simus, quam operemur. Ista autem purgatio est opus Dei et gratiae infusio, sine nobis iustificatio. Ad gratiam nos per opera quidem praeparare pos-

---

*) „Argumentum Kal. Januar. anni ad reformationem inchoandam divinitus destinati felici omine propositum“ inquit Loescher in nota, quam hic adspergit. Sermo ipse legitur apud Loescher. I, 775 sqq. Walch. X, 1534 sqq.

sumus *), sed non per ea illam habere. Sic Abel prius est a Deo respectus quam offerret, prius ipse placuit quam munera eius; Cain autem odivit prius offertorium et ex offertorio placere, sic Abraham ante circumcisionem per fidem iustificatus est, et omnes S. patriarchae et prophetae, antequam offerrent, prius iustificati et sanctificati sunt. Per totam legem vehementer inculcatur populo, magis autem sacerdotibus, ut sanctificentur, antequam accedant et cum Domino agant. Igitur sine operibus patet manifeste iustitiam et sanctitatem per gratiam praerequiri et haberi. Quin et ecclesiastici nunc semper in ore habent fidem et bonos mores; at fides est iustitia, boni mores sunt opera. Sicuti ergo mores non praebent fidem, sed praerequirunt, ita et opera iustitiam. Mores enim boni sine fide nihil sunt, at fides etiam praeter bonos mores oritur in corde. **) Sed haec est dolenda miseria, quod omnes sermones in ecclesia ferme non nisi de moribus et operibus doceant, de fide autem et iustitia illa interiori, ex qua digni, veri, boni mores procedunt, parum ac prope nihil docetur: imo tantum extollunt opera et mores, ut per hoc fidem etiam prorsus expugnent.

An non hoc est fidem exturbare? Si homo factis operibus et servatis moribus tam securus et iucundus efficitur, tanquam satisfecerit per omnia legi, nullius sibi peccati amplius conscius, quae est superbia immanissima, quia non attendit ad occulta sua et interna mala: ita excaecatur doctrinis hominum potius quam illuminatur. Doctrina autem fidei hoc docet, quod homo iugiter debet intus gemere pro gratia, sciens quod cor eius non ideo est mundum, si opera sint munda, nec ideo voluntas sana, quia mores sunt boni. Ista ergo displicentia sui, odium et taedium vitae suae non debet unquam cessare, quod tamen in illis, etiamsi quandoque incipitur, statim per operum fiduciam

*) Ex fermento scholarum haec supersunt.
**) Praeludia veritatis de fide sola.

exstinguitur: scilicet quia caeci ignorant, quod haec interior immunditia etiam speciossisimos foris mores et universas iustitias facit menstruatas et immundas. Hoc suum absconditum peccatum (quod per gratiam sanari inceptum est) sancti assidue habent in oculis, ideo non possunt superbire de externis suis operibus, ut Psal. 50: quoniam iniquitatem meam agnosco, et peccatum meum contra me est semper. Haec, inquam, doctrina fidei et interioris iustitiae negligitur hodie, quia per opera festinant iustificari, antequam discant intus, quomodo sint peccatores, solum externa peccata metientes. Proinde neque id intelligunt, quod semper habent in ore, scilicet merita, virtutes, bona opera, bonos mores: siquidem nec mores, nec opera, nec virtutes, nec merita sunt bona, nisi fiant ab eo qui luget et gemit suam internam immunditiam i. e. ab humili spiritu et tribulato, qui est sacrificium Deo. Hic enim gemitus facit, quod sua merita potius peccata esse cognoscit; Deus autem per gratiam suam huic luctui eius, quod peccatum est, ignoscit. Sic sine humilitate non fit bonum, i. e. sine iustitia ante omne opus. At quomodo illi humiles erunt, qui ad hoc student, docent, monent, ut sint opera mundissima et sancta, directe contra humilitatem, potius elationem per opera quaerentes. Sic caecitas est, cordi suo, quod immundum esse nolunt, credere, sed praesumunt uno ictu oculi infusa gratia totum purificatum; cum ille oret, cor mundum crea in me, Deus, nec tantum id oraret, nisi interius mundus esset.

At dicitur, si ergo Abraham iustus ante circumcisionem et Abel ante oblationem, similiter et omnes S. Patres; quid ergo necesse fuit illos operari? Et nos cur operamur? Simus otiosi et dormitantes, quia in gratia sumus? Sic sapiunt, qui ex circumcisione et operibus iustificari quaerunt, quia sine illis ideo non putant esse iustitiam, quia eis non sit opus, si iam iustitia habetur. Quare enim audita iustitia statim dicunt, non ergo operemur bonum, nisi quia ea velut causam iustitiae posuerunt,

tanquam habito effectu, iustitia scilicet, iam non sit necessaria causa. Haec ergo est perversitas tota, cum etiam secundum Aristotelem (licet ipse iustitiam ex operibus fieri dicat, actibus scilicet frequentatis) tamen etiam docetur, quod, cum iusti fuerimus, tum maxime possumus iusta operari. Quis enim discit cantare, ut, cum scierit, nunquam cantet, ac non potius ut saepe cantet? Ita iustitia fidei sine quidem omnibus datur, sed tamen ad opera et propter opera datur, cum sit res quaedam viva nec possit esse otiosa. Sic circumcisio Abrahae fuit opus fidei seu iustitiae, et non causa iustitiae, accepit enim eam pro signaculo iustitiae fidei, Rom. 4. Ac sic omnes Sancti antiqui aliquod signum foris necessario in opere habuerunt, quo fidei iustitiam intus testarentur foris. Sic Abel suae fidei signaculum habuit sacrificium, et consequenter postea omnes S. Patres. Quare ante omne opus oportet ipsam personam gratificari per gratiam iustificantem ex fide. Tunc fit mirabiliter, ut sicut Christus non tenebatur ad circumcisionem, tamen Deo Patri gratissimum in hoc fecit opus, sic quilibet iustus ad nullum opus legis tenetur, et tamen eadem facit et debet Deo, tantum scilicet requiritur, ut non necessitate legis, sed voluntate cordis faciat; nam necessitas facit servum, voluntas liberum, illa peccatum, haec meritum.

Secundo dimissis his subtilibus rationem circumcisionis Christi moralem dat Bernhardus, quod scilicet Christus pro nobis voluit reputari peccator, quod non erat, et circumcidi, quod non opus ei erat, ut nos desistamus velle reputari quod non sumus, et velle, quod non est opus; at ut velimus reputari quod sumus, et velle, quod nobis opus est. Nam huic gravissimo et tenacissimo morbo medetur hic Christus. Homo superbus, cum sit peccator, vult tamen iustus, non peccator putari, et ponit nidum suum inter sidera ac habitaculum suum in scissuris petrarum abdit, hoc est, inter iustos vult numerari, cum inter peccatores sit numerandus. Vide ergo, tu inter Sanctos vis fulgere et non cir-

cumcidi alienaque iustitia nitere, et Christus propriam evacuans inter peccatores vult sordere. Quem enim non merito moveat, ut libens suas turpitudines confiteatur ac peccator velit reputari, quam id, cum cogitat, quod Dominus suus voluit peccator reputari propter eum, quod non erat, ut eum exemplo suo revocaret? Quae enim est alia causa, quod peccata sua nolint homines confiteri, nisi quod timent peccatores inveniri? At haec est pessima pestis et Leviatan sive additamentum, nullum enim peccatum tam atrox, quod, si sine additamento sit, non statim remittatur, additamentum autem est ipsa superbia, qua non vult confundi et palam fieri. Omne enim peccatum duo habet in se, scilicet damnum et pudorem, seu culpam et poenam, at homines magis timent poenam quam damnum et culpam. Hinc faciles sunt peccare, et difficillimi confiteri: volunt esse turpes, et nolunt reputari turpes. At aportet tanta cupiditate confiteri, quanta fuit peccatum, ut quem quondam non puduit cadere, non pudeat surgere, casum suum ostentare. Qui autem sic pudore victi tantum pro damno lugent et confitentur, statim habent remissionem peccati sui, ut patuit in Davide, qui mox cum dixisset, peccavi Domino, audivit ex Nathan propheta: et Dominus transtulit peccatum tuum. Inde dixit: Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.

Tertio loco de ipsa circumcisione dicendum. Et Jos. 5. patet, quod cultris lapideis fiat circumcisio, et Exod. 3: Zepora tulit petram acutissimam et circumcidit filium suum, fiebatque id die octavo cum impositione nominis. Haec tria per ordinem videamus. Petra est Christus, de quo formandus est culter, i. e. assumendum in cor exemplum, aut pars exempli eius. Nam nullus totum Christum habet in hac vita, sed participamus omnes eo. Porro nihil est efficacius et acutius quam verbum et exemplum Christi ad circumcidendum omne malum desiderium. Exempli et praxis gratia, ut si te

pudor peccati confiteri prohibet, apprehende hanc partem vitae in Christo, qua voluit ipse circumcidi et peccator reputari, et oppone hoc cogitationi pudoris intenso affectu, dicendo: Si Dominus rex iustitiae et filius virginis et Dei voluit peccator fieri, et non puduit, quid ego stercus et pulvis pudescam fateri, quod sum. Ecce hoc iusto impulsu abscindetur illa turpis cogitatio et malum praeputium cordis acutissimo illo exemplo et cultro petrino. Sic te si ira turbaverit adversus proximum, malum certe praeputium, statim apprehende cultrum ex petra, et cogita: Ecce Dominus pro me friget in praesepio, imo laborat tota vita, tandem orat pro iis, quibus iustissimum erat irasci, et ego pulvis non omittam meam iram contra fratrem meum, ac non potius pro eo orabo et bonum pro malo reddam. Sic si te species mulieris palpat, et carnis titillat cogitatio, natum est cordi praeputium. Accede ad petram et dic: Dominus meus dirissime dolet in cruce, et ego delector in carne? Sic Urias Aethaeus abstinuit ab uxore et dormivit in terra, quia arca Dei et populus essent in campo et bello, i. e. Christus cum sanctis suis in passionibus. Simili modo de omnibus aliis desideriis malis faciendum. Haec est circumcisio in spiritu per gratiam, quia Christus plenus est gratia, et non potest cogitari, quantam stillet in cor cogitationis gratiam et bonum modum. Vulnera enim eius aperta, et totus mundus nihil impedit, quo minus sanguis eius stillet in cor cogitans eum, nam et haemorrhousa tacta fimbria vestimenti eius salvata est. Deinde quod circumcisio fiebat tantum in praeputio et membro virili, id significat, quod originale malum, quod ex ea parte venit in omnes homines, circumcidi in spiritu oporteat. Est autem originale malum universa ipsa corruptio naturae in tam multis malis motibus irae, superbiae, luxuriae, avaritiae etc. Quare circumcisio in eo loco, et non in manu aut pede aut lingua, significat, quod non tantum opera aut verba sed prorsus tota origo et substantia nostra in vitio est et expurganda, quod non nisi per gra-

tiam fit. Secundo fiebat die octavo et antea, quod est contra superbos, qui statim facta semel confessione, bono opere aut infusa gratia, se puros credunt, cum circumcisio ista perfecta sit in futura resurrectione, quae diem octavum habet perficienda interim: per totam hebdomadam semper est circumcidendum, donec veniat illa. Tum denique vocatur non incisio nec decisio, nec praecisio, sed circumcisio, scilicet in rotundum et perfectum abscisio, ut nihil remaneat praeputii et carnis, sed totum fiat corpus spirituale. Sine enim desiderio malo cor mundum et corpus sanctum. Hypocritae vero incidunt se tantum seu praecidunt, scilicet opus malum tantum caventes, nihil solliciti, ut cor mundum fiat et corpus sanctum. Tertio fiebat impositio nominis, i. e. quod vetus nomen perit: imo ante circumcisionem nullum nomen habemus coram Deo, quia quorum nomen est, eorum etiam memor est; at impiorum non est memor, ut Ps. 15: nec ero memor nominum eorum per labia mea. Hoc est nomen, de quo in Apocal.: Vincenti dabo manna et nomen novum, scilicet nomen iusti et sancti. Hoc autem in futura vita nobis vocabitur, licet nunc ab angelo sit vocatum, antequam essemus.

Sermo

die Epiphaniae, a. 1517 *).

Obtulerunt ei munera, aurum, thus, myrrham, Matth. 2. Ista munera S. Patres varie sunt interpretati. B. Hilarius cum B. Hieronymo in auro regem, in thure Deum, in myrrha mortalem significatum et adoratum intelligunt. Unde B. Hieronymus Juvencum adducit: aurum, thus, myrrham re-

*) Hic sermo, quo Lutherus munera a Magis Christo oblata allegorice interpretatur, legitur apud Loescher I, 780 sqq. et german. apud Walchium, X, 1230 sqq.

gique hominique Deoque donarunt. B. Hieronymus super Matthaeum denique, oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo, atque ita per venerationem eorum sacramenti omnis consummata est cognitio, in homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege iudicii. Alia intelligentia sumitur ex contrario, scilicet in auro, ut ostendatur regis potentia, in thure sacerdotem magnum considera, in myrrha dominicam sepulturam. Haec autem B. Hilarius solum in thure demonstrat. Alia, imo eadem cum prima, B. Gregorii in Homilia: eum, quem Magi adorant, etiam mysticis muneribus praedicant, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem: aurum quippe Regi congruit, thus vero in sacrificio Dei ponebatur, myrrha autem mortuorum corpore condiuntur. Sed alium idem sequitur (suo more moralizans libentius quam allegorizans) scil. in auro sapientiam, in thure orationem, in myrrha carnis mortificationem. Hac vice primam illam et antiquam videamus: necesse enim est, ut et nos ista mysteria perficiamus. Non autem nos oportet aurum, thus, myrrham afferre, sed confessionis triplicis oblationem, i. e. confiteri Christum esse regem, esse Deum, esse mortalem. Sunt enim, ut B. Gregorius ait, qui eum mortalem credunt, sed non regem, alii regem, sed non Deum. Nam Judaei mortuum eum esse et hominem fuisse confitentur, sed neque regem, neque Deum; haeretici etiam alii Deum, sed non regem, alii regem, sed non Deum confitentur. Soli vero Christiani eum et regem et Deum et hominem confitentur, passum et mortuum. Verum et haec confessio dupliciter fit: Primum voce tantum sine corde et opere, sicut apostolus ait Tit. 1: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, sed potius sibi ipsis volunt esse Dii et reges et homines: secundo affectu et opere vitae totius. Igitur isto modo Christum Deum confiteri, est omnia bona ab ipso accepta reddere et in eum referre, non inde sibi gloriam quaerere, nec sibi

idolum vanitatis fieri, sed omnia bona ab ipso sperare et in nullam creaturam confidere.

Haec, inquam, confessio viva et fides plena est thus illud suavissimum, quo offerimus nos nostraque omnia Deo. Oblatio enim Deo placida est cor pium et gratum atque pacatum. Sed hoc magnum est valde et longo itinere pervenitur ad istam oblationem Magorum; verum si spiritus assit, velociter et facile perficietur. Christum autem regem confiteri et aurum offerre est, deposita sapientia sua et dictamine rectae rationis seu bonae intentionis, ut dicitur, sese stultum et nudum offerre ac regibilem praebere. Qui sunt filii obedientiae et tractabiles, qui libenter acceptant regem, captivant sensum suum in obsequium Christi, in nulla re sibi confidunt, imo si veniant mala, si offerantur bona, stant pacati aequaliter. At contra durae cervicis et incorrigibiles semper suo nituntur sensu, resistunt regi sibi ipsis rex et ductor, non sequuntur nisi consilium suum et nullo modo confidunt in Deum, ut sese illi committerent. Ideo inter eos surgunt tumultus, impatientia, ira, dissensio, murmuratio, blasphemia, non tamen nisi propter Deum et pietatem. Qui furor nunc et eorum potissimum est, qui maxime Christum et clamant verbo et silent opere, qui dicunt, regem non habemus nisi Caesarem i. e. nos ipsos, meique gratiam. Patet itaque, quod thus est fides, aurum est spes, quia fides credit omnia ex Deo esse et fore, spes eadem exspectat et sustinet, quae fides credidit. Sequitur caritas tertio loco, scilicet Christum mortalem et passum confiteri, viva confessione passionem et mortem eius in semet ipso exprimere, ut sicut ille mortuus est, ita et ipse libentissime mori velit. Hic ut mors fortis dilectio, sic itaque non solum thus i. e. fidem qua creditur esse bonum et malum a Deo venisse, venire, venturum: non solum aurum i. e. spem, qua sustinetur et speratur omne bonum et malum, verum etiam myrrham i. e. caritatem, quae cum gaudio hic etiam appetit et spes sustinet. Et inde fides tollit nobis nos ipsos et nostra omnia

in Deum cum laude et gratitudine referens: spes infert nobis alios et aliena, omnia fortiter sustinens in patientia et mititate: caritas etiam Deum nobis aufert, et omnia quae sunt, redigens nos in purum nihilum, ex quo conditi sumus, et id cum gaudio et appetitu. Haec est enim myrrha pura et electa, sese in purum nihil resignare, sicut fuit antequam esset, et nec Deum, nec aliquid extra Deum cupere, sed solummodo ad beneplacitum Dei volenter reduci ad suum principium i. e. nihil. Nam sicut nihil fuimus, nihil cupivimus, antequam crearemur, nisi in sola Dei scientia: ita oportet illuc redire, ut aeque nihil noscamus, nihil cupiamus, nihil simus. Haec est via compendii, via crucis, qua brevissime perveniatur ad vitam, ad quam per opera nunquam pervenitur, sed magis aberratur.

Coroll. Patet, quod haec munera quilibet potest offerre Christo, non minus pauper quam dives, imo melius, quia non aurum, thus, myrrham sensibilem, sed fidem offerre possumus, fiduciam veram rerum non apparentium. Credere enim Christum esse regem, Deum, hominem, h. e. illa tria munera offerre. Sed facilis haec doctrina dictu et auditu, factu autem impossibilis, nedum difficilis homini. Nam hoc ipso differunt doctrina per hominem et doctrina Dei per se ipsum, quod praedicator potest dicere et ad aures usque sonare nec ultra, Deus autem intus ad cor sonat et docet, imo facit statim facere intus et foris. Inde periculum illis est maximum, qui freti intellectu suo omnia ideo salva putant, quia intelligunt et pulchre speculari veritatem possunt, ac sic secure cadunt in perditionem, nec curant Deum, doctorem intus. Videntur enim sibi amare veritatem, cum tamen non nisi cognitionem veritatis ament, et in ipsa occulte inflentur atque sibi placeant. Quare Dominus Ps. 31. dicit: Intellectum tibi dabo et instruam te in via, qua gradieris, quasi diceret, ego, ego instruam, non sufficit tibi magister homo, nec in illo esto contentus. Et in huius rei figuram et exemplum licet Mosi et Aaron permitteret ut populum educerent, nen tamen

passus est illos esse duces, sed ipse praecessit eos, ipsemet dux itineris in columna nubis et ignis, ne in hominis aut suo proprio magisterio ullus confidat, sed in Dei per hominem. Quare desine superbire sed humiliatus dic: Notam fac mihi viam, Domine, in qua ambulem, quia ad te etc. Quod autem impossibile sit homini ista munera offerre sine gratia, satis probat experientia, quia multi Christum regem confitentur, sed cum coeperit ille regere et regnum suum exercere, mox retrocedimus et negamus. Regis enim est regere, et subditi est regi; at contra fit: dum enim recta nobis proponimus consilia, et tamen Deus illa impedit, mox non Christum regem, sed diabolum hoc egisse dicimus. Quid hoc autem aliud est, quam Christo aurum et coronam potius auferre quam offerre? Tales itaque multos licet videre, qui pulchre ornatis verbis dicunt: Domine Jesu, rex meus esto, tibi omnia committo, fiat voluntas et consilium tuum; et ecce moriatur uxor, filius, pereat substantia, statim cessat Christus rex credi. Ubi tunc rex tuus? Nonne patet, quod ore solum fuisti regem confessus, non corde neque vita? Eodem modo et Deum confitentur, donec nomen habent; ceterum si eis aufertur nomen, tunc cognoscuntur, quod nomen suum coluerunt, et sibi tribuerunt, non Deo, nisi lingua tantum. Et tamen audimus eos dicere: Deus propitius esto mihi peccatori. Hoc vulgatissimum verbum, sed rarissime corde probatum. Si enim affectu vero hoc verbum diceres, eo ipso omnia peccata tua dimissa essent. Sic publicano dimissa fuerunt eodem verbo. Eodem modo oramus, sanctificetur nomen tuum, et tamen nolumus sanctificari, quia nolumus nostrum pollui. Canimus, Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, quod tamen fieri non potest, nisi illud Ps. 9. prius impleatur, Nomen eorum delevisti in aeternum. Secundum nomen autem sumus aut natura mali, stulti, impii; cur ergo nomen bonitatis, sapientiae, sanctitatis vindicamus nobis, quae Dei solius sunt? Nam sicut B. Augustinus meditari solet, si bonum in abstracto se-

paretur a creatura, bonitas scilicet, nihil nisi Deus maneret; sic et sapientia, iustitia. Nos enim umbra sumus, Deus autem res vera et proximus nobis. Sic et inepta est quaedam glossa Decreti, quod peccaret, si peccatorem se diceret, tametsi dicere peccatores, et plus mentiuntur, dum dicunt se iustos, cum tunc veritatem dicunt, quando peccatores se confitentur: quia non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Qui ergo omnia bona a se ipso removet et soli Deo tribuit, sicut in veritate est, hic offert Christo thus et ipsum Deum confitetur: idem est sacrificium in odorem suavitatis, de quo legitur in veteri Testamento saepe dictum, Odoratus Dominus est odorem suavitatis.

Ita demum Christum mortalem confitentur ore et re negant: credunt passum et mortuum, sed nolunt imitari, nec illis passionem suam facere hoc amat, certe durissimum est, quia sensibilissimum. Vera autem est, quia praecedentia duo, quae si starent, paene mors esset potius dulcis. Nihil enim facit mortem amaram, quam quod Deum et regem Christum nondum recte confitemur et agnoscimus, nostra adhuc sapimus, quae relinquere mors cogit, ideo amarissima. Beatus igitur, qui hic in vita se in istis exercitaverit, ut, cum hora venerit, libenter mori possit, et Christum mortuum in se transformare eique se conformare. At et hic nonnullos audaculos licet audire, qui dicant, libenter moriar, quando Dominus voluerit, nihil solliciti, qua humilitate erga Deum, qua resignatione et patientia erga regem sint dispositi. Ideo fiet illis secundum fabulam illam Aesopi de sene quodam, qui aetate et labore fessus, cum onere lignorum premeretur, invocavit mortem, quae cum venisset interrogassetque, quid eam vocasset, respondit, ut onus illud levares et mihi imponeres, noluit enim mori, sed potius amplius laborare.

Sermo

die conversionis Pauli a. 1517*)

de relictione omnium.

Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. Hic habetur evangelium et hic finis est omnium mandatorum Dei, ut nudi exuamur ab omni concupiscentia, puros enim et sanctos ac immaculatos nos esse oportet et nulli prorsus rei concupiscendae adhaerere. Quare evangelium nihil aliud est, quam revelatio et interpretatio veteris legis**), quia non moechari, non irasci, non furari, re vera et recta intelligentia nihil est aliud quam non concupiscere, nulli adhaerere creaturae, se ipsum atque animam suam odisse. Nam illa concupiscentia est causa omnium rixarum, litium, bellorum, caedium, tumultuum totius mundi, ut vere dixerit apostolus, cupiditas radix omnium malorum, quia parum omnino praestat nisi abstinentia et relictione omnium. Quare relinquere omnia hoc ipsum radix est omnium bonorum. Nonne mirus ordo et permutatio? Cupiditas bonorum est radix omnium malorum, contemtus bonorum est radix omnium bonorum. Qui reliquit bona, hunc prosequuntur bona; qui cupit bona et prosequitur, hunc relinquunt bona. Qui ergo non relinquit, relinquetur, qui autem relinquit, non relinquetur. Vide itaque vanitatem cupiditatis, imo malum eius. Imo et experientia videmus, quod cupiditas non satiatur: quid est enim non satiari cupidum quam relinqui ab eo, quod ipse non relinquit? quia non consequitur quantum vult, et tamen cupit. Sic de Tantalo poëtae fingunt, qui ore tenus in aquis positus sitit vehementer, et ta-

---

*) Loescher. I, 785 sqq. Walch. X, p. 1176 sqq.

**) Denuo evangelium capitur late pro novi Testamenti doctrina.

men, quoties vult bibere, fugit aqua. Miro scilicet ingenio cupiditas hic fingitur. Contra quid est contemtorem rerum abundare bonis, quam ab his, quae relinquit, quaeri et concupisci? Mendicat avarus divitias, sed divitiae mendicantur pauperem: odiunt sui amatorem, et amant sui osorem. Unde et de ipsis verum est illud: quod sequitur fugiunt, quod fugit ipse sequor. Igitur qui non vult relinqui, relinquat, qui vult amari odiat, et qui vult honorari contemnatur, qui vult glorificari, ignominia afficiatur, et sic de aliis. Unde Ps. 8: omnia sub pedibus eius, non ait, omnia posuisti ad caput eius. Homo enim qui omnia relinquit et contemnit, quid aliud facit, quam quod sub pedibus ea habeat. Habet ergo omnia, quia sub pedibus, non habet, quia sub pebibus ea conculcat. Sic in lege Mosis promittitur, omnis locus, quem calcaverit pes vester, erit vester, i. e. si contemseritis ea, erunt vestra, non habendo habebitis, et nihil habentes omnia possidebitis, omnia possidendo nihil habebitis. Quare? quia non calcamus ea pedibus; verum nec superiores eorum efficimini, sed ipsa calcant vos pedibus suis super caput vestrum et servos faciunt.

Sic et hoc loco centuplum accipit, qui simplum relinquit. Non autem est hoc relinquere sic intelligendum secundum sensus ruditatem, quasi nos iubeat Dominus ab invicem recedere et nullam alterius curam habere, cum potius unicuique mandaverit de proximo suo et honorare parentes iubeat. Alioquin omnes oportuit fieri anachoretas; at ubi tunc maneret praeceptum caritatis apud solitarium? Imo cum inimicos praecipiat diligere et in medio inimicorum suorum regnum suum i. e. nos posuerit, patet, quod nec propter mala sint homines et boni relinquendi, multo minus propter bonum. Igitur hoc relinquere intelligitur spiritualiter et affectu fieri intus coram Deo in abscondito, foris autem oportet quam maxime illis adhaerere et misceri: ita ut homo discat hic omnia habere indifferentia, et solummodo a Deo in Deum per Deum feratur, quomodocunque cedant, atque ne propter eorum amo-

rem Deum offendat. Alioquin quomodo uxorem relinquet? cum ipse dicat, quod Deus coniunxit, homo non separet, et per apostolum, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Is relinquit uxorem, qui propter uxorem nunquam facit quod Deo displicet. Sic Job fecit, quando non maledixit Deum, ut uxor voluit: tunc filios, quando similiter obedientiam Dei praeponit amori filiorum, sicut Abraham fecit in Isaac, et idem Job, quando contra Deum nihil locutus est propter filios occisos. Et iste amor, hoc relinquere, quam difficile et rarum sit satis patet: parentes enim Deum et omnia potius relinquunt quam filios, imo quam stultum et carnalem affectum in filios. Nec mirum, carnem generant, caro sunt, carnem diligunt, carnaliter sapiunt, natura verum amorem filiorum non habet, sed sola gratia: et hoc mirum videtur hominibus. Nam quid vero similius, quam quod parentes diligant filios, et coniuges se invicem, et tamen non est verum, sed apparet esse amor, ut patet, quia relinquunt Deum. Non sic enim reducatur filio, nec sic amant, ne illi faciant quod sit contra Deum: ut Job suos dilexit, quando pro iis sacrificavit, ne forte benedixissent Deum in corde suo; sed tantum ad ea diligunt eos, quibus impeditur eorum salus. Sic Persius de stultis matrum votis scribit: Hunc optet generum rex et regina puellae, quicquid hic calcaverit, hoc rosa fiet, et Crassi mittunt in aedes, i. e. gloriam, voluptates illis tantum optant, non ita timorem Dei et statum salutis. Piorum autem parentum est omni die cum Job sanctificare filios suos et Dominum orare, ut det eis gratiam timoris Dei et ipse pater eorum sit. Nam desperant de suo studio, nec boni fient humano officio, sicut multi praesumunt.

Agimus hodie S. Pauli conversionem, certe dignissimam. Hic enim est proprie doctor et magister et apostolus, quia doctor et apostolus gentium a Deo datus grandi miraculo, quod 12 apostoli Judaeis, unus hic gentibus datus est. Sed honorandi fuerunt illi propter promissionem patrum. Verum et hoc mysterium

est, quod multi et magni non tantum efficiunt apud superbos et sapientes et iustos, quantum unus solus et exiguus apud stultos et peccatores. Nam et Paulus ceteros apostolos magnos vocat, se minimum apostolorum dicit ad Cor.: Quid minus feci a magnis apostolis? Et verum qui sunt super mortem apostoli, et ad Galatas: Nam hi, qui aliquid videbantur quales fuerint, nihil mea interest. Omnes enim apostoli simul paucos Judaeos converterunt et multo tempore; sed Paulus plurimas gentes solus et brevi tempore. Igitur hic nisi datus esset ecclesiae, ceteri non suffecissent Dignus ita dilectione et honore praesertim doctorum, licet plus nunc ametur passim Aristoteles. Nulla videtur causa, quam quod venit lux in mundum et dilexerunt homines tenebras plus quam lucem.

Sermo

Dom. III. post Epiphan. a. 1517.*)

Venti et mare obediunt ei. Matth. 8. Certum est mare in hoc evangelio significare mundum, hoc est vita ista inquieta, instabilis et transitoria: tempestas et venti ipsi rectores tenebrarum, spiritualia nequitiae in coelestibus: navis ecclesia et quotquot sumus in vera fide, imo ipsa fides navis est, in qua Christus est, quae periculis vexatur assiduis. Quae cum ita sint, ut necesse sit nos semper in periculis versari, beatus ille qui sentit sua pericula, infelix, qui nulla sentit, non qui nulla habeat: cum non sit homo ullus sine plurimis maximisque periculis. Sed et non videt se in periculis, imo mortuus et submersus est in periculis. Quia sicut nulla tentatio est duplex tentatio, imo universa tentatio: ita nullum periculum est maximum omnium periculum, et summa securitas summa tentatio, summae divitiae summa inopia, sicut dicitur: summa iustitia

---

*) Loescher. I, 787 sqq. Walch. XII, 2320 sqq.

summa iniquitas, summa sapientia summa stultitia, et omnino extremum quodque fit omnium extremum et eius maximum periculum. Varia tentatio nulla tentatio, summa turbatio summa pax, summum peccatum summa iustitia, summa stultitia summa sapientia, quia in illis stultus quiescit in se oblitus Dei, in istis prudens relinquit se et confugit ad Deum. In se autem quiescere et Dei oblivisci omnium malorum sentina est, in Deum autem tendere est summa omnium bonorum. Sicut B. Jac. cap. 1: omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias iucideritis; et contra: Agite nunc divites, plorate et ululate in miseriis vestris etc. Et Isai. 47: Et nunc audi delicata et quae habitas confidenter, quae dicis in corde tuo, ego sum et praeter me non est altera, non sedebo vidua et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo haec subito in die una sterilitas et viduitas, et Ps.: veniet super te repente miseria, quam nostis.

Quare bene habent, quibus irrumpunt aquae in navim suam, quia moventur ad auxilium Dei quaerendum. Et idcirco vide, quomodo Christus in omnibus nostrum lucrum quaerit, et etiam dum dormit nobis servit, dum relinquit nos suscipit, dum sinit procellis turbari, etiam promovet. Siquidem per haec operatur, non ut pereamus, sed ut ad ipsum revertamur, ut magis ac magis assidue salvemur. Vult enim excitare sui in nobis desiderium, ut clamemus porro: Clamare nos vult ut exaudiat; exaudire vult, ut salvet, ac sic erudiat nos de nobis diffidere et in ipsum confidere. Idque vere sicut dicit: Ego occido et vivifico; h. e. quod hic suscitare dicitur liberari, docemur ergo, quod dormiente perimus. Nam cui non dormit Christus, non perit: qui non perit, non clamat, qui non clamat, non exauditur; qui non exauditur, nihil accipit; qui nihil accipit, nihil habet; qui nihil habet, peribit. Unde fit, ut qui non perit vere pereat, et cui Dominus non dormit, vere nunquam ei vigilat. Igitur dormi, Domine Jesu, ut vigiles; et sine perire, ut salves nos.

Quod si etiam ab extra mundus totus nos quietos sinat, ecce unusquisque sibi ipsi satis magnum et spatiosum est mare, plenum reptilibus in nobis et animalibus parvis et magnis. Imo et draco ille magnus in nobis est. Nam vide, quot procellas solus oculus suscitat, quot auditus, quot gustus! Ipsa denique anima lubricissima, quot capitalia et reptilia habet cogitationum. Quot animalia parva et magna, i. e. varia variaque desideria, curas, et odia, timores, spes, dolores, gaudia vana! Accedit hinc draco, i. e. tyrannis illa carnis, fomes concupiscentiae, lex membrorum. Quando ille furit in suo turbine, quis tutus, quis quietus? Vide, quantis miseriis in nobis ipsis repleti sumus. Vere ille plorat: Oculus meus depraedatus est animam meam. Et iterum: Mors intravit per fenestras nostras. Qui haec non sentit, mortuus est, ut dixi; qui vero sentit, certe hic est unus discipulorum, qui suscitat Jesum, dicens: Salva nos, Domine, perimus. Sed proh dolor: quam multos videmus ac fere omnes mersos Christianos, quam paucos clamantes. Quin id etiam agimus pro iustitiis propriis, ut non invocatione Christi salvemur, sed viribus operum nostrorum. Securos nos facimus, ut tentationes vitemus, nolentes periculis urgeri ad clamandum et volentes operibus bonis frui ad pacem habendam, i. e. millies millies pereundum. Vae illis!

Sermo

in die Purificationis Mariae a. 1517.*)

Origo huius festi primum enodabitur. Nomen sonat purificatio (Reinigung) Mariae. Inter gentes

---

*) Hunc sermonem de Malach. 3, 1—4 primus edidit Loescherus ex Mso. in libro: Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theologischen Sachen a. 1703. Leip-

atque Romanos id erat consuetudinis, ut in principio Februarii mensis (qui et februatio dicta est, purgatio et lustratio) sepulcra mortuorum luminibus visitabant, atque civitatem isto pacto purgabant; credebant enim, mortuos per hoc sibi effici propitios. Crescente ergo ecclesia, cum Christi nomen coepissent confiteri, mansit ille mos gentilitius, et ut non raptu quodam uterentur, nomine Virginis celebratur. Quare adhuc operae pretium est, prospicere Christiani, ne abolitam consuetudinem suis pompis introducant. Mulierculae siquidem gaudent longitudine et magnitudine ceremoniarum et laudi ducunt, si quam candelam satis magnam deferant; potius autem eius expensis suos ut nutricent pueros mavelim et sustentarent familiam. Nihil enim fructus in iisdem situm est. Sic igitur evangelium et epistola purgationem clamitant: Und das gilt dem alten Adam, qui purgandus est, et haec purgatio si sit, videtur nobis contaminatio. Sic enim Malachias:

Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, der Herrscher, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.

Ecce purgationis ordo, atque praescriptio. Hactenus populo praedicatum est de maximis indulgentiis, per quas homo ipse a seculi huius miseriis, passionibus, laboribusque liberetur, cum tamen deus non velit passiones ipsas amovere, sed multo magis super addere, cum tamen omnes scriptura sanare videtur unico verbo de indulgentiis, quod est credere in Christum. Passio Christi et sanctorum sanctificant in fide membra ossaque eorum ac cetera, quae tetigerunt. Cur igitur nos miseri acceptamus ea, quae minora sunt, meliora

---

zig 1707; ibique legitur p. 67 sqq. cf. Loescheri Reformationsacta I, 795, Germanice ap. Walch. XII, 1652 sqq. Nos textum repetivimus ex libro: Unschuldige Nachrichten etc.

relinquentes? Mundam enim atque purgatam animam vult Christus; ergo dixit Petro: Quodcunque ligabitur super terram, erit et ligatum in coelo, et quodcunque solvetur in terra, erit solutum in coelo: non ut summi pontifices irae cum quodam impetu ac violentia egere: Proh dolor! quod summi loco solatii nobis datum est, id iam terror et timor factum est: dann man kann jetzt und nicht anders denn verfluchen und verbannen. Id quoque nobis dictum est, es gilt uns. Nunc dicas, iam tam confessus et contritus sum, tam omnia peccata mea indulgentur mihi. Bei Leib nicht. Venenum id est atque exitium; solum crede verbo, quod dicit sacerdos in absolutione, ut nec suo nec tuo merito absolvatur. In fide est confessio; verus enim poenitens nescit se poenitere, ergo multo minus sacerdos, ex quorum numero quidam solum eos volunt absolvere, quos vident bene contritos: Aus mit denen! Ideo mittitur angelus vel Christus praeparans viam, mundans corda nostra; et statim veniet dominator, quasi diceret: Sonst wird er nicht kommen, es muss vorhin rein sein. Ecce venit, dicit Dominus:

Et quis poterit cogitare diem adventus eius?

Christus nimirum adveniet ita, ut quilibet nesciat, eum adesse. Confundit singula, ut illi videatur perditio quaedam atque calamitas magna advenire. Simile est hic crassum in ligno tornatili: lignum iam notum ac enormem rotundam naturae figuram habens: faber autem lignarius accedit, primum latus unum deplanat, dehinc autem secundum; et si lignum loqui posset, quid vis? diceret: responderet faber, octogonum lignum ex te ut faciam: Mitte, responderet lignum denuo, ex asse corrumpis me, iam enim vix duos habeo angulos. Sic etiam in homine est, ut primo intuitu videatur corruptio adesse et destructio, ergo nec cogita diem adventus eius.

Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans (ein Backofen und Schmelzofen) et quasi herba fullonum.

Confidat nemo hic. (Lass es alles frei fahren). Igitur nemo stabit, nam potestati eius quis resistet? Veniens enim nostra consilia dispergit, et redigit in nihilum, unde in nobis purgatorium. In Hebraeo dictio una ponitur Borith. S. Hieronymus herbam fullonum reddendum esse dicit; sed si ego haberem tantam potestatem, purgatorium traducerem. Fullo praeterea non est, quem nos vulgo Wollenweber oder Knap dicimus, sed artifex erat mundandarum vestium, ad quod Borith herba erat accommodatissima, uti nobis est smegma, vel aliquid tale, fimus gallinarum etc.

Et sedebit constans et mundans argentum et purgabit filios Levi, rotans eos, quasi aurum et argentum.

Christus ignis est non levis, sed qui dissolvit quaeque durissima, cum aurum et argentum eius flammis liquescant. Non etiam quemlibet purgabit; sed qui digni sunt filii Levi, qui ex omnibus tribubus erant selecti, ut legitur Deut. 1: filios Dei, qui fide sancta atque integra in eum credunt.

Et erunt Domino offerente sacrificia iniustitia.

Vel fide Christi: iustus siquidem ex fide vivit. Purgat suos Christus, expolit, ut dicat in Cantic.: Pulchra es, et macula non est in te. Purgati iam non quiescunt, sed quasi furnus igneus flammas operum evomunt, habent caritatem et Deum honorant: igitur offerunt in iustitia vel omnia, quae a Domino acceperunt, reddunt et retribuunt.

Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem.

Deus acceptat ea, quae ipse in nobis operatus est, non nostra; nec placent nostratia, nisi ipse

ista effecerit. Igitur consultum est Christianis, ut solum exspectent et quid eos deus velit et in quo genere vitae ac statu vocati sint: hoc summopere (et si renisus maximos habuerint) compleant ac perficiant, hoc est enim mundare.

Sermo

Dom. Septuagesimae, a. 1517. *)

Hi una hora fecerunt et pares nos illis fecisti, Matth. 20. Hic primo patet, cum Hebraea lingua verbis transitivis utatur absolute seu neutraliter: nam fecerunt, inquit, i. e. operati sunt, s. fuerunt operatores, cum tamen statim sequatur, pares nobis fecisti. Secundo patet, quod numerus horarum sumatur a fine earum, ut hora prima est, quae finitur in initio secundae, ac si quis hora prima incepit operari, intelligitur hora 7. incipere, si 6. apud nos pro prima diei accipiatur: 7. enim erit prima, 8. erit secunda, 9. erit tertia, 12. erit sexta, 3. erit nona, 5. erit undecima. Probantur haec, quia hic dicitur, quod una tantum hora laboraverint, qui venerunt hora undecima: ergo sequitur, quod illa fuerit ultima diei, qua finita sero mercedem acceperunt; sed ultima est a 5. ad 6., ergo hora 5. venerunt et usque ad 6. laborarunt, quae est duodecima. Et hoc modo etiam Nurenbergae horologium signat horas, ut prima hora sit, postquam per integram horam dies fuerit. Tertio mysteria grandia habet hoc evangelium. Et quidem alii una hora, alii tribus, alii 6, alii 9, alii 12 horis aequalibus naturalibus laboraverunt. Nam qui h. 11. venerunt, unam horam, qui h. 9. venerunt, tres horas, qui h. 6, sex, qui h. 3, novem, qui h. 1, duodecim laboraverunt. Quis ista mirabilia edisserat!

---

*) Hic sermo de Matth. 20, 17 detegit huius evangelii mysteria et legitur apud Loescher I, 789, german. apud Walch. XII, 2324 sqq.

Tantum progreditur numerus laboris, quantum retrogreditur numerus vocationis; et contra, quantum progreditur numerus vocationis, tantum minuitur numerus laboris. Minimus est numerus vocationis h. 1, sed maximus laboris scilicet 2, et minimus est numerus laboris hora 1, sed maximus vocationis, scilicet 2. Et ternarius vocationis habet novenarium laborem et huic contrarius novenarius vocationis habet ternarium laboris, inter quos medius senarius vocationis aequalis est senario laboris. Quinque hos gradus putes quinque sensus humanum genus significare.

Sed nota, quod primi non nisi pacto certo denario laborant, secundi etsi non certo praemio ut primi, non tamen sine pacto praemii laborant. Ideo de primis dicitur, quod conventione facta ex denario diurno missi sint; hi sunt, qui Deo non serviunt nisi gratia sui ipsius et hoc ipsum certo et signato ac electo a se praemio, ut qui propter temporalia Deo serviunt. Hi quia non libero corde, sed cupiditate serviunt, ideo laboriosa est eis servitus Dei, et difficile eam sustinent, magis suum lucrum quam Dei voluntatem spectantes. Hic est populus synagogae rudissimus. De secundis dicitur, quod iustum est, dabo vobis. Hi paulo melius confidunt Domino, adhuc tamen lucrum quaerunt et quae sua sunt; sed hoc primis meliores, quod id ipsum in manus Domini statuunt, non eligentes nomen praemii: sed et hi sunt mercenarii. Tertii et quarti neque de certo, neque de incerto praemio paciscuntur; sed nondum perfectae libertatis servi, eo quod non nisi iussi laborent, non ita promti ut cupiant laborare et Dominum habere. Quinti vero liberrimum genus et electum meritoque praemii. Hi dicunt, quod nemo nos conduxit, quasi dicerent: O quam libenter operaremur, si modo digni haberemur, si quis conduceret modo. Ecce, sicut una hora liberalis et promtae servitutis in humilitate plus facit, quam totus dies mercenariae et invitae servitutis in superbia. Nam quod primi superbi fuerint, ac suum laborem aliquid aestimarint, patet, quia non

nisi certo praemio vendere voluerunt. Secundi similiter non nihil sese esse arbitrati praemio dignos se reputaverunt. Tertii et quarti vel similiter (ut textus docet) praemium spectaverunt, aut, ut dixi, non nisi iussi fecerunt. Hi vero libere sine praemii nomine, insuper cum gaudio plus quam iubebantur facere, imo dolentes, quod non sit qui iubeat, promtissimi scilicet.

Et hos gradus operariorum credendum est in ecclesia semper perseverare. Sunt enim sacerdotes, qui opus Dei faciunt sub certo lucro, quorum plenus nunc totus est mundus: alii (ut mendicantes) sub incerto, alii quidem vanae gloriae zelo ducuntur, alii sua voluptate faciunt in Christi mysteriis, et reprobantur in quatuor generibus. Novissimi vero sincera Dei dilectione praedicant, et hi brevi cursu brabeum consequuntur, ut vere hodierna epistola dicit: Omnes quidem currunt, sed unus accipit brabeum.

Sed omissis profundis intelligentiae abyssis unam educamus doctrinam, quod sc. humilitas sola, sicut ubique, ita et hoc evangelio nobis commendatur. Nam primi nisi fuissent superbi, non utique murmurassent, neque questi fuissent, quod eis pares fecerit, qui minus fecerant: imo nec iactassent opus suum, pondus sc. diei et aestus. Talem superbiam necesse est haberi ab omnibus iustitiariis, qui ignorantes Dei gratiam suum esse praesumunt, quicquid possunt et faciunt, et Dominum debere iudicare non secundum bonitatem suam, sed secundum pondus operum suorum. Sed qui gratiam cognovit, nihil miratur, si Deus dat praemium aequale pro modicis et magnis operibus. Denique necesse est, ut huiusmodi homines cadant in oculum malignum et invidentiam praemii gratiae. Sic hic dicitur: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, quasi diceret, bonitas mea in alios facit, ut tu invideas eis. Igitur non operum magnitudine, nec iustitiarum labore, sed sola bonitate gratificationis Dei consequimur omne praemium. Quid ergo superbis, o homo? Quid ad te, cui,

quando, quomodo, quantum misereatur Deus. Sufficiat tibi eius sancta et iusta voluntas, quae etiam tibi dedit labores tuos, quibus tamen contra eum inflaris.

Sermo

Dom. Sexagesimae a. 1517. *)

Exiit seminans seminare semen suum, Luc. 8. Quatuor genera hominum verbum Dei audientium hic Dominus describit, certe satis terribili parabola, scilicet quod solum unum ex illis quatuor salvatur. Primum est, quod secus viam: hoc est latissimum genus hominum, sed eorum, qui nullum prorsus affectum habent ad verbum, nisi forte perversum, i. e. qui delectantur audire et scire, non autem audita et scita amare et facere. Quales sunt multi etiam doctissimi, abundantes libris et cognitione scripturarum, grandia loquentes, mira interpretantes, subtilia meditantes: quorum fastidiosus animus non saturatur scientia, sicut nec oculus visu, nec auris auditu, sed multa quaerunt scire, tantum praeterire sinunt omnia quae scierint: sicut ex visu nihil retinetur eorum, quae visa sunt. Et in hoc genere plures sunt, quam ipsimet credunt, hoc uno laqueo maxime falsi, quod sibi videntur multa scire, libenter audire, legere, meditari scripturas, non autem advertentes, quod nec unum ex omnibus, quae sciunt et audiunt, cum virtute producunt in opus et vitam. Nonne et ipsi sciunt, legunt et audiunt, quod spinae sint divitiae, voluptates, curae huius vitae? At quis illis persuadebit, ut hoc, quod sciunt, credant verum? Quis efficiet, ut tanto

*) Hic sermo, qui secundum Luc. 8, 5 quatuor hominum Dei verbum audientium genera describit, legitur apud Loescher. I, 791 sqq. et German. apud Walch. XII, 2329 sqq.

horrore divitias, voluptates honoresque formident, quanto formidant spinas? Igitur contra omnium sensum et opinionem etiam doctissimorum est, ut divitiae sint spinae. Quare recte quidem verbum Dei cadit super eos, sed quia sunt iuxta viam, aliarum rerum sunt triti et octecti vestigiis. Ideo diabolus aufert ab eis verbum, quia conculcantur ab affectibus aliarum rerum. E. gr. audis hoc verbum, divitiae sunt spinae, est semen bonum, sed cadit iuxta viam, i. e. cor, quod conteritur et calcatur universis affectibus temporalium rerum, ideo volucres illud frustra ibi in memoria iacens tandem comedunt, et manet affectus rerum. Hic vide, quam terribile paradigma, quod in agris videmus corvos semina comedere, et iuxta viam conculcari segetes et sata. Secundo quod cor hominis terrena sapientis comparatur viae conculcatae et tritae, quia inferior est et servit rebus transeuntibus, quas amat, formatur enim ad vestigia transeuntium. Desertum autem, i. e. anima casta sine via est in invio et inaquoso, qui soli Deo in invisibili servit, si igitur tam multi sunt qui pereunt, tametsi audiunt verbum Dei, quanti pereunt qui non audiunt?

Secundi sunt, qui super petram seu petrosa, quae enim ibi crescunt prima eruptione magnam spem sui faciunt, tanquam grande aliquid futura. Hi sunt quos fervor novitius velut impetu quodam facit festinare ad coelum; sed paulatim tepescentes penitus exarescunt, quia diuturnitatem et perseverantem longanimitatem non habent, sed vel vi persecutionis instantis exhausti, ut multi, vel odio tandem fatigati desistunt. Hic gradus altior est primo et tantum paucorum, nec ipsi denique salvantur; quia non qui inceperit, sed qui perseveraverit, hic salvus erit. Miserabile et horribile dictu, tam bona principia bono fine fraudari. Quis est enim, qui tanto fervore perficiat, quanto incepit? Quantos per singulos dies videmus retrorsum respicere, et manu remissa ad omnia tandem obdurare et surdescere! Si non credis, inspice religiosorum et sacerdotum, ut papae etc., securam, tepidam et

ignavissimam vitam*). Quorum quanto fuerunt initia ferventiora, tanto nunc sunt profectus ignaviores, ut facilius publicanum et meretricem corrigas quam unum illorum permoveas. Citius malum facias bonum, quam bonum meliorem: et quis erit finis eorum, qui sic ad vomitum revertuntur? Insensati et ad pristina, imo peiora relapsi sunt, nec hoc ipsum sentientes et credentes, sed de ineptae vitae continentia securissime stertentes, insensibiliter pereuntes. Quis, inquam, erit finis et consummatio, quorum talis est profectus? Nempe ille: melius erat illis non agnovisse veritatem, et filii gehennae duplo fient quam alii. Qui contra omnia peccata mortalia pugnare coeperint, sola acedia superantur et ad omnia revertuntur, etiam peiora. Quod proprium est iustitiariorum in propriis viribus tacite confidentium, qui ignorant, quod iugi suspirio et assiduo gemitu gratia sit sitienda, quaerenda, accipienda: nec unquam incepisse praesumendum, ut scriptura dicit, homo cum consummaverit, tunc incipiet. Nam et sancti hanc gravissimam et periculosissimam tentationem in se ipsis senserunt et questi sunt, ut: Adhaesit pavimento anima mea, confirma in verbis tuis; et: Dormitavit anima mea prae taedio, vivifica me secundum verbum tuum. Et totus iste octonarius quid est aliud nisi assiduus gemitus ferme contra solam acediam insidiosissimam pestem omnibus spiritualibus animabus, et unicuique suus sensus. Mihi videtur, primam persecutionem ecclesiae fuisse vim potestatis in tyrannis, secundam astutiam sapientiae in haereticis, hanc tertiam novissimam esse tepiditatem nequissimae acediae in hypocritis. Contra primam martyres, contra secundam doctores, contra hanc nemo pugnat, nisi vigiles et exhortatores, quorum spiritus a Domino suscitatur; ceteri stant in via peccatorum, i. e. in secura sua iustitia, pertinaces et obduratae frontis facti sunt.

---

*) Mascula et verissima confessio.

Tertium quod inter spinas: Heu miseria! hi meliores quam secundi, quia laboriosi et patientes sustinent et perseverant in verbo; sed hoc ipsum etiam frustra, nam tandem suffocantur spinis. Nota verba, signa, mysteria. Primi conculcantur et comeduntur, tanquam nihil omnino sui memoria relinquentes: secundi crescunt, tanquam aliquid sint, incepti saltem et conatus vestigium relinquentes: tertii suffocantur, tanquam satis pingues et efficaces, nequaquam aridi et tepidi velut per vim exstincti: sicut moriuntur, qui non naturali morte per vim occiduntur. Hoc, hoc est, quod horribilissime sonat, quod tam pia corda bonae radicis, sanctae intentionis, firmi propositi et ferventis studii, quibus nec ipsa etiam perseverantia desit, tamen fructu fraudantur. Hi itaque sunt, qui duobus dominis servire praesumunt, simul Deo et mundo placere, faciuntque multa propter Deum et magna, sed hoc ipsum fit eis in laqueum et periculum, quia per hoc sibi placent, quod sentiunt se affici donis et fructificare ac crescere, et satis pie sibi conscii, interim secure mundo serviunt, ut non renuncient spinis, imo nec sentiant eas. Nam quis neget, quod seges inter spinas grana proferat, sed suffocatur nec pervenit ad fructum segetis. Ideo optime dicitur, quod simul exortae spinae, quia simul accrescit affectus temporalium cum minis, sub affectu coelestium. Det Deus ut moriar, si hos dixero esse, qui serviunt quidem devotissime Deo, sed propter lucrum vel honores, vel saltem propter suum spirituale commodum sive in hac, sive in futura vita; qui error spinosissimus hodie est eorum, qui sanctissimi habentur inter religiosos etiam, nedum sacerdotes et seculares, qui omnia quidem faciunt ferventer et perseveranter, sed intus occultissime sui amore suffocantur. Vide ergo, quantis gradibus opus est, ut ad verum fructum pervenias. Hic autem tertius gravissimus omnium, quia subtilissimus. Nam his, qui divitiis toto serviunt corde et ipsis voluptatibus, sine omni *bona* viventes specie, nec ad primum quidem gra-

dum, quia nihil verum advertunt, sed hi eximia virtutis specie elucentes, sed secretissime suffocatrices spinas, i. e. sui affectiones, non advertunt. De qua vide latissime sermones fere Tauleri omnes, qui hunc hypocritarum defectum et clarissime cognovit et copiosissime insectatus est. Non tamen negandum, quod hoc in gradu etiam seculares divites sint quicunque, qui duobus servire volunt dominis; sed proprie istos spinosos designat hypocritas, qui ignoranter suffocantur, nec suas intelligunt spinas.

Quartum itaque genus est terra bona et optima. Graecus non habet optima, sed ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, i. e. in corde honesto et bono, καλός enim, quod hic bonum interpretatus est, honestum, pulchrum, bonum significat, h. e. ut Divus August. lib. II. contra Academicos exponit, ipsa exterior mundities elegansque rei adspectus, seu forma et species. Igitur cor pulchrum et bonum est, cuius foris et intus idonea ad verum est natura: nam honestum potest et intus foedum habere. Ideo addit bonum et honestum. Hi sunt igitur, qui nudo et solo totoque corde verbo serviunt, nullis impediti affectibus, libere fructificantes in patientia, quia necesse est, ut boni patiantur multa. Ideo secundi crescunt et tertii suffocantur, primi nec audent incipere, sola patientia necessaria est. Hic iam memoralibis illa sanctorum referenda est distinctio de fructu trigesimo, sexagesimo, centesimo, quod alii Evangelistae, Matthaeus, Marcus ponunt. Centesimus virginitatis, sexagesimus continentiae, trigesimus coniugii castitatem significat. Et vere totius evangelii virtus est castitas. Quid enim aliud quaeritur per verbum, nisi mortificatio carnis? Cui sine dubio omnes virtutes (mortua radice libidinis) adhaerent. Nihil enim expeditius est ad omnem virtutem castitate, nihil autem impeditius libidine, nam quae carne calcatur propria, quid sperandum, quod in aliena carne vel spiritu magnum praestet? Recte ergo ante omne meritum et opus seu fructus. Primum ipsae personae distinguuntur. Virginum-

est, lumbos accingere, tum deinde in manibus habere lucernas ardentes. Non tamen id negandum, quod coniux potest melior esse quam virgo, nec ideo centesimus praestat trigesimo, quia minus excedit: quia non pondus meritorum, sed dignitas gradus in illis exprimitur verbis. Unum ponunt illa verba et secundum pondus et distinctionem accipi meritorum; quod alius operatur trigesimo fructu, sive nupta sive virgo, alius, itidem nupta vel virgo, sexagesimum, alius deinde centesimum, quia plura facit opera, seu illa sint meliora seu non: et secundus excedit primum in duplo, tertius vero triplo et ultra.

Sermo

de Passione Christi a. 1518.*)

Ecce homo! Magnae scilicet notionis est hoc verbum et breviter idem exprimit, quod Jesaias cap. 53, Vidimus eum et non erat aspectus, item, non est ei species neque decus. Videns enim Pilatus eum tam foede cruentum et lacerum, spinatum et sputatum, ut iam homini non esset similis, prorupit nobili, licet dura, miseratione in haec verba: ecce homo! quasi diceret, videte utrum sit homo iste putandus. Det autem nobis Deus, ut saltem Pilati exemplo Christum intuentes oculis animae inspicientes et stupore nimio in breviloquium rapti dicamus, velut reveriti et consternati: ecce homo! Quasi diceret Christianus, sese ex omnibus viribus

*) Hunc sermonem et alterum, qui sequitur, a. 1518 habitos, Loescherus primus e codice manu scripto, quem ipse habebat, in lucem protulit. Ex priore sermone sine dubio appendix illa est decerpta, quae sermoni: de digna praeparatione cordis pro suscipiendo sacramento, addita legitur et inscripta est: Quomodo Christi passio meditanda. Loescher. II, 587 sqq. Walch. X, 1405 sqq. coll. Opp. Luth. lat. Jen. I, p. 176.

revereri, stupere, et mirari, meditans vel audiens, tam foedam Domini sui pro se patientis ignominiam et cruentationem: quod si non stupet et liquescit medullitus in tantis tanti ignis irritamentis, imo caminis, graviter certe debet timere et dolere, quod tam durum et insensatum pectus habet ad stuporem. Quod si non timet aut dolet, doleat saltem, se non dolere neque timere, multum prona enim sunt haec signa, mortuam esse animam et Christo vacuam, et a diabolo possessam, nam in quo Christus habitat, quomodo potest ipso plorante non complorare, ipso dolente non condolere, ipso tremente non contremere, ipso patiente non compati? quum spiritualis homo gaudeat cum gaudentibus et fleat cum flentibus, capiatur cum captis, vulneretur cum vulneratis, patiatur cum patientibus, et omnino omnium hominum affectus et casus suos faciat cum affectu compatiendi, et discipulus, quem diligit Jesus, ubi debet stare etiam iuxta crucem Jesu. Ideo qui vult fructuose passionem Christi audire, meditari, legere, oportet eum induere affectum talis compassionis, ac si sociatus Christo in passione quicquid audit Christum sustinere, se quoque fingat vel putet sustinere iuxta eum, ut si Christum audit alapis caedi, vinculis ligari, se pone eum alapis similiter caedi et vinculis ligari: et quando sibi videbitur dolere, ita incomparabiliter magis credat et sciat Christum in eodem dolore, et se quidem iuste, Christum autem pro se et aliis hominibus. Hanc compassionem optime novit latro in cruce. Deinde discat sic cognitionem ex Christo, ut magis ploret. Nam Christus quoniam nostram gessit in passione, ideo nostrum est, quod tales simus nos coram Deo, qualis ipse voluit apparere pro nobis coram hominibus. Sic ipse testatur in apocalypsi: Et plangent se super eum omnes tribus terrae. Plangere itaque nostrum esset, plangi oportet super Christum, sicut ipse super nos planxit unus, et nostrum est omnes plangere, unum pro omnibus, et omnes pro uno, sive hoc fiat in futuro, sive in praesenti. Beati qui lugent et plangunt in

praesenti cum Christo, quia consolabuntur cum Christo: miseri, qui consolantur in praesenti, quia plangent cum diabolo in aeternum. Crucem erexit Deus, quis deponet? Filium suum in ipsam suspendit, quis liber erit? Dominus luxit, et creatura ridebit? innocens passus est, et nocentes transibunt? Sie werdens lassen. Igitur mirum est in tantam oblivionem venire crucem Christi, an non est oblivio crucis eius, quod nemo aliquid velit pati, et quilibet in libidinem et pacem ruit, et crucem fugit? sub sauciato capite membra nonne contra mores est gaudere dolente capite? Igitur notemus passionem Christi dupla notitia, sicut sacramentum et exemplum. Sacramentum est, quod nostram mortem spiritualem sua morte corporali significat, imo et occidit et sustinet. Occidit scilicet veterem hominem, qui vixerat male, et suscitavit novum, qui mortuus fuerat non bene. Igitur qualis Christus est in corpore, tales nos fuimus et sumus in mente seu spirituali homine. Ideo gemendum et plangendum super nos ipsos, ut cum Christo moriente, morituro moriamur. Vetus homo et omnium malum, quod cadet super internum hominem verum et super externum: ut sicut Christus est

Vinctus		Vincti
illusus		illusi
maledictus		maledicti
consputus		consputi
cruentatus	sic et nos in anima	cruentati
spinatus	fuimus et sumus	spinati
confossus		confossi
crucifixus		crucifixi
mortuus		mortui
despectus		despecti.

Ideo quivis nunc videat, si talem se sciat esse et credat, qualis in veritate est. Quis enim non septies insanire diceretur, qui in tantis malis suis sempiternis rideat ac non plangat? Primum itaque, quod Christus sua passione nobis ostendit, est quod nobis materiam cognitionis det et osten-

dat, quales simus intus coram Deo, ut his agnitis non cessemus plangere, dolere, flere et poenitere, donec liberemur in aeternum. Quae cognitio si in nobis obtineret et nostrum defectum praevaleret, facile esset nos mites, patientes, humiles, viles, permittentes, mundi-contemptores fieri et exemplum passionis Christi imitari, insuper et petere, ut Psalmo 53: averte mala inimicis meis, aufer a spiritu meo mala ista et transpone ea in carnem cum sensibus suis in veterem hominem, qui sunt inimici mei, (Spiritus enim loquitur): inimici enim hominis domestici eius, in veritate tua disperdes illos, sicut promisisti, et in plenitudine tua spiritus, scilicet quia passionem Christi non intelligimus et obliti sumus, imo et nos ipsos nos agnoscimus in ea, quae extra nos sunt capimus. Quomodo enim potest anima ab amarissimis lacrimis aut saltem gemitu cordis se continere, quae Christum crucifixum induta intelligit et videt suam miseriam plenam omni malo et desperatione? Nam fidele et non mendax signum hic miseriae nostrae nobis exhibitum est, qui nescit vel dubitat quis sit, hunc inspiciat et videbit.

Conclusio. Quod Christi passionem nondum intelligit, qui non se ipsum in illa depingi cernit, et vane Christo compatitur, qui sibi ipsi ex illa non discit compati. Stultus enim es, si Christo super te dolente et patiente tu securus de te eas, velut compassione tui minus egens, in Christi enim compassione personaliter agas, ille pro te dolet, et tu non te, sed pro illo doles, quasi melius quid facturus, qui illum plangis in te, quam te in illo, quum non nisi nos in illo oporteat plangi: sicut dicitur: Filiae Jerusalem nolite flere super me sed super vos ipsas flete. Et iterum: plangent super eum omnes tribus terrae, et Sapientiae, miserere animae tuae placens Deo, cave tuae, inquam primitus. Istis enim verbis Dominus videtur prohibere, ne super eum fleamus, sed sane intelligitur contra pueriles et muliebres planctus loqui, quibus homines carnali affectu Christo compatiuntur, et eum velut remedio

et auxilio cupientes solari, se ipsis neglectis et super se ipsos non flentes. Hac enim compassione sui quaerit in nobis dolorem nostri in ipso et ideo ostendit, se nolle istum carnalem planctum, quo se ipso oblito homo plangit aliud. Nam homo sensatus in omni malo, quod videt, in quacunque materia prius se ipsum in illo deplorat, timens et sciens, se talibus et maioribus dignum. Sed in quo possemus nos magis agnoscere et plangere quam in Christo? Nusquam utique: quia hic intelligit homo miseriam suam, quae, qualis, quanta sit, quia si pro nostra miseria talis ac tantus patitur, scilicet unigenitus Dei filius, incomparabilis persona, innocentissimus, dignissimus, nec nostra potuit miseria auferri, nisi infinita et inaestimabilis esset persona. Quis non terreatur ac penitus contremiscat, tantam suam esse miseriam, nempe infinitam et aeternam. Idcirco se ipsum in Christo legens vehementer compungetur et lamentabitur, ideoque regulariter notandum est et diligenti memoria tenendum, quidquid Christo infligitur, esse vulnera et mala, quae nobis per diabolum et peccatum inflicta sunt in anima, et significare perpetua mala, quae nobis per iudicium Dei infligenda sunt. Secundo in quocunque Christus accusatur innocenter a Judaeis intelligendum, nos eodem accusari a daemonibus coram Deo in conscientia veraciter, a qua accusatione horrenda non liberamur, nisi per iniustitiam accusationis Christi. Ideo per Judaeos intellige daemones per Christum veterem hominem ex Adamo animam in peccatis natam et viventem, per tribunal Pilati iudicium Dei. Accusaris itaque, o anima misera, quod filium Dei defeceris, populum seduxeris, tributum dari prohibueris, regem te dixeris, blasphemaveris, malefactor fueris, quia et vere talis est omnis homo extra Christum. Quid ergo his te accusantibus, urgentibus, oppones? Plorabis et agnosces vera esse. At tu Christum respice, qui ea pro te subit et suscipit innocens, et dices illis te urgentibus: fateor, vera sunt, Filium Dei eheu me feci etc. Sed haec obiecta per Christum evicta sunt. Jam

enim nulla sunt, sed fuerunt, quia in Christo non sunt, in quo tamen omnia sunt, et ista fide salvus eris. Ita tamen, ut semper te talem agnoscas, qualem te format Christus, et sic a te fugias ad illum vera fide, videns ea, quae tua sunt, in eo absorberi et nulla fieri.

Alius sermo de Passione.

Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Psalm. 44. In Hebraeo pro speciosus forma dicitur pulcher pulcher geminando, per quod exprimit excellentiam pulchritudinis, quasi dicat, pulchra seu electa pulchritudo est in te. In aliis enim pulchritudo est, sed in te pulcherrima pulchritudo. Imo in aliis foeda pulchritudo est, in te autem pulchra pulchritudo, ita ut et foeditas in te sit pulchra. Quae res mira est, quod illud, quod in aliis deforme est, hoc in te pulchrum est, adeo abundat in te pulchritudo, et quod in aliis pulchrum et quod foedum in te esset, non est in te. Quid enim mirabilius, quam quod sputa, livor, pallor, cruor, vulnera, et omnino nulla species speciosa in te sunt. Quod ut intelligamus notandum, quod Scriptura praedixit utrumque futurum, scilicet maximam speciem et maximam foeditatem, ita ut Jesaias 53. dicat: non erat ei species, neque decor. Ideo diversimode oportet intelligere; iuxta enim oculos carnis eum aspiciendo fuit novissimus virorum et despectus, et sic loquuntur scripturae, quae eum futurum abiectum et sine specie praedicant. Secundum oculos autem spirituales nihil pulchrius quam ipse est. Hunc enim oculi carnis et animae, quae iuxta carnem sapiunt, non possunt videre, sic enim fuit vere speciosus forma prae filiis hominum. Quae est ergo ista species et forma? Respondetur, sapientia et caritas, imo et lux pro intellectu et omnis virtus pro affectu. In Christo enim patiente et moriente relucet omnis sapientia et veritas, quibus intellectus ornari potest, omnes enim thesauri sapientiae et scientiae sunt in illo

absconditi; ideo absconditi, quia mysticis et spiritualibus oculis visibiles et in eodem lucis omnis fons et caritas, quibus ornatur affectus. Et sic propter utrumque dicit apostolus 1 Cor. 1: quod Christus sit nobis factus caritas pro affectu et sapientia Dei pro intellectu. Sed Judaeis scandalum pro affectu et gentibus stultitia pro intellectu. Igitur finge iustitiam, pondera, quae putas, omnis pulchritudo et species sit in aliquo uno loco, in uno cumulo viderentur omnes sapientiae, scientiae, artes et quidquid intellectum potest onare, et simul omnes virtutes ut humilitas, spes, fides, caritas, mititas, iustitia, misericordia, pax, patientia, modestia et quidquid affectum ornare et delectare potest. Sic diceretur vulgo de aliquo docto et sancto viro: Das ist ein fein Mann, hic est pulcher vir, scilicet pulchritudiue scientiae et sanctitatis, et contra, haec est foeda meretrix. Si enim hoc optabile et videre esset pulchrum spectaculum, aperiamus oculos cordis nostri et inspiciamus tantum. Ecce enim Deus in uno verbo abbreviato omnia ista consummavit, ut sit nobis vere verbum abbrevians et consummans, quia omnia ista hic non mortuis literis et figuris, ut in libris picta scriptave sunt, sed in minimis operibus et realibus signis. Tot enim litterae singulas virtutes hic signant, quot guttas, verbera, ictus Dominus patitur. Nam in quolibet illorum velut signo aut littera aut integro verbo ostenditur tibi humilitas, mititas, caritas, patientia. Nam discerne per singula et disce in hoc realiter legere, quid significet, quod sudat sanguinem (ut interim taceamus intellectus, eruditiones et prophetias) nempe summam pro te caritatem, summam propter te humilitatem, patientiam, misericordiam, iustitiam, pacem, salutem: quid significet, quod percutitur alapa, nempe caritatem summam, patientiam, humilitatem: quid significet sanguis inter flagella, spinas et clavos, summam caritatem, et sic de ceteris singulis prosequendo. Pro intellectu autem quid significat, nisi ut et tu sic similia patiaris in carne et spiritu, ut legitur. Igitur, ut dixi, oculos spirituales aperia-

mus et legamus istam speciosam omnium virtutum formam in Christo, sunt enim satis claris vivis expressis litteris et signis et notis nobis depicta et proposita. Nam inde venit, quod nostro tempore adeo caritas frigescit et omnis virtus Christianorum deficit et sapientia minuitur, fiuntque tenebrae ut in Aegypto, quia non itur ad formam hanc, ubi videmus et docemur, sed venit in oblivionem per totum. Nam sicut multi sunt fructus Christi passionem meditandi, sine dubio per contrarium erunt damna opposita oblivescentium eam. Tales fructus vide alibi in Roseto et aliis. Notandum tamen, quod prae omnibus scriptura nos monet caritatem attendere in ista passione. Nam incarnatio et passio Christi licet ad omnem affectum et intellectus eruditionem nobis commendentur inspicienda, maxime tamen ad caritatem Dei inspiciendam cognoscendamque erga nos per Scripturam nobis exhibetur contemplanda. Sic Joh. 3: Sic Deus dilexit mundum, et: Maiorem caritatem nemo habet, et apostolus: Propter nimiam caritatem suam, et ad Galatas dicit: Qui dilexit me et restituit, et Jeremias: Perpetua caritate dilexi te. Ideo iste affectus maxime in illa est exercendus, omnibus malis et similitudinibus fovendus his applicatis: ut fingite divitem, nobilem, sapientem, potentem habere unum filium (te enim oportet induere affectum patris et tandem filii eius) et tunc respondeat pro inimico tuo ignorante vel nesciente te tam diligere. Solent homines facile exprobrare beneficium ingratis.

Corollarium. Tales meditationes saepe utiliores sunt quam orationes et operationes. Ratio est, quia magis perficiunt affectum, sed cum tale est praestantissimum omnium, affectus enim et amor in Deum omnia reliqua facile docet, quia unctio docet de omnibus istis, sed sic unctio paratur tanquam tibi soli haec fecerit, meditari oportet, ut apostolus et B. Virgo et Simeon etc. Quia si non tibi, sed aliis factum putas, iam negasti eum, quia signatus es cruce eius et nomen et signum eius geris.

Doctrina. Meditatio passionis eius laudatissimum

est. Sic sponsa in canticis, sic Joab, camerae in fenestris et sanguis agni in postibus filiorum Israel, labia comica, genae fragrantiae mali, comae sicut purpura regis, signaculum super cor. Quod et ego obsecro vos ut hodie et hoc anno hoc solum teneatis ex ista praedicatione, ut semper Christum inspicere adsuescatis et caritatem ibidem eius aestimare, saltem semel singulis diebus et ei gratias agere pro ista summa caritate. Nam vere quanto minor est species et maior veritas et indigna passio, tanto maior et mirabilior est caritatis eius dignatio pro nobis eam suscipientis. Et hoc quisque ex proprio affectu discat aestimare, sic scilicet: si magna est caritas patrimonium pro aliquo dare, quanto maius est proprio corpore pro eo servire. Sed hic ecce noster dominus creator omnium novissima pro nobis sustinet, et se ipsum tradit; vere supra quam cogitare possumus, nobis fecit Deus, sunt enim haec inaestimabilia. O igitur horribilis ingratitudo, damnabilis oblivio! o maledicendus contemptus huius misericordiae! Igitur ex isto verbo apostoli Rom. 8: proprio filio suo non pepercit Deus, indue saltem aliquem filium et stillam divinae caritatis persentisce. Si tu filium haberes et proprium et unicum, sapientem, bonum, amantissimum, et pro servo, misero, alieno, tum debitore tuo illi non parceres, sed mitteres pro eo redimendo et mortem subire faceres, numquid patiens esses ingratitudinis illius servi super tam magna tua et filii tui dignatione? Quid ergo de summo Deo et Dei filio aestimabis?

Secundo notandum pro intellectu etiam, ut, sicut in caritatis exhibitione Dei cognitionem hic discimus, ita et nostram quoque cognitionem discamus. Ista enim duo hic summe lucent. Nam species illa formosa, quae in ipso lucet, eius est, et suam in illa manifestat nobis cognitionem; sed foeditas et passio, quae in ipso est, nostra est, et nostri nobis indicat notitiam. Nam tales nos indicat esse intus in anima, qualia ipse foris sustinet in corpore. Nam nostra suscepit, ut sua nobis

daret. Vere enim ipse languores nostros tulit. Ergo infallibile hic teneas speculum tui ipsius in mente, nisi enim talis esses intus, non talia suscepisset, frustra enim suscepisset, quod te scias a peccatis tuis foedatum omni foeditate et omnino mortificatum, sicubi illum inspicis. Plora itaque, plange de eo, lamentare super te ipsum. Sic monnet filias Jerusalem; nolite flere super me, sed super vos et super filios vestros, et iterum: plangent se super eum omnes tribus terrae. Non enim satis est Christum passum absolute inspicere, sed exemplum sumere, caritatem aestimare, Dei et sui cognitionem haurire. Unde B. Petrus: et vos eadem cogitatione armamini, et Hebr. 12: Recogitate eum, qui talem etc. Deberemus quidem nos, si dignitatem personarum consideremus, millies millies plus quam ipse sustinere, quia ille Deus, nos putredo. At nunc per oppositum, qui millies millies minus debuit, millies millies magis quam nos sustinuit, ut nos omnino humiliaret et ad patientiam absolutissimam formaret, scientes, quoniam quantumvis humiliati passique fuerimus, stillam humilitatis et patientiae eius vix attingimus, imo non attingimus, quum sit nulla proportio finiti ad infinitum; sic de qualibet virtute alia. Quis ergo noverat quod homo secundum carnem florens, dives, potens tam miser esset in anima, et tam foedus, nisi hic in exemplo monstraret Deus in semet ipso et quod sciri non potuit, credi faceret? Non enim nisi fide cognoscitur, hanc esse miseriam animae, quam ipse in se ostendit, ut Esaias dicit: vere languores etc. Eodem modo et praemia in illo cognoscere potes, quia virtus praemium, peccatum poena, quia si tanta patitur innocens lignum in viridi, quid fiet in arido? utique infinitus est qui patitur, infinitum quicquid patitur. Ergo nihilo magis infinita erunt, quae alii patientur, sic eius praemium. Scriptura quoque nos hortatur magis ad affectum passionis Christi quam intellectum, quia ille docebit, sicut scriptum est: Unctio vos docebit omnia: unctio autem affectus exprimit pia-

guedinem; unde et Spiritus S. dicit. Sic enim, quae Christus docuerat, suggessit ille, Christus autem virtus, sapientia, veritas et verbum est; sed alius quoque consolator necessarius est, qui verbum et veritatem et sapientiam faciat sentiri, et hoc facit unctio. Ideoque habet in Christo semper affectus, quo crescat, sine quo intellectus tandem taedio fractus decrescit. Ut exempli gratia, si audias vel videas hominem hodie occisum esse innocenter, moveretur quidem animus tuus, sed si plus audieris, quod fuit mitis et probus, valde amplius movereris, amplius si doctissimus, amplius si necessarius, amplius si nobilis, regali sanguine, amplius si pro te occisus tantummodo esset, quum alias potuisset effugere, et ita si absque fine alia et alia audires semper de eo, quae affectum tuum ad admirationem moverent et amorem inflammarent, ita hic in Christo sunt talia infinita, quia infinitae dignitatis persona, ut non tantum sanctis in hac vita, sed et omnibus angelis et beatis sit in aeternum nova, admirabilis, stupenda et superamanda eius caritas, nec unquam exhaurire poterit eorum admiratio huius passionis intellectum, eo quod non potuit exhauriri admiratio personae, quae passa est, sed semper restat videre novum aliquid, quo dicatur: ecce talis ac tantus, qui pro me passus est et ecce iterum alio quodam talis ac tantus et sic sine fine. Ideoque intellectus non potest capere, nec lingua dicere, nec littera scribere, sed tantum affectus percipere, quid sit Christum passum esse; omnia enim absorbet infinitum. Si enim tu humiliaris in aliquo vel mitis es, vel patiens, homines carnales mirantur, et forte tu quoque ipse insipiens; sed si Christum cogites, senties quod tua humilitas et patientia etiam maxima sit nihil. Quare? quia tua patientia ad illius patientiam nihil. Nam et inter homines sic est, ut si mendicus mendicum portet aut lavet, forte aliquid est; sed si rex vel princeps hoc vel minus faciat, iam omnes recte iudicant, illius mendici nihil esse pietatem, sed principis, licet minorem, propter tamen dignitatem personae esse stupendam et admirabilem. Et ideo

hic latet radix totius verae humilitatis, scilicet te comparando Christo et eius meritis et passionibus, et tunc, si omnium sanctorum merita haberes, nihil haberes, quia, ut dixi, finiti ad infinitum nulla proportio. Atque hinc magna nobis est fiducia, spes et nulla omnino causa desperandi, quia ecce unica gutta sanguinis eius, imo una pars guttae sufficit mihi pro omnibus peccatis meis, quanto magis tota passio? Non pertubabor, inquit B. Augustinus, propter peccata mea, quia vulnerum Domini recordabor. Vae illis, qui desperant, et tantum pretium deficere in se putant, errantes; sed miseri quoque, qui fiducia huius pretii peccant praesumentes. Ex passione Christi intellige, quid sit mundus, quia sic agit cum virtute et iustitia Dei, sicut ille cum Christo. Ergo bene negat coram Pilato, quod regnum eius est de hoc mundo, quia mundus est regio inimicorum eius, ut monstrat in sua passione; sed dictum est ei: dominare in medio inimicorum tuorum. Sic ait ad suos: si mundus vos odit, scitote, quod me priorem vobis odio habuit; si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret, nunc quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, idcirco odit vos mundus. Igitur verissimum speculum hic habes, quid sit mundus, et multa alia.

Item sciendum, quod per totam Christi passionem oporteat attendere in Christum, sicut ipse in nos semper, et quod nunquam illis sit indignatus, qui eum adspexerunt, sed semper exinde pro eis doluit, et ubi locus fuit, movere et cavere voluit. Quod patet ex eo, quod primo, si pro eis non doluisset, nec pro nobis ullis, nam illi fuerunt ministri peccatorum malorum, et si peccata nostra non fuissent, non ab illis passus fuisset. Secundo, quia in cruce pro eis oravit: dimitte illis etc. Sicut Jes. 52 praedictum est: et pro transgressoribus oravit, ut non perirent. Tertio ad hoc etiam illis obtulit pro anima tamdiu remissionem peccatorum, per apostolorum ministerium faciens praedicta: si enim eos adversatus odisset in passione, non postea eos salvare laborasset in apostolorum praedicatione. Quarto,

auctoritas B. Petri 1. Petri 2.: qui quum pateretur non comminabatur, ergo in summa humilitate et mititate, spiritus enim pontificis arguit et pontificem, licet verba dure sonare videantur, et dicit, quod contrarium his videtur, quando se venturum in nubibus coeli praedixit, non minas fuisse, sed cautelas illis ut abstineret; sed omnis furor impatiens est correctionis.

F. M. Lutheri Sermo

die S. Michaelis in arce Vinariensi habitus a. 1518 *).

Quis putas maior est in regno coelorum etc.

Memineris autem, mi Spalatine, quod ex oblivione excutere satago, quae dicturus sum. Ideo multa omittam, multa forte et addam: nulla tamen dicam, quae non dicenda tunc fuissent. Primum Christus humilitatem hic docet, praesertim eos, qui ceteris praeferendi sunt. Sunt enim duae formae in mundo, una forma Dei, altera forma servi.

*) Hunc sermonem, quem Lutherus a. 1518 Vinariae, ubi tum Saxoniae elector cum suis commorabatur, die S. Michaelis in aede arcis habuit et postea a G. Spalatino rogatus die S. Thomae eiusdem anni, quantum quidem memoria retineret, litteris mandavit, adiunximus ex Lutheri epistolis ab Joanne Aurifabro collectis, Tom. 1. p. 127, Conf. Luthers Briefe ed. de Wette 1, 199 sqq, quod alio loco commodius eum interserere nesciebamus, neque quisquam facile Lutheri epistolis adiectum cum suspicatur. Lutherus tunc iter parabat Augustam Vindelicorum, ut de causa sua cum Caietano Legato Apostolico ageret, et Vinariae in monasterio Fratrum minorum O. S. Francisci complures dies exeuntis mensis Septembris degebat. Hic sermo de Matth. 18, 1 sqq., habitus agit de forma Dei ac servi, postea de duplice scandalo, atque legitur latine etiam apud Loescherum, Reformationsacta T. 2. p. 447 sqq., et germanice apud Walchium, T. XII p. 2266 sqq. Nos textum repetivimus ab Aurifabro traditum.

Forma Dei est potentia, sapientia, prudentia, iustitia, bonitas, et quodcunque bonum est, quo unus homo alteri potest praeferri, sicut hoc facile est cognoscere. Forma servi est subiectio, insipientia, stultitia, paupertas, peccatum, et quicunque tandem defectus, quo alter alteri inferior censeri potest. Has duas formas in homine Christo fuisse scribit apostolus Philip. 2. dicens: Qui cum in forma Dei esset, (id est, plenus iustitia, sapientia, et veritate etc. hac enim forma similis quis Deo efficitur, cuius sunt propria solius) formam servi accipiens (id est subiectionem, infirmitatem, stultitiam, peccatum, quantum in oculis hominum apparuit); prior forma facit ex nihilo aliquid, imo omnia: posterior facit ex omnibus nihil, et ex aliquo non aliquid: ascendit illa, descendit ista. Habet autem omnis homo has duas in sese formas: quia nemo penitus nihil est, sed rectus usus utriusque in nullo hominum est. Hunc autem nos docuit et docet hic Christus verbo. Sicut ab apostolo scribitur docuisse exemplo, quando dicit: hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu etc. Rectus usus autem est, non rapere eam sibi ipsi, sed exinanire sese ab illa. Perversus usus est rapere eam sibi et implere sese illa. Hoc est dicere, quod omne bonum, quo in forma Dei ponimur, non propter nos datum est, nec ut in ipso gloriemur, nec superbiamus nec alterum despiciamus aut iudicemus, qui non habet, sed propter eos potius nobis datum est, qui non habent, ut nos eis per ipsum et in ipso serviamus, et adeo non contemnamus, ut eorum mala aut vitia non secus nec minore affectu accipiamus, quam si nostra propria forent. Sic enim Christus (ut Rom. 15.) non sibi placuit in iustitia sua, sicut optimo iure potuisset; sed per eam nobis servivit, recipiens super se ipsum omnia peccata nostra. Sicut ibidem apostolus ait. Sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me, hoc est quod exinanivit se ipsum sua forma: et non eam rapuit, quasi vellet aequalis esse Deo, cuius solius est in hac forma gloriari, placere sibi et nulli

servire, sed omnibus dominari etc. Sic sapientiam suam exuit, quando non in ea sibi placuit nos contemnens, sed se ipsum contemnens, et per eandem, nobis serviens, stultitiam nostram super sese recipiens; pro nobis stultus factus. Sicut in eodem Psalmo 68. dicit: Deus, tu scis insipientiam meam: Ita per iustitiam suam servus nobis fuit ac pro nobis peccator factus. Sicut dicit eodem Psalm.: et delicta mea a te non sunt abscondita, et Psalm. 22: longe a salute mea verba delictorum meorum. Sic de omnibus bonis eius sentiendum, quae apostolus sub nomine formae Dei breviter comprehendit. Quibus omnibus sic servivit, ac si ea non haberet et nihil ad eum pertinerent. Subiecit se omnibus malis pro nobis, quae per formam servi breviter comprehendit. Sicut dicit: Et omnes fluctus tuos induxisti super me, et Jesaiae 53: Et Dominus posuit super eum peccata omnium nostrum. Contra Pharisaei acceptis his formis Dei, quasi eis sint propter se ipsos datae, non per eas serviunt exemplo Christi iis, qui non habent, sed sibi ipsis placent, gaudent prae ceteris esse aliquid, laudari, honorari, prompti, semper aliis per eas praeesse, dominari, arguere, mordere, detrahere, iudicare, damnare; et ita bona Dei forma horribili abusu sibi ipsis inaestimabilia mala operantur. Et hoc est hanc formam non arbitrari nisi rapinam, ut per eam fiant sicut Deus ipse, qui sua forma nulli debet, ut libertimus. Nam qui formam hanc accipit, et non ad hoc, ad quod data est, manifeste rapit eam sibi ipsi et talem eam arbitratur, quae sua esse debeat, cum aliis in hac servus esse debeat. Ideo rapinam facit et ad hoc ut sit aequalis Deo. Ad hoc ipsum voluerunt apostoli in hoc evangelio conari. Ideo Christus reprimit eos et ad formam servi eos retrahit, ut sint pueri et pusilli, scilicet sensu, nihil magni de se ipsis sapientes, sed omnibus parati ad obediendum sicut pusillus.

Corollarium.

Patet, quod humilitas a multis quidem docetur,

definitur, distinguitur; sed nunquam eius natura ac proprietas digne exponitur, nisi in scriptura. Nam humilitas est, cum omnibus suis bonis aliud nihil facere, quam servire malis, exemplo Christi, nihil sibi tribuendo, sed omnia exinaniendo. Secundo, horrendum itaque est, formam servi despicere, peccatorem et stultum iudicare. Postquam enim ipse Christus omnes istas formas in se ipsum suscepit et honoravit: iam non solum non contemnere, sed necessarium quoque est eas honorare, in quocunque tandem nobis occurrerint. Hoc enim cur reus sit Gehennae ignis, qui fratrem suum fatuum vocat, videlicet, quod is non in hominem, sed in Christum peccat, qui hominis eiusmodi formam in se glorificavit, quam ille maledicit. Quocirca vult nos Christus oculos aperire: et quoties occurrerit nobis aliquis pauper, stultus, peccator, aut similis formae statim velut insigne Christi ipsius in ipso agnoscamus, et per formam Dei (qua vellemus alias inflari) ei serviamus, orando, monendo, iuvando etc., donec et illum eripuerimus ab eiusmodi forma servi. Hoc est quod non vult unum ex minimis suis despici, sed bene fieri et honorari, tanquam si ipsemet praesens esset. Et haec forma servi debet esse episcopis propria, sicut in evangelio isto docetur. At nunc, sicut antichristus, in templo Dei sedent, ostendentes se tanquam sint Deus: potestatem acceptam non nisi in suum commodum rapientes et rapinam arbitrantes (praesertim papa), secure quiescentes, nulli servientes, sed omnium servitutes etiam extorquentes per violentiam. Igitur omnibus omnia fieri oportet, ut lucrifiant per nos. Qui enim susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit, et qui se humiliaverit, sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum. Verum ista doctrina, purissime evangelica, multa patitur scandala (tam furens malum est superbia).

Sequitur: Et qui unum de pusillis istis, qui credunt in me, scandalisaverit, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris. Duplex est scandalum istorum

pusillorum. Primum crassum et sensibile, quo manifesto peccato citra omnem speciem bonam provocantur ad peccatum: sed hoc scandalum est minus periculosum, quia evidenter cognoscitur esse malum, ideo potest caveri et non esse scandalum, imo aedificatorium, si alieno periculo fieri velimus cauti: nec de isto principaliter puto Christum locutum. Alterum est subtile et speciosum, quod creditur esse bonum, et sine scrupulo acceptatur. Sicut falsi prophetae per nomen Domini populum olim seducebant, et haeretici, qui in vestimentis ovium gerebant lupos rapaces. Hoc scandalum est proprie scandalum et periculosum: in quod qui lapsus fuerit vix revocatur. Contra hoc prophetae, Christus, apostoli, sancti Patres summe laboraverunt. Nam species bona tenet eos, ne scandalum esse credant: et ita pereunt antequam intelligant. Ideo atrox et nova poena eis decernitur a Christo de mola asinaria etc. Tales et nostro seculo abundant plurimi, qui in multa specie sanctitatis incedunt, multa bona docent, multas devotiones et preces exercent, passionem Christi quandoque cum lacrimis tractant. In quornm ore nihil sonat, nisi humilitatis vox: nec gestus, nisi sanctitatem prae se fert. Hac specie cum aliis exemplum factum fuerint, interim, dum secretam invidiam et superbiam et avaritiam alunt, neque intelligunt, quam misere pereant ipsi, neque quam multos ignoranter secum perdant. Nam quod proni sunt alios iudicare, detrahere, despicere, deinde iactare se et sua, omnium hominum vitam explorare et tractare: aliquando etiam maledicere, et multis iudiciis teterrimam invidiam et superbiam ostendere: id totum, quasi cura non egeat, reliqua specie ita adumbrant, ut aliis imitabile fiant exemplum, id est, pessimum scandalum. Hos Paulus pulchre depingit 2. Tim. 3, quando speciem pietatis habituros praedixit, sed virtutem eius abnegaturos. Tales esse necesse est omnes, qui iustitias et traditiones hominum sequuntur, relicta fidei iustitia. Et his hodie omnia loca referta, qui nocentissimi sunt in sancta Dei ecclesia. Ideo sequi-

tur: Si oculus tuus scandalisat te. Oculus est doctor et consul, manus adiutor, pes praesidium, in quo nitimur. Haec omnia maxime ad eorum officium pertinent, qui aliis praecedere et praeesse in via Dei debent: ab iis autem maxime omnium cavendum docet, ne scandalisent et seducant nos: quod eorum seductio vix sit emendabilis, ut dixi. Haec ferme summa mihi fuisse videtur sermonis totius, plura non possum recordari: etsi credam me vel plura vel aliter ea dixisse.

1516.

Quaestio de viribus et voluntate hominis sine gratia.

Anno 1516, quo Andreas Bodenstein, archidiaconus Wittenbergensis, qui ab oppido patrio plerumque appellatur Carlstadius, de libero arbitrio hominis certamen publice iniit cum Io. Eccio, theologo Ingolstadiensi, Lutherus, quocum ille consentiebat, Augustini de hac re praecepta et in concionibus et in scholis tradebat ac defendebat. In diligentissimis Lutheri scholarum auditoribus erat Bartholomaeus Bernhardi, anno 1487 Feldkirchae natus, Sueviae oppido, a quo idem etiam Velcurio appellatur. Is die XXV. mensis Septembris anni 1516, quo Carlstadius theologicae facultatis academiae Wittenbergensis Decanus erat, pro honore Sententiarii disputationem publice instituit (cf. Jürgens, Luther von seiner Geburt bis zum Ablassstreite. Tom. III, p. 229.) Ad hunc honorem capessendum theses proposuit de viribus et voluntate hominis sine gratia, maximam partem ex Lutheri lectionibus haustas, ac publice defendit. Lutherus, quamquam ipse illo anno facultatis theologicae Decanus non erat, huic disputationi praesidebat. Is enim P. Johanni Lango, Eremitarum Augustinensium Erfurdiensium Priori, de hac re ita scribit: De positione mea, imo Bartholomaei Feldkirchen, nihil est, quod mirentur tui Gabrielistae, cum et mei vehementer hucusque mirentur. Et quidem positio

ipsa ex me non est facta, sed M. Bartholomaeus eam sic conflavit, scilicet motus oblatratorum lectionum mearum garritu. Itaque fecit, ut etiam (praeter ordinem me praesidente) publice haec discuterentur ad obstruendum ora garrientium, vel ad audiendum iudicium aliorum. (Luth. epp. ed. Aurif. I, p. 236, de Wette I, p. 34.)

Huius disputationis propositiones, utpote e Lutheri lectionibus maximam partem haustas, nunquam non Luthero auctori viri docti attribuerunt atque in Lutheri scripta retulerunt, idque eo maiore iure, quod Lutherus ipse huius quaestionis conclusiones et corollaria in scholis explicavit et tanquam sua defendit; nec deerant, qui in ea disputatione luculentissimam reformationis praelusionem praedicarent, quod, quanta audacia iam tum Pelagianorum errores impugnaret Lutherus, inde maxime eluxit (cf. Riederer Nachrichten zur Kirchen-, Gelehrten- und Büchergeschichte. Altdorf 1768. T. IV. p. 295), et quod iam tum eadem de servo arbitrio proposuit, quae postea contra Erasmum tueri studebat. Multum excitatum esse mirationis hac disputatione quam maxime cernere licet ex epistola Lutheri ad Langum missa, quam modo laudavimus: nec mirum, acerrima enim acie tum praestantissima scholasticorum doctrina est petita atque impugnata (cf. v. d. Hardtii Histor. literar. Reformationis. Francof. 1717, Part. IV, p. 9).

In edendis his disputatis nos primum reddidimus Quaestionem ipsam, qualis invenitur in editione Jenensi operum Lutheri et in antiquissimis Propositionum Lutheri editionibus, deinde typis repetivimus quas Lutherus ei adiecit explicationes ex fragmento Lectionum, quod V. E. Loescherus ex codice manuscripto, qui a Luthero anno demum 1518 plane confectus fuisse illi videtur, primus in lucem protulit anno 1703 in libro argumentis egregiis locupletissimo: Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theologischen Sachen p. 243. 430 et 553 sqq., et anno 1720 in libro clarissimo: Vollständige Reformationsacta Tom. I,

p. 328 sqq.; et quod huc usque in nulla invenitur collectione operum Lutheri. In reddendo autem textus ordine non secuti sumus Loescheri Acta Reformationis, sed Walchii exemplum et libri illius: Unschuldige Nachrichten etc., quia Loescherus in Actis Reform. explicationes ad Quaestionem: An homo ad Dei imaginem etc. praemisit, quum in codice manuscripto hae, quae quidem vere disputationem effecerunt, appellentur Quaestio tertia ideoque neutiquam potuerint reliquae parti anteponi.

Textum huius Quaestionis reddidimus secundum editionem Propositionum Lutheri, quae anno 1538 prodiit sub titulo: Propositiones D. Mart. Luth. ab initio negocii Euangelici, ab autore tractatae, usque in hunc diem. Vittembergae. M. D. XXXVIII. In fine: Excusum VVittenbergae, typis Joannis Luft. Anno M. D. XXXVIII. V Idus Septembris; et cum hac editione contulimus eam, quae anno 1558 prodiit sub titulo: „Propositiones theologicae Reverendorum virorum D. Mart. Luth. et D. Philippi Melanth. Continentes summam doctrinae Christianae, scriptae et disputatae VVitebergae, inde usque ab anno 1516. De quo tempore vaticinatus est Johannes Hilten, initium fore reformationis Ecclesiae anno 1516. Cum praefatione D. Philip. Melanth. Witebergae 1558.“ Edidit eas Jacobus Eysenberg Hallensis.

In editione principe Propositionum Lutheri, quae nunc est rarissima et anno 1530 forma octava prodiit sub titulo: Proposiciones a Marti. Luthero subinde disputatae. In fine: Impressum Wittebergae per Josephum Clug. Anno A (sic) D. XXX. (Exstat in Biblioth. Universitatis Erlangensis, in Biblioth. Scheurl. et Biblioth. Reip. Norimberg.), deest haec Quaestio, et in editione a. 1538 sic inscribitur: Sub eximio Viro Martino Luthero Augustiniano, artium ac Theologiae magistro, proxima die Veneris, hora Septima, quaestio subscripta disputabitur.

In collectionibus:

Lat.: Edit. Jen. I, 1a. Edit. Witteb. I, 50b; German.: Edit. Lips. T. XVII, 142. Walch. XVIII, 20.

Quaestio subscripta

de viribus et voluntate hominis sine gratia, contra doctrinam Papae et Sophistarum, disputata est Wittenbergae anno M. D. XVI. Praesidente eximio Viro D. Mart. Luthero Augustiniano, Art. ac Theol. Magistro.

An homo ad Dei imaginem creatus naturalibus suis viribus Dei creatoris praecepta servare, aut boni quippiam facere. aut cogitare, atque cum gratia mereri, meritaque cognoscere possit?

Conclusio I.

Homo ratione animae Dei imago, et sic ad gratiam Dei aptus, suis naturalibus viribus solis creaturam quamlibet, qua utitur, vanitati subiicit, sua et quae carnis sunt quaerit.

Corollarium I.

Homo vetus, vanitas vanitatum, universaque vanitas, reliquas quoque creaturas, alioqui bonas, efficit vanas.

Corollarium II.

Carnis nomine dicitur homo vetus, non tantum quia sensuali concupiscentia ducitur, sed (etiamsi est castus, sapiens, iustus) quia non ex Deo per Spiritum renascitur.

Corollarium III.

Etsi omnes infideles vani sint, nihil boni operantes, non tamen aequalem poenam patientur omnes.

Conclusio II.

Homo, Dei gratia exclusa, praecepta eius servare nequaquam potest, neque se, vel de congruo, vel de condigno, ad gratiam praeparare, verum necessario sub peccato manet.

Corollarium I.

Voluntas hominis sine gratia non est libera, sed servit, licet non invita.

Corollarium II.

Homo, quando facit quod in se est, peccat, cum nec velle aut cogitare ex se ipso possit.

Corollarium III.

Cum iustitia fidelium sit in Deo abscondita, peccatum vero eorum manifestum in se ipsis, verum est, non nisi iustos damnari, atque peccatores et meretrices salvari.

Conclusio III.

Gratia seu caritas, quae non (nisi in extrema necessitate) succurrit, inertissima est ac potius nulla caritas, nisi extrema necessitas, non mortis periculum, sed cuiuscunque rei defectus intelligatur.

Corollarium I.

Christus Jesus virtus nostra, iustitia nostra, cordium et renum scrutator, solus est cognitor meritorum nostrorum, ac iudex.

Corollarium II.

Cum credenti omnia sint, autore Christo, possibilia, superstitiosum est, humano arbitrio, aliis Sanctis alia deputari auxilia.

Corollarium III.

Est iuxta praemissa ad quaestionem responsivum.

Fragmentum Lectionum Lutheri.

(Prima Quaestio et conclusio desunt in codice manuscripto. Sine dubio Quaestio haec erat: Num in peccatis sit desperandum? et Conclusio: Nec in tribulationibus, nec in peccatis desperandum est).

Sicut impatientia, confusio, tristitia proprie et primario non contingunt ex multitudine afflictionum, adversitatum, et quorumcunque bonorum ablatione, sed potius ab effectu talia horrente et prospera multa et gloriosa quaerente insipienter: ita et desperatio et tristitia spiritualis vel confusio conscientiae proprie non ex multitudine peccatorum contingit, sed potius ex multitudine et copia bonorum operum vel affectu propriae iustitiae, horrente quidem peccatum, sed iustitiam suam quaerente insipienter.

Primum patet, quia dicit propheta: Laetentur in te omnes, qui sperant in te et gloriabuntur omnes in te, sed omnes ii qui fideles sunt Christi; passionibus Christi communicant et abundant; passiones etiam impiis, nec tamen operantur. Sed qui sciunt, ubi laetandum et gloriandum sit, ideo per sapientiam hanc suam in illis non tristantur, non confunduntur, non impatientes fiunt, et nec affectant prospera, iucunda, gloriosa. Qui ignorant et nolunt scire, quod in Deo sit laetandum et gloriandum, tristantur, et confunduntur, et impatientes fiunt, non quia adversa veniunt, et tristia, sed quia venientibus iis affectu suo non ad Deum, sed post iucunda et prospera adspectant; ideo fugiunt et effugere non possunt, quia non fugiunt, quae fugienda erant. Sic Esaiae XXX.: In silentio et spe erit fortitudo nostra; et dixistis: nequaquam, sed ad equos fugiemus, ideo fugietis et fugabimini, et velociores erunt, qui sequuntur vos. Igitur culpa huius tristitiae est affectus laetitiae et gloriae, quibus si non esset agglutinatus adversitates nihil reputaret.

Secundum similiter patet, quod multi et magni peccatores salvi facti sunt, qui salvi facti non essent, si multitudo peccatorum operaretur desperationem; sed inordinatus affectus respectans, et tempore desperationis requirens bona sunt, quae statuat contra peccata eum urgentia, quae ubi non invenit, nescius, quod ad misericordiam Dei confugiendum sit, necessario desperat. Sic enim infelix conscientia moritur, et ad iudicium Dei properans sibi dicit secumque disputat: O qui nunc multa bona fecisset! O qui nunc mala fecisset! Qui nunc semper mundus permansisset! Haec verba plena stultitiae, qua nulla est maior. Quid aliter probant, quam quod non in Deum, sed bona opera sperat? Siquidem tum confidentius, et hilarius se sperare velle dicit et posse, si multitudinem bonorum operum haberet et iustitiae. Si enim in Deum sperat propter bona opera, igitur in opera magis quam in Deum, quo quid magis horribilius et ma-

gis impium? Hi non dicunt: ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo etc. sed in multitudine iustitiae meae. Si enim tantum in Deum sperasti, vel sperares, quia bona egisti, vel egisses, multo magis tunc spera, quando peccata et mala egisti, ne dicatur nobis: Confitentur tibi, cum bonum feceris eis, et in tempore tentationis recedent. Sic enim in Deo gloriari sibi videntur, qui prosperis et gloria affluunt, sed magis in propria prospera et gloriam confidunt, ut tentatio probat. Ira horribilis metuenda est et praecipue nostro hoc tempore periculosissima, quod multi sancte et religiose viventes sibi in Deum sperare quam fortissime putent, et potius in suam sanctitatem ipsi ignorantes sperant, ut probabit hora mortis, Dei cum in iudicium venerint: et ideo confidentius moriuntur, quia conscii sibi sunt bonae vitae, et in fiducia huiusmodi in Deum sperant. Fit eis, ut ei, qui super truncum in aqua natantem pedem figere nititur, et subito ruit in profundum; ita et illorum opera iudicio Dei discussa inveniuntur horrenda peccata, eo quod in ipsa confisi sunt, et non nudissimi misericordiam Dei sincerissime honorarunt. Ideo sicut impatientia in prosperis nulla est, ita spes, quae in merito est, nulla est: atque sicut inutile est, patientiam habere in prosperis, ita inutile est, spem habere in meritis. Patientiae enim natura est, non nisi in peccatis esse. Inaestimabilis siquidem Dei misericordia, ut se nobis communicaret, et fiduciam nostram tolleret, dedit legem, quae conclusit omnia sub peccato, ut omnium misereretur. Quia ubi non est lex, nec peccatum; ubi non est peccatum, nec misericordia; ubi non est spes, nec salus. Ac ita virtus peccati lex, virtus autem legis misericordia, virtus autem misericordiae spes, virtus autem spei salus, virtus autem salutis Deus per Jesum Christum: quia lex operatur peccatum, sed misericordia et operatur et implet legem, spes autem operatur misericordiam, salus autem spem, Deus autem salutem et omnia.

Corollarium sequitur.

Sic fit in temporalibus, quia bona temporalia ideo dantur a Deo, ut per ea Deum magis discamus colere, amare et sperare; vitio nostri affectus fit, ut difficilius et minus colatur et speretur in ipsum, imo facilius et magis adversis temporibus Deus quaeritur et colitur, ac in ipsum speratur quam in prosperis. Ita fit in spiritualibus, quod bona gratiae et merita donantur a Deo, ut per ea in Deum sperare magis doceamur; et ecce vitio affectus in illa praesumentis fit, ut difficilius et minus in ipsum speretur, imo nihil in eum speretur, sed facilius in peccatis sit, sperare in Deum, et tutius quam in meritis et bonis. Et sic periculosum est, hominem in prosperis derelinqui, quia non discit Deum diligere, aut rarissime et difficillime discit; ita et nunc periculosum est, hominem in multis gratiis et meritis usque ad mortem relinqui, quia vix discet in Deum sperare, nisi difficillime, imo sine spiritu nequaquam.

Sed ne quis offendat in his verbis, obiicitur: Ergo peccandum est et bona omittenda, sive, ut ab apostolo obiiciebatur: faciamus mala, ut veniant bona. Videmur enim sic dicentes peccandi veniam aperire, et bona prohibere velut noxia ad salutem. Igitur ut sane haec intelligantur, respondeo: Bona opera non prohibentur, sed quam maxime persuadentur istis verbis, sed solus ille affectus subtilissime carnalis, qui istis operibus confidit, et non in nudam misericordiam Dei, erudiendus est, ut sciat, quod vera spes non sit nisi infusa virtus. Omnibus bonis operibus et studiis id quaerendum est, ut nobis spes a Deo impetretur, ut misericordia digni efficiamur; non ut istis operibus factis mox spem possessam nos habere praesumamus, sed semper faciendum, quaerendum sciamus. Ideo enim est peccatum, ut in peccatis apti ad spem simus; sed agnoscendum, quod quantumlibet bonum operamur semper in peccatis sumus. Ubi autem bona vita acta non fuerit, est quidem difficile, his autem difficilius. Igitur sola restat oratio, ut desperatio

utrinque vincatur, et spes nec a sinistris nec a dextris cadat: siquidem a sinistris mille, sed a dextris decem milia cadunt.

Quaestio II.

Utrum voluntas hominis extra gratiam constituta libera sit, an potius serva et captiva?

Conclusio.

Voluntas hominis extra gratiam non est libera actuum, seu contrariorum seu contradictoriorum, sed necessario serva et captiva; licet libera ab omni coactione. Pro probatione huius conclusionis est principio notandum, quod actus contrarii voluntatis sint velle et nolle; quorum utrumque est positivum; contradictorii sint, velle et non velle, idem nolle et non nolle: hoc est, aliquando vult, aliquando autem neque vult, neque non vult, sed manet neutra et sine actu. Secundo notandum, quod loquamur modo de libertate voluntatis respectu meriti et demeriti. Nam respectu aliorum suorum inferiorum non nego, quod sit, imo videatur sibi libera, tum ad contraria, tum ad contradictoria.

Istis stantibus probo priorem conclusionis partem: quod nempe non sit libera in contradictoriis: quod si est libera ad non eligendum suum velle, sequitur, quod etiam libera erit ad cavendum omne peccatum futurum. Sed hoc est falsum, imo haereticum, et contra illud S. Gregorii: Peccatum, quod per poenitentiam non abluitur, mox ad aliud suo pondere trahit. Sed si libera est, potest non trahi ad aliud, vel si non potest tractionem vitare, non est libera. Probo et hoc per commune dictum, quod voluntas extra gratiam non potest diu stare sine peccato mortali, quare nec sine captivitate libertatis suae. Demum probo per dictum apostoli 2. Tim. 2, ut resipiscant a laqueis diaboli, a quo

tenentur captivi, ad ipsius voluntatem; sed voluntas diaboli est, ut malum velint et faciant.

Secunda pars conclusionis.

Quod non sit libera in contrariis, probo per illud Genes. VIII.: Sensus et cuncta cogitatio cordis humani prona est ad malum omni tempore: si omni tempore prona ad malum, ergo nunquam ad bonum contrarium malo. Quod autem hoc libere sit simul et necessario, probo sic, quod non minus est naturali voluntati suum velle aut nolle, quam unicuique naturae sua operatio, nec magis privatur ipsa suo actu, quam quaecunque res alia. Sed impossibile est, quod velle sit coactivum et non liberum, ergo necessario est liberum et necessario libere vult. Sic igitur utrumque verum est: homo

cadens	{ non potest non cadere { potest non cadere }	sed	{ suis viribus. { alienis viribus.

Ita voluntas extra gratiam vel in cadendo constituta non potest non cadere et velle malum suis viribus, potest autem per gratiam Dei non cadere aut cessare a cadendo, sic illam breviter relinquo conclusionem probatam.

Corollarium elicio tale:

Cum non sit iustus in terra, qui benefaciens non peccet, multo magis iniustus peccat, dum bonum facit.

Probatur auctoritatibus.

Principio per illud Esaiae LXIV: Immundi omnes, nos et universae iustitiae nostrae tanquam pannus menstruatae; si iustitiae sunt immundae, quid erunt iniustitiae, et Ecclesiast. VII: Non est iustus in terra, qui faciat bene et non peccet; et Jacob. IV: In multis offendimus omnes, et ad Rom. VII: Condelector lege Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem iu membris meis repugnantem legi mentis meae, captivantem me in legem peccati. Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum, sanctus enim est, cui remissae sunt iniquitates, et sanctus erat per dimis-

sionem iniquitatum. Mira sententia nec potest solvi per illam stultam et carnalem glossam, quod sanctus de peccatis erat, quia propheta non de se, sed de his, quos videbat sanctificatos dimissisque peccatis eorum: sanctos enim dicit eos evadere per dimissionem; nisi forte propheta vel mentiretur vel adularetur, appellans eos sanctos, quibus non essent peccata remissa. Sed tum, ut remittantur, vel ad remissionem peccatorum utique dicere deberet. Igitur haec est dulcissima Dei misericordia, quod non fictos, sed veros peccatores salvat, sustinens nos in peccatis nostris, et acceptans opera et vitam nostram omni abjectione dignam, donec nos perficiat atque consummet: interim in protectione et umbra eius vivimus et iudicium eius effugimus, per misericordiam eius et per iustitiam nostram.*)

Facessant igitur argumenta humani fuci: Unus et idem actus non potest esse Deo acceptatus et non acceptatus a Deo, sequitur enim, quod sit bonus et non bonus. Respondeo, quod non, nec potest simul homo timere iudicium et sperare misericordiam. Dico igitur, quod omnis actus bonus est acceptatus, et non acceptatus, et econtra est non acceptatus et Deo acceptatus, qui ignoscit per misericordiam, quod minus acceptatione dignum est. Ideo autem est Deo non acceptatus vel peccatum in quantum ex carnis malitia factum: sed etiam hoc Deus ignoscit in hoc tempore, et requirit tam in hoc, quam in futuro tempore. Non enim est ullus actus, quem Deus acceptet simulate; ista enim nomina ex humano corde ficta sunt; sed omni actui nostro ignoscit et parcit. Illi autem praesumunt, quod sit aliquis, quem acceptat sine ignoscentia, quod est falsum. Quando igitur ignoscit, non debet acceptare, nec acceptat misericordiam suam in operibus nostris, hoc est iustitiam Christi pro nobis: ipse enim est propitiatorium Dei, qui opera nostra excusat et ignoscibilia facit. Ita et

*) Scilicet imputatam. En egregium evangelicae doctrinae praeludium.

quod minus est in nobis per plenitudinem eius suppleamus: ipse enim est iustitia nostra solus, donec efficiamur *) conformes imagini eius.

Corollarium.

Omnis iustus vel inter bene agendum peccat.

Probo per illud Eccles: Non est iustus in terra, qui faciat bene et non peccet. Hic autem ab aliis dicitur, quod iustus quidem omnis peccat, sed non quando bene facit. Quibus respondetur: Si id vellet haec auctoritas, quid superfluis opus? Aut Scriptura S. delectatur multiloquio et imaginatione. Nam iste sensus fuisset a mundo sic expressus: non est iustus in terra, qui non peccet; ad quid additur, qui bene facit? Quasi alius sit iustus, qui faciat male, non enim nisi iustus facit bene: at ubi de peccatis extra benefacta loquitur, sic dicit: Septies in die cadit iustus; hic non dicit septies in die cadit iustus, quando benefacit.

Secundo per illud apostoli Rom. VII: Quod nolo malum, hoc ago, quod volo bonum, non ago, et in eadem causa condelector lege Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Ecce simul delectatur et displicet in lege Dei, simul vult bonum, et tamen hoc non agit, sed contrarium. Hoc itaque contrarium quaedam est noluntas, quae semper est, quando est voluntas. Per hanc benefacit, et per illam male facit. Nolle est ex ratione et velle ex spiritu. Ideo ibi tantum est peccati, quantum noluntatis, difficultatis et resistentiae; ad tantum ibi meriti, quantum voluntatis, pronitatis, libertatis, hilaritatis. Mixta enim sunt haec duo in omni vita et operatione; etsi sit tota noluntas, iam est peccatum et adversio, tota autem voluntas in hac vita non est, ideo semper peccamus, dum benefacimus, quandoque minus, quandoque magis, haec enim est causa quod non sit iustus in terra, qui beneficiat, et non peccet, est autem talis

*) Loesch.: efficiamus.

iustus in coelo tantum. Sicut igitur homo sine noluntate ista non est, ita nec sine ea operatur, et per hoc nec sine peccato est. Quomodo enim sine ea operari posset, qui sine ea vivere et esse non potest? Sic enim scriptura dicit: quis gloriabitur se mundum? et ad Gal. V: Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, haec enim duo sibi invicem contrariantur, ut non ea, quae vultis, faciatis.

Tertio per illud Psal. CXLIII: Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hic quaero, an ille iustus, qui fingitur cum pulcherrimo merito, actualiter fuerit, atque sit inter eos numerandus, qui vivunt, ergo non iustificabitur in merito suo.

Rationes.

Quicunque minus facit, quam debet, peccat; iustus benefaciens minus facit, quam debet. E. Minorem probo; quia quicunque non plena et perfecta Dei dilectione bonum facit, minus facit, quam debet: Maiorem probo per illud praeceptum: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totis viribus tuis, de quo Dominus Matth. V: unum Jota, aut unus apex non peribit a Lege. Nemo poterit ex totis viribus diligere; quia noluntas in carne et membris impedit hanc totalitatem, ut non tota membra seu vires diligunt Deum, sed resistit voluntati. Sed dicunt illi, non requirit hoc perfectum mandatum Deus a nobis. Respondeo, a quo igitur requiritur? Dixitne lapidibus et lignis, an peccatoribus? Rom. III: Scimus quod quando Lex loquitur his, qui in lege, de suo sunt, loquitur; ergo nobis praeceptum est, et a nobis requiritur. Per istam falsissimam intelligentiam Deus non requireret perfectionem: iustum est, ut diceretur; non est peccatum quicquid minus plenissima caritate fiat; at id ideo non requirit, quia ignoscit, non quia sit licitum et non peccatum; alioquin praeceptum suum mutasset, quod est contra suum

dictum: Unum Jota aut unus apex non peribit a Lege, donec omnia fiant.

Objectiones.

Principio dicit Johannes in Canonica: Qui natus est ex Deo, non peccat. Idem Genes. XX: Abimelech Deo respondet, quod in simplicitate cordis fecerit, ergo non peccavit, et quaecunque alia nunc dici possent.

Respondeo: Utrumque verum est, qui natus est ex Deo, non peccat et peccat, nisi forte Paulus Rom. VII. non fuit natus ex Deo, aut ipse Johannes mentitus est, qui dixit: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus. Peccat quidem in opere eodem, quoad voluntatem carnis, imo peccat quoad noluntatem Spiritus. Dicis: quomodo implemus legem Dei? Respondeo: non implemus, et non sumus potentes et demum inobedientes, nec hoc est peccatum veniale ex genere et natura sua, quia nihil inquinatum intrabit in regnum coelorum. Igitur pro omni peccato requiritur damnatio, et Christus dicit, quod nec unum iota, aut apex perire debeat, donec omnia fiant. Rectissime B. Augustinus I. Retractat.: Omnia mandata divina implentur, quando, quicquid non fit, ignoscitur. Ergo praecepta Dei plus implentur ignoscente per misericordiam Deo, quam operante per iustitiam homine. Hoc est, quod illi dicunt, non requirit Deus perfectionem, ubi deberent dicere, ignoscit Deus. Sed quibus? Numquid se habere peccatum non putantibus? Absit, sed dicentibus, dimitte nobis debita nostra, ex vero corde hoc malum suum agnoscentes et obedientes. Sic Ezech. XX: Et displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis, quas fecistis. Hoc est quod Psalmus dicit: Pro hac vocabit ad te omnis sanctus. Si sanctus est, non habet impietatem, nisi in peccato remissam; pro quo igitur orat? Utique pro remittenda orat, non pro remissa, gratias potius agit. Dein non debuit dicere sanctus, sed omnis peccator pro eo orabit, si de peccato vellet loqui.

Quaestio III.

An homo ad Dei imaginem creatus naturalibus suis viribus Dei gloriosi*) creatoris praecepta servare, bonum**) quippiam facere aut cogitare atque ad gratiam***) mereri meritaque cognoscere possit?

Conclusio I.

Homo ratione animae Dei imago et sic ad gratiam Dei aptus suis naturalibus viribus solis creaturam quamlibet, qua utitur, vanitati subiicit, sua et quae carnis sunt quaerit.

Quod homo Dei imago sit, patet ex illo Gen. 1: Creavit Deus hominem ad imaginem suam; quod autem ratione animae, manifestat D. Augustinus his verbis: licet humana mens non sit eius naturae, cuius Deus imago, tamen illius, qua nihil est melius, ibi quaerenda ac invenienda est, quod natura nostra nil habeat melius mente. Quod sic ad gratiam Dei aptus sit, defendit D. Augustinus reddendo causam, cur hominum naturae gratia conferatur, ita inquiens: Neque enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusque praestatur, sed, qui imago Dei est, meretur hanc gratiam, non tamen ut eius bona voluntas possit praecedere gratiam, ne vel ipsa prior det, ut retribuatur illi. Reliquum huius conclusionis satis liquet. Nam homo gratia seclusa arbor est mala, nullos bonos fructus producere potens, nec creatura ad Dei gloriam et laudem, quae finis eius creationis est, uti, quod est eam vanitati subiicere, sua, et quae carnis sunt, duntaxat quaerit.

Corollarium I.

Homo vetus, vanitas vanitatum,†) ALIQUAS††) quoque creaturas, alioquin bonas, efficit vanas.

*) In ed. Wittenb. et Edit. Thes. 1558 deest: gloriosi.
**) In ed. Thes.: boni.
***) Ibid.: cum gratia.
†) Insertum est: universaque vanitas, in T. I. Witteb. nec non in ed. Jen.
††) „Pro aliquas legitur: reliquas in T. I. Witteb. nec non in Thesibus, quae lectio praeferenda.“ Loesch.

Patet, quod vetus homo est ille, qui purissime Deum non diligit, nec ferventer sitit et esurit, sed mente et spiritu saturitatem in creatura praesumit, cum tamen Dei capax solo Deo saturari possit; est ergo vanitas vanitatum Eccl. 1, et universa vanitas, Psal. 38, veruntamen universa vanitas omnis homo vivens. Quod autem reliquas creaturas alioqui bonas (secundum illud Gen. 1: viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona, ut et illud apostoli 1 Tim. 4: Omnis creatura Dei bona est) efficiat quoque vanas, sumitur ex illo apostoli Rom. 8: Vanitati enim creatura subiecta est non volens. Quo manifeste patet, quod sine vitio suo et extrinsece fiat mala, vana, noxia, quod opinione et erronea aestimatione, seu amore et fruitione perversa, reputatur altius ab homine, quam est in veritate. Sic si foenum in cibum hominis praesumeretur, dignius haberetur, quam est.

Corollarium II.

Carnis nomine dicitur homo vetus, non tantum, quatenus *) sensuali concupiscentia ducitur, sed (etiamsi est iustus, castus, sapiens**),) quatenus*) non ex Deo per spiritum renascitur.

Homo vetus caro dicitur, patet ex illo Joh. III: Quod ex carne nascitur, caro est, et Gal. V: Caro concupiscit adversus spiritum; Rom. V: Sapientia carnis inimica est Deo. Ex illo autem, quod Johannes subiungit: Et quod natum est ex spiritu, spiritus est, patet totum corollarium. Nisi quis ex spiritu renatus sit (fit quandoque coram se et hominibus iustus, castus, sapiens) caro est, carnalis est, vetus homo est. Omnia bona extra Deum carnis sunt, sola bona increata spiritus sunt. Augustinus: sine ipsa vero (loquitur de fide, quae per dilectionem operatur) etiam quae videntur bona opera in peccata vertentur.

*) Pro quatenus legitur: quia in Tom. I. Wittenb. nec non in Thesibus.

**) In Tom. I. Witt. et in Thes. verba sic fluunt: etiamsi est castus, sapiens, iustus.

Corollarium III.

Etsi omnes infideles vani sint, nil boni operantes, non tamen aequalem poenam patientur omnes.

Prima pars huius corollarii patet ex illis autoritatibus: Habacuc II: Justus ex fide vivit; Hebr. II: Sine fide impossibile est placere Deo; secunda similiter ex apostolo, Rom. II, patet, ubi dicit: Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis non sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, quoniam demonstrant opus legis scriptum in cordibus suis, testificante conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus. Haec verba Augustinus Lib. 4 contra Juliam cap. 3 tractans ita dicit, interpretando seu explicando de infidelibus: Si fidem non habent Christi, profecto nec iusti sunt, nec Deo placent, nam sine fide Deo placere impossibile est; sed ad hoc eas cogitationes suae die iudicii defendent, ut tolerabilius puniantur, quod naturaliter, quae legis sunt, utcunque fecerint, scriptum habentes in cordibus opus legis, dictans, ut aliis non facerent, quod ipsi perpeti nollent; hoc tamen peccantes, quod homines sine fide non ad eum finem ista retulerint opera, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur, non quod iste bonus, sed quod minus vetus et minus impius quam Catilina: Fabricius non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando. Et paulo supra dicit: illi, qui naturali lege sunt iusti, haud placent Deo.

Conclusio II.

Homo, Dei gratia exclusa, praecepta eius servare nequaquam potest, neque se vel de congruo, vel de condigno ad gratiam Dei*) praeparare, sed**) necessario sub peccato manet.

---

*) Vox Dei deest in Tom. I. Witteb. nec non in Thesibus.

**) Pro sed legitur verum in Tom. I. Witteb. ut et in Thesibus.

Prima pars conclusionis patet ex illo apostoli Rom. XIII: Plenitudo legis est dilectio, scientia inflat, caritas vero aedificat: item, litera occidit, spiritus autem vivificat. Quae verba tractans D. Augustinus dicit: Scriptura legis sine caritate inflat, non aedificat; et paulo post: Cognitio itaque legis facit superbum praevaricatorem, per donum autem caritatis delectat legis esse factorem; et in multis locis dicit: Lex data est, ut gratia quaereretur, gratia data est, ut lex impleretur.

Alteram partem D. Augustinus in multis locis ostendit. Satis erit iam adducere quaedam. Joh. XV: Sine me nihil potestis facere. Eiusdem est: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Apostolus I Cor. IV: Quid enim habes, quod non accepisti? Et multis aliis novi et veteris Testam. concludendo sic docetur, maximeque per Ezechielem prophetam, ubi prorsus Deus ait, nullis se hominum meritis bonis provocari, ut eos bonos faciat, velut obedientes mandatis suis; sed potius hoc eis retribuere bonum pro malo, propter se ipsum hoc faciendo, non propter illos. Ait enim, haec dicit Dominus Deus tuus; haec faciam domui Israel propter nomen meum sanctum, quod profanastis in gentibus; et post multa verba prophetae sequitur: Non propter vos ego facio, inquit Dominus Deus, notum sit vobis. Ex quibus omnibus D. Augustinus, gratiae defensor, cum sanctissimo apostolo, gratiae praedicatore, quod non hominis sit volentis et currentis, sed Dei miserentis, qui poenam non reddit nisi debitam, misericordiam vero nisi indebitam. Cessabunt igitur et nulla erunt merita, gratiam praecedentia; necessario ergo homo sine gratia filius manet irae, quia soli filii Dei sunt, qui spiritu Dei aguntur.

Corollarium I.

Voluntas hominis sine gratia non est libera, sed serva, *) licet non invita.

*) Pro serva legitur: servit, in Tom. I. Lat. Witteb. ut et in Thesibus.

Patet ex illo Rom. VII.: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati, voluntas sine gratia peccat, non ergo libera. Quod etiam verbo sancti Evangelistae patet, ubi Christus dicit: Si vos filius liberaverit, veri liberi estis. Hinc ait Augustinus: Quid obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam iustitiam liberum non erit, nisi ovis fueris; qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates. Non tamen invite, sed voluntarie servit. Patet etiam per Augustinum Lib. 1 contra Pelag., ubi dicit: Quod nec liberum in bono erit, quod liberatio non liberaverit, sed in malo liberum habet arbitrium in delectationem malitiae, vel occultus, vel manifestus decepto iusserit, vel se ipse persuasit. Augustinus Lib. 2 contra Jul.: Hic enim vultis hominem perfici, atque utinam Dei dono, et non libero, sed potius servo propriae voluntatis arbitrio.

Corollarium II.

Homo, quando facit quod in se est, peccat, cum nec velle aut cogitare ex se ipso possit.

Patet corollarium: quia arbor mala non potest nisi malos fructus producere seu facere, Matth. VII. Homo autem exclusa gratia arbor est mala secundum D. Augustinum in multis locis. Ergo quicquid facit, utatur ratione quocunque modo, eliciat actus, imperet et faciat actus sine fide operante per caritatem, peccat semper. Idem apostolus Phil. II: Deus est, inquit, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate, et alibi 2. Cor. VII: Non quod idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Augustinus: Cogitare aliquid bonum minus est, quam cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, non cupimus omne quod cogitamus: ex illo infert quoque ad id, quod minus est, vel ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et ad id, quod est amplius, vel ad cupiendum aliquid boni sine divino adiutorio idonei

simus ex libero arbitrio? Prov. XVI: Homo praeparat cor, non tamen sine adiutorio Dei. Apostolus: Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu et nemo potest dicere Dominus Jesus, in ipso Dominus aequaliter posuit; tunc dicit apostolus spiritualiter vel proprie: dicit autem proprie, Domine, ille qui voluntatem et mentem suam sono vocis enunciat.

Corollarium III.

Cum iustitia fidelium sit in Deo abscondita, peccatum vero eorum manifestum in se ipsis, verum est, non nisi iustos damnari, atque meretrices et peccatores salvari.

Patet quoad primum, quia iustitia fidelium est ex sola imputatione Dei secundum dictum Ps. XXXII: Beatus vir, cui non imputavit Deus peccatum, et alterius Psalmi: Auxilium meum a Domino, et Hos. XIII: Perditio tua Israel, sed in me auxilium. Secundum patet, quod alius Psalmus prodat peccatum, quod in me est semper, hoc est, in conspectu meo semper sum peccator; et apostolus Gal. III: Mortui, inquit, estis et vita vestra abscondita est in Christo in Deo; cum Christus apparuerit vita vestra, tum et vos apparebitis cum illo in gloria. Ergo omnis sanctus conscienter est peccator, ignoranter vero iustus, peccator secundum rem, iustus secundum spem; peccator re vera, iustus vero per reputationem Dei miserentis. Verum ergo est, non nisi iustos, hoc est, sibi nihil imputantes peccati, iustos in malis suis damnari; meretrices, vel sibi reputantes peccata, in oculis suis meretrices et peccatores, Deo tamen confitentes suam impietatem, atque pro hac remittenda tempore opportuno orantes, in eundem, non se ipsos sperantes, salvari. Facit ad hoc, quod Dominus sacerdotibus et scribis dixit: Amen dico vobis, quod publicani et peccatores praecedent vos in regno Dei, idem: Non veni vocare iustos, sed peccatores: male habentibus opus est medico: maius gaudium est super uno peccatore etc.

Conclusio III.*)

Gratia, seu caritas, quae non nisi in extrema necessitate succurrit, inertissima est, ac potius nulla caritas, nisi extrema necessitas, non mortis,**) sed quaevis,***) intelligatur. Patet breviter ex illo dicto D. Ambrosii: Nescit tarda molimina Spiritus S. gratia. Et quod non exspectat mortis periculum caritas, patet ex praecepto dilectionis proximi: Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Nullus autem est, qui non velit sibi succurri ante mortis periculum, quapropter et ipse aliis ante mortis periculum succurrere debet, secundum illud Salvatoris Matth. VII: Omnia, quae vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Idem, Joh. III: Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum patientem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manserit in eo?

Corollarium I.

Christus Jesus, virtus nostra, iustitia nostra, cordium et renum scrutator, solus est cognitor meritorum nostrorum et†) iudex.

Patet Coroll. ex multis passibus scripturae, I Paral. 28, Deut. 8, ex illo Ps. 45: Deus meum refugium et virtus, adiutor in tribulationibus; 1. Cor. 1: Qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemtio. Ps. 7: Scrutans corda et renes Deus iustus. Reliquum patet ex illo, Eccles. 9: Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tum nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.

---

*) Lutherus de hac conclusione in ep. ad Langum data Tom. I. Epp. ed. Aurif p. 24 haec dicit: Ex me talia audierat Mag. Bartholomeus.

**) In Tom. I. Witt. ed., nec non in Thesibus legitur vox: periculum post vocem: mortis.

***) In Tom. I. Wittenb. ut in Thesib. pro quaevis haec verba leguntur: cuiuscunque rei defectus.

†) In ed. Witt. et Jenens. legitur: ac.

Corollarium II.

Cum credenti omnia sint*) possibilia autore Christo, superstitiosum est, humano arbitrio aliis sanctis alia deputari auxilia.

Quod omnia credenti sint possibilia, dixit Salvaltor, Marc. 5, id. Matth. 21: Omnia quaecunque in nomine meo petieritis, credentes, accipietis. Si ergo credentes haec omnia possunt, multo fortius alibi. Ubi Deus erit omnia in omnibus, patet superstitiosum esse, huic sancto hoc, alii aliud nostro arbitrio deputare auxilium. Ad idem est illud apostoli 1. Cor. 3: Omnia vestra, sive vita, sive mens, sive praeterita, sive futura, et Rom. 8: Quomodo non omnia in illo donavit? Augustin. de Grat. Cap. 3: Sed et illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat. Si propterea non credidit, quia non audivit, omnino quidem crederet, sed fortassis ut minus ardeat. Matth. 19 dicunt discipuli: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere; Dominus respondet: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est. Sap. 8: Nemo potest esse continens, nisi Deus det. Paulus 1. Tim. 4 dicit: Gratias ago Deo, qui dat nobis victoriam. Idem: Cursum consummavi, fidem servavi; alibi, munus consecutus sum, ut fidelis essem; Eph. 2: Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu, in omnibus operibus bonis. Augustinus: Non est illa creatio, qua homines facti sumus, sed ea, de qua ille dicebat, qui iam homo erat, cor mundum crea in me, Deus. Augustinus: Gratia quippe adiuvat, ut legis quisque sit actor, sine qua gratia sub lege potius homo erit legis auditor. Cum per Ezechielem dicit Dominus Cap. 11: Auferam ab iis cor lapideum et dabo eis cor carneum, non intelligendum est, qnod carnaliter vivant, qui debent spiritualiter vivere,

---

*) In ed. Wittenb. ac Jen. nec non in Thesibus ante vocem: possibilia, sunt verba: autore Christo.

sed quod legis sine sensu est, cui comparatur cor durum, cui nisi carni sentienti cor mite debuit comparari?

Corollarium III.

Est iuxta praemissa ad Quaestionem responsivum.

Quaestio accedens.*)

Utrum omnes in Christo baptizati aequaliter recipiant effectum baptismatis.

Conclusio.

Gratia baptismatis regulariter et semper aequalis est, quantum est ex parte Dei et sacramenti; inaequalis tamen esse potest, quantum ad ministros, meritum, passionem Christi et recipientis subiecti.

Pro deductione huius conclusionis praesuppono, quod duplex est effectus baptismi: quidam praecise sequitur opus operatum, vel sacramentum adhibitum, semoto impedimento, circumscripto devotionis merito, tam conferentis, quam suscipientis: quidam consequitur non opus operatum, sed opus operans, vel dispositionem seu meritum conferentis **) vel suscipientis: et prior effectus baptismi sequens opus operatum proprie est effectus sacramentalis. Secundo notandum, quod ad effectus baptismi concurrunt plures causae, effectiva principalis, Deus scilicet ipse gloriosus, secundo meritoria, quae est passio Christi, unde sacramenta habent efficaciam, tertio dispositiva subiecti suscipientis, quarto dispositiva conferentis ministri, et secundum quodlibet horum potest variari gratia in baptismo collata.

---

*) Haec Quaestio nisi in Mso Loescheri legitur nusquam.

**) Nota Loescheri: Haec opinio adhaesit Luthero ex scholis, cui tamen per distinctionem effectus sacramentalis et adventitii mederi voluit

Lutheri Epistola

ad

Albertum Magdeburgensis ac Moguntinensis ecclesiae archiepiscopum

et

Disputatio

pro declaratione virtutis indulgentiarum.

1517.

Praefatio.

Quo accuratius quid de Indulgentiis anno 1517 agi coeptum sit intelligatur, pauca de istis praefanda esse videntur.

Indulgentias iam seculo quarto decimo et quinto decimo in varia et secularium et ecclesiasticarum rerum commoda venditas esse, uberius docuit V. E. Loescher, qui in libro suo: Vollstaendige Reformationsacta, Tom. I p. 357 sqq. indulgentiarum historiam adumbravit et complura indulgentiarum inde ab anno 1457 editarum exemplaria in medium protulit; nullo autem tempore neque acriore studio nec maiore ostentatione nec pluribus locis venditabantur istae quam sub Leone X papa, qui ad basilicam S. Petri aedificandam plenissimas indulgentias vendendas curabat. Quo maius inde lucrum compararetur, complures ad hoc negotium peragendum electi

sunt viri idonei atque auctoritate pollentes; nullus autem ex his maiore cum fructu vel impudentius illam rem gessit quam Joannes Tetzelius, monachus Dominicanus et theologiae Baccalaureus, qui, quum iam inde ab anno 1500 indulgentiarum nundinas instituere studuerit, Subcommissarius ad hanc rem gerendam constitutus est (cf. Loescheri l. l. I, 367 et Seckendorfii Histor. Lutheranismi. L. I. p. 25). Is non satis habebat indulgentias ipse quavis ratione et quam plurimo vendere, sed etiam sine iussu atque auctoritate papae vel commissariorum primariorum libellum, qui inscribitur Summaria sacerdotum instructio ad praedicandas indulgentias, edidit, quo non solum omnium ordinum sacerdotes ad indulgentias praedicandas ac vendendas maximopere exhortatus est, sed etiam vias ac rationes eos docere studuit, quibus hoc negotium maximo cum fructu agere atque exercere possent. Lutherus initio non impugnavit indulgentias per se ipsas, sed quae a Tetzelio in isto libello commendantur indulgentias praedicandi et vendendi rationes, hae eum in certamen illud ecclesiae christianae saluberrimum devocaverunt; ideoque Albertum archiepiscopum in epistola rogat atque obsecrat, ut istum Tetzelianum libellum penitus tolleret et veniarum praedicatoribus aliam imponeret formam praedicandi.

Primum indulgentiarum diploma, quod pro basilica Vaticana aedificanda datum nobis innotuit, Julii II papae iussu anno 1513 prodiit. Loescher id reddidit in libro: Reformationsacta I, 368 sqq. et hoc est:

Universis et singulis praesentes literas inspecturis pateat, quod propter contributionem eleemosynariam, factam secundum formam apostolici indulti infra scripti, in subsidium Fabricae Basilicae Apostolorum principis in Romana urbe concessum est Honesto Johanni Dyttingk, Dioecesis Wlatislaviensis, una cum coniuge sua Agnetha gaudere beneficio seu privilegio bullarum et literarum apostolicarum Sanctissimi Domini nostri, Domini Julii Papae II, noviter emanatarum, anno videlicet millesimo

quingentesimo decimo tertio idus Januarii, per easdem literas facultatis seu commissionis concessae et factae Reverendo Patri, Fratri Francisco Zeno de Mediolano, Fratrum Minorum de Observantia, et mihi Patri Fratri Timotheo de Luca, generali Vicario citramontano, super totam Italiam, Ungariam, Poloniam, Bohemiam, Austriam et alias provincias suae iurisdictionis, quoad Fratres praedictos et consequenter mihi infra scripto, tanquam ab eo autoritate apostolica deputato et subdelegato, anno videlicet MCCCCC duodecimo, vigesimo octavo die mensis Junii: quantum ad hoc videlicet, quod quemvis possit idoneum eligere confessorem, presbyterum secularem vel regularem, cuiusvis ordinis, etiam mendicantium, qui confessione diligenter audita pro commissis tunc tempore electionis per eos excessibus, delictis et peccatis quibuslibet, etiam sedi apostolicae reservatis, et a censuris ecclesiasticis, etiam quarum absolutio dictae sedi reservata foret; etiam de his, quae in Coena Domini reservantur, praeterquam occasione machinationis in personam summi pontificis, occisionis episcoporum et consecratorum, aliorumve praelatorum superiorum, falsificationis bullarum aut literarum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, aluminum Tulfe, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem apostolicam, delatorum incursis: non tamen sub spe et praetextu praesentis concessionis, ac praevia satisfactione, de iure competenti, semel in vita, nec non in mortis articulo, et quotiens de illo dubitabitur, absolutionem et remissionem ac plenissimam indulgentiam impendere: in non reservatis vero casibus et censuris, licet aliis inferioribus papae forent reservati, totiens quotiens id petierit, absolutionem impartiri et poenitentiam salutarem iniungere valeant, ac etiam tunc emissa per eos vota quaecunque (ultramarino et ingressus religionis professae ac castitatis solennisatae duntaxat votis exceptis) in alia pietatis opera commutare: similiter praefatis indigentibus, omni tempore anni, praeterquam in die

Paschae et in articulo mortis, eucharistiae sacramentum, sive per se, sive per alium ministrare possit et valeat, auctoritate apostolica, per dictas literas concessa. Ista tamen confessionalia non se extendunt ad commutationes votorum, sive absolutiones peccatorum, emissorum sive commissorum ante receptionem illorum, quia de tunc emissis votis sive commissis peccatis debebunt absolvi, sive dispensari . deputatis, suffragabuntur postea profuturis. Inhibet autem papa ordinariis et aliis quibuscunque, sub poena excommunicationis latae sententiae et quingentorum ducatorum, ne post absolutionem, dispensationem et concessionem huiusmodi de praemissis casibus se quovis modo intromittere, vel tales contribuentes molestare, seu quo minus istiusmodi facultatibus et gratiis libere uti possint, impedire praesumant, eo quod in utroque foro, scilicet contentioso et conscientioso, praedictae commutationes, absolutiones et dispensationes valeant: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac literis quorumcunque praedecessorum, Romanorum pontificum, praesertim Pauli II et Sixti IV, quibus expresse et sufficienter per praedictas literas derogatur, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque. In quorum fidem ego frater Baptista de Austria, eiusdem Jubilaei Commissarius, Ordinis Minorum de Observantia, ad praemissa subdelegatus et deputatus, manu propria subscripsi et sigillo munitas tradidi praesentes literas. Datum in Elwingo, die 25. Mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo tertio decimo.

Forma absolutionis plenariae praemissa confessione. Semel in vita et in quolibet periculo et in mortis articulo vel verisimili.

Misereatur tui etc. Et post verba communis absolutionis dicat sacerdos: Iterum apostolica autoritate tibi concessa, et mihi in hac parte commissa absolvo Te ab omnibus peccatis, delictis et excessibus quantumcunque enormibus, hactenus per te commissis, ac censuris quomodolibet incur-

sis, etiam sedi apostolicae reservatis, in quantum mihi facultas conceditur. Et iterum remitto, per plenariam indulgentiam, omnem poenam in purgatorio tibi debitam, pro praemissis, ac restituo Te illi innocentiae et puritati, quam in baptismo accepisti, ita quod decedenti Tibi ab hoc seculo clausae sint portae poenarum et apertae ianuae deliciarum paradisi. Quod si hac vice non morieris, salva sit Tibi nihilominus ista gratia, quando alias fueris in articulo mortis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Forma totiens quotiens.

Misereatur tui etc. Dominus noster Jesus Christus per miritum suae passionis te absolvat. Autoritate eius et apostolica, mihi in hoc parte commissa et tibi concessa, Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Forma commutationum votorum futurorum.

Eadem autoritate votum vel vota, per te vel pro te emissum vel emissa, in illud opus pietatis, vel in illa opera pietatis, exprimendo tibi commuto et te ab illo vel illis redimo, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen.

Pro Defunctis.

Quoniam Sanctissimus Dominus noster, Dominus Julius Papa II., cupiens subsidio thesauri sanctae matris Ecclesiae animas defunctorum in purgatorio existentes a poenis liberari, Nobis fratri Timotheo de Luca Ordinis Minorum de Observantia, apostolicae sedis super totam Italiam, Ungariam, Poloniam, Bohemiam, Austriam et nonnullas alias provincias, quoad executionem Bullae et aliarum literarum apostolicarum pro fabrica infra scriptae ecclesiae emanatarum Nuncio et commissario generali, commisit, ut singulis Christi fidelibus pro eorum parentum vel amicorum defunctorum anima-

bus in purgatorii poenis degentibus fabricae ecclesiae principis apostolorum de Urbe eleemosynam secundum ordinationem nostram erogantibus plenariam in suffragiis, eleemosynis, ieiuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus et ceteris omnibus spiritualibus bonis, quae fient et fieri poterunt, in tota universali ecclesia militante, pontifex ipse participes fieri et esse voluit. Et quia honestus Johannes Dytting, pietate motus, medio Fratris Baptistae de Austria, commissarii apostolici, subdelegati nostri, pro anima suae matris Elisabeth defunctae capsae praefatae fabricae, iuxta tenorem Bullae super hoc editae eleemosynam erogavit; ideo animae praedictae defunctae plenissimam indulgentiam praefatam pro plenaria poenarum relaxatione pariterque participatione suprascriptorum omnium bonorum suffragari debere, per praesentes autoritate apostolica decernimus. Datum in Elwingo, die vigesima sexta mensis Novembris, Anno Domini MCCCCC tertio decimo.

Autoritas communionem recipiendi, extra parochiam et sine licentia Curati, totiens quotiens devotio exegerit, praeter diem Paschae et mortis articulum.

Universis et singulis venerabilibus episcopis, presbyteris, religiosis ceterisque praesentes literas inspecturis, Frater Timotheus de Luca, ordinis Minorum Observantiae, quoad executionem Bullae et aliarum literarum, pro fabrica ecclesiae principis apostolorum emanatarum, Nuncius et commissarius apostolicus generalis, licet immeritus, Salutem in Domino perpetuam, praesentium tenore vobis fidem facimus et attestamur, per nos medio Fratris Baptistae de Austria, Commissarii apostolici, Subdelegati nostri, concessam fuisse licentiam et facultatem, eucharistiae sacramentum honesto Johanni Dytting quocunque tempore, praeterquam in die Paschae et in articulo mortis, a confessore sibi eligendo per se vel per alium sacramentum eucharistiae sumendi, eo quod fabricae praefatae ecclesiae principis apostolorum de Urbe secundum conventionem factam

manus adiutrices porrexerit. Quam licentiam et facultatem Christi fidelibus impartiendi nobis et nunciis nostris a sanctissimo domino nostro Papae Julio II concessum est, ut patet per literas apostolicas in forma Brevis datas Romae, sub annulo Piscatoris, XII. Febr. MCCCCCVII, Pontificatus sui anno quinto. In quorum corroborationem et testimonium praesentes fieri fecimus. Datum in Elwingo, vigesima sexta die mensis Novembris, anno Domini MCCCCC tertio decimo.

(L. S.) Ego Frater Baptista,
qui supra mpp. subscripsi.

Leo P. X has indulgentias in basilicae Vaticanae commodum denuo edidit ac promulgavit, eiusque sub nomine indulgentiae multo studiosius quam antea inprimis in Germanicis terris vendebantur. Anno 1514 d. 2. m. Dec. a Leone X primus in provincias Rhenanas, Belgicas, Burgundicas Commissarii primarii loco ad indulgentias plenissimas circumferendas delegatus est Joannes Angelus Arcimboldus, Mediolanensis. Postea haec potestas ei est denuo data et ad Austriae, Bavariae, Guestfaliae, Holsatiae, Sueciae provincias, praecipue ad civitates ac dioeceses Caminensem et Misnensem prolata atque adaucta. In his autem dioecesibus circiter inde ab anno 1516 Subcommissarii loco eximiam huic negotio navavit operam Jo. Tetzelius, id quod cernere licet ex hac, quam d. 24. mens. Aprilis a. 1516 Worzio ad Andream Hummelshayn dedit, epistola (cf. Loescheri Reform. Act. I, 376 sqq.):

Johannes Angelus Arcimboldus iuris utriusque doctor, Praepositus de Arcisate, Protonotarius et Referendarius apostolicus, nec non ad Coloniensem, Treverensem, Saltzburgensem, Bisuntinensem, Bremensem, ac Upsalensem provincias, illarumque ac Cameracensem, Tornacensem, Morinensem, Attrebatensem, Caminensem et Misnensem civitates et dioeceses, super executione plenissimarum indulgentiarum immensae Fabricae Basilicae principis

apostolorum coelorumque clavigeri de Urbe Nuncius et Commissarius a sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, D. Leone Papa X., specialiter deputatus, prout in literis eiusdem sanctissimi Domini nostri Papae sub plumbo editis plenius continetur, dilecto nobis in Christo Andreae Hummelshayn salutem in Domino sempiternam.

Exigente piae devotionis affectu, quem nos erga Deum et dictam basilicam te habere cognovimus, eo quod pro continuatione tam immensi operis ex pinguedine caritatis iuxta apostolicum indultum manus porrexisti adiutrices: ideo autoritate apostolica nobis tradita te*) concedimus facultatem eligendi idoneum secularem, vel cuiusvis, etiam mendicantium ordinis regularem confessorem, qui confessione tua diligenter audita pro commissis per te excessibus, criminibus, delictis atque peccatis quantumcunque gravibus et enormibus, etiam sedi apostolicae reservatis, etiamsi talia forent, propter quae sedes ipsa apostolica esset merito consulenda, ac censuris ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicuius instantiam latis, de consensu partium etiam ratione interdicti incursis et quorum absolutio dictae Sedi esset reservata, praeterquam machinationis in personam summi pontificis, occisionis episcoporum et aliorum superiorum praelatorum, et iniectionis manuum violentarum in illos et alios praelatos, falsificationis bullarum et literarum apostolicarum, delationis armorum et aliorum probibitorum ad partes infidelium, et sententiarum et censurarum occasione aluminum sanctae matris ecclesiae, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem apostolicam, delatorum, incursarum semel in vita, et in non reservatis casibus toties, quoties id petieris, et in mortis articulo plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam et remissionem impendere, ac poenitentiam salutarem iniungere, nec non eucha-

*) Ita contra Syntaxin habet litera diplomatis, cui, cetera omnia impresso, Tezelius nomen petitoris indulgentiarum, et pronomina applicationis, tuorum, tibi, tuis, manu sua inscripsit.

ristiae sacramentum, praeterquam in die Paschae et in mortis articulo, aliis anni temporibus ministrare, et emissa per te vota quaecunque, ultramarino, ingressus religionis, et castitatis votis duntaxat exceptis, in utilitatem dictae fabricae commutare possit. Ita tamen, quod durante tempore praesentis commissionis et publicationis, cum praefato Commissario, vel Subdeputatis ab eo super commutatione dictorum votorum in utilitatem dictae fabricae fiat, compositio, nec non tibi, et parentibus, ceterisque defunctis tuis, qui in sinceritate fidei et unitate sanctae matris ecclesiae decesserunt, omnium et singularum missarum, orationum, divinorum officiorum, ieiuniorum, disciplinarum, stationumque, eleemosynarum, suffragiorum, omniumque aliorum bonorum spiritualium, quae fiunt et fient in perpetuum in universali sacrosancta militante ecclesia, et membris eius participationem impartimur. In quorum fidem et testimonium praesentes fieri, et sigilli, quo in talibus utimur, fecimus appensione muniri. Datum in Worzn Anno MCCCCCXVI die 24. Mensis Aprilis, Pontificatus praefati Sanctissimi Domini nostri anno 4.

Forma Absolutionis plenariae, praemissa confessione:

Misereatur tui etc. Dominus noster Jesus Christus per merita suae sanctissimae passionis te absolvat, et ego autoritate eiusdem et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et sanctissimi domini nostri Papae tibi concessa et in hac parte mihi commissa te absolvo, primo ab omnibus censuris ecclesiasticis per te quomodolibet incursis, deinde ab omnibus peccatis, delictis et excessibus tuis hactenus per te commissis quantumcunque enormibus, etiam sedi apostolicae reservatis, in quantum claves sanctae matris ecclesiae se extendunt, remittendo tibi per plenariam indulgentiam omnem poenam in purgatorio pro praemissis tibi debitam, et restituo te sanctis sacramentis ecclesiae et unitati fidelium ac innocentiae et puritati, in qua eras,

quando baptizatus fuisti, ita quod tibi decedenti clausae sint portae poenarum et sint apertae ianuae paradisi deliciarum, quod, si non morieris, salva sit ista gratia, quando alias fueris in mortis articulo. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Johannes Tetzel,
Subcommiss. mppr. scripsit.

Altera indulgentias plenissimas in Germaniae provinciis praedicandi ac venditandi potestas a Leone X papa commissa est anno 1517 Alberto, Magdeburgensis et Moguntinae sedis archiepiscopo principique electori, et Guardiano fratrum ordinis minorum de observantia conventus Moguntini. Quum vero postea Franciscanorum Guardianus operam huic negotio denegare coepisset, Albertus, qui tum hanc rem agendam atque promovendam solus susceperat, Jo. Tetzelium, ordini Dominicanorum adscriptum, qui eloquentissimum et versutissimum indulgentiarum praeconem iam diu se praestiterat et inde ab anno 1515 etiam haereticae, quam dicebant, pravitatis inquisitoris munere fungebatur, in auxilium arcessivit atque Subcommissarium generalem ad exsequendas indulgentias, pro basilica S. Petri fabricanda a papa concessas, in terris sibi subditis constituit. Indulgentiarum literas Tetzelius usque ad mensem Septembrem a. 1517 sub unius Alberti nomine circumferebat atque venditabat, postea sub suo ipsius nomine indulgentiarum diplomata edebat, inprimis in regionibus civitatis Magdeburgensis, Halae, Zerbstii, Juterbocii, ceterisque locis, quae Vittenbergae circumiacebant, alterumque ipse ordinis praedicatorum monachum, cui nomen erat Bartholomaeo, ad hoc negotium exercendum Subcommissarium sibi ascivit.

Unam ex indulgentiarum epistolis, quae sub Alberti nomine archiepiscopi et Guardiani Franciscanorum Moguntinensium datae sunt, Loescher in Reform. Act. I, p. 388 sqq. nobiscum communicavit, eandem quam Paulus Seidelius in Vita Lutheri p. 3 et 4 primus in lucem edidit. Cum hac, si

nomen exceperis illius, cui concessa est,* prorsus congruit illud genuinum indulgentiarum diploma, quod Hermannus von der Hardt in Historia literaria Reformationis, Francof. et Lips. 1717. P. IV p. 4, in medium protulit et quod Gottinga die prima mensis Julii a. 1517 datum magno sigillo ornatum erat, quod Petri apostoli protomen, sub qua corona clavesque papales suberant, prae se ferebat et hac insigniebatur inscriptione: S. Fabrice S. Petri de Urbe.*) Huius epistolae argumentum hoc est:

Albertus, Dei et apostolicae sedis gratia Sanctarum Magdeburgensis ac Moguntinae sedis Archiepiscopus, Primas, et sacri Romani imperii in Germania Archicancellarius, Princeps Elector ac Administrator Halberstadensium ecclesiarum, Marchio Brandenburgensis, Stetinensis, Pomeraniae, Cassubarum, Sclavorumque Dux, Burggravius Norenbergensis, Rugiaeque Princeps.

Et Guardianus fratrum ordinis minorum de observantia conventus Moguntini, per sanctissimum Dominum nostrum Leonem, papam decimum, per provincias Magdeburgenses, Moguntinenses, ac illarum, et Halberstadenses civitates, et dioeceses, nec non terras et loca illustrissimorum Principum, Dominorum Marchionum Brandenburgensium temporali Dominio mediate vel immediate subiecta, Nuncii et commissarii ad infra scripta specialiter deputati uni-

*) v. d. Hardt dicit de hac ep.: Exhibemus genuinum diploma indulgentiarum, ab ipsis Commissariis veris Alberto Electore et Guardiano Moguntino profectum, idque integrum et verum cum suo hacteuus vix cognito sigillo, quod huius nundinationis aut artificiosae exactionis originem vel scopum aut praetextum monstret, Fabricam Ecclesiae S. Petri de Urbe, praesente ipso Petro cum clavibus armisque Pontificis maximi. Quod rarum his annis historiae documentum ante multos annos ex Curia Gottingensi per Pastorem Colerum senem ad me pervenit. Ita iam comparet Sigillum Fabricae S. Petri de Urbe, quo tam enormiter abusus est Tetzelius, ut claves prope suas prae indignatione abiecisset Petrus, ut Moses tabulas.

versis et singulis praesentes literas inspecturis Salutem in Domino:

Notum facimus, quod sanctissimus Dominus Leo, divina providentia Papa decimus modernus, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus ad reparationem Fabricae Basilicae Principis apostolorum, Sancti Petri de Urbe, iuxta ordinationem nostram manus porrigentibus adiutrices, ultra plenissimas indulgentias ac alias gratias et facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt, iuxta literarum apostolicarum, desuper confectarum, continentiam, misericorditer etiam in Domino indulsit atque concessit, ut idoneum possent eligere confessorem presbyterum secularem, vel cuiusvis, etiam mendicantium ordinis regularem, qui, eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis et excessibus, ac peccatis quibuslibet, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam in dictae sedi reservatis casibus, ac censuris ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicuius instantiam latis, de consensu partium etiam ratione interdicti incursis, et quorum absolutio eidem sedi esset specialiter reservata; praeterquam machinationis in personam summi pontificis, occisionis episcoporum, aut aliorum superiorum praelatorum, et iniectionis manuum violentarum in illos, aut alios praelatos, falsificationis literarum apostolicarnm, delationis armorum, et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum et censurarum, occasione aluminum tulfae apostolicae de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem delatorum, incursarum, semel in vita et in mortis articulo, quoties ille imminebit, licet mors tunc non subsequatur: et in non reservatis casibus totiens, quotiens id petierit, plenarie absolvere, et eis poenitentiam salutarem iniungere. Nec non semel in vita et in dicto mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem impendere, et eucharistiae sacramentum, die Paschatis et mortis articulo excepto, quibusvis anni temporibus ministrare: nec non per eos emissa pro tempore vota quaecunque (ultramarino, ingres-

sus religionis, et castitatis, visitationis liminum apostolicorum, et Sancti Jacobi ad Compostella vota duntaxat exceptis), in alia pietatis opera autoritate apostolica possit et valeat. Indulsit quoque idem sanctissimus Dominus noster praefatos benefactores, eorumque parentes defunctos, qui cum caritate discesserunt, in precibus, suffragiis, eleemosynis, ieiuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus, stationibusque, et ceteris omnibus spiritualibus bonis, quae fiunt et fieri poterunt, in tota sacrosancta ecclesia et omnibus membris eiusdem, in perpetuum participes fieri.

Et quia devoti Meckel relicta Rodts, Peders et Adam Rodt, ad ipsam fabricam et necessariam instaurationem supradictae Basilicae Principis apostolorum iuxta sanctissimi Domini nostri Papae intentionem, et nostram ordinationem, de bonis suis contribuendo se gratos exhibuerunt et liberales, in cuius rei signum praesentes literas a nobis acceperunt: ideo eadem auctoritate apostolica, nobis commissa, et qua fungimur in hac parte, ipsisque dictis gratiis et indulgentiis uti, et eisdem gaudere possint et valeant, per praesentes concedimus et largimur. Datum in Göttingen sub sigillo per nos ad haec ordinato, die prima mensis Julii, anno Domini MCCCCCXVII.

Forma absolutionis totiens quotiens in vita.

Misereatur tui etc. Dominus noster Jesus Christus per meritum suae passionis te absolvat, autoritate cuius et apostolica mihi in hac parte commissa et tibi concessa ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen.

Forma absolutionis et plenissimae remissionis, semel in vita et mortis articulo.

Misereatur tui et. Dominus noster Jesus Christus per meritum suae passionis te absolvat et ego autoritate ipsius et apostolica mihi in hac parte commissa et tibi concessa te absolvo primo ab omni

sententia excommunicationis maioris vel minoris, si quam incurristi, deinde ab omnibus peccatis tuis, conferendo tibi plenissimam omnium peccatorum tuorum remissionem, remittendo etiam tibi poenas purgatorii, in quantum se claves sanctae matris ecclesiae extendunt. In nomine Patris et Filii et S. S. Amen.

Indulgentiarum epistola vetustissima, sub Tetzelii ipsius nomine edita nobisque reservata, scripta est d. XIX m. Maii a. 1515, et primum anno 1705 in libro: Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theol. Sachen p. 197 sq. a Loeschero evulgata, deinde in Reformationis Actis T. 1, p. 391 ab eodem repetita est, ubi sic legitur:

Frater Johannes Tetzel, ordinis praedicatorum Lipsiensis, sacrae Theologiae Baccalaureus ac haereticae pravitatis Inquisitor specialis, sanctissimi in Christo patris, Domini nostri Leonis, divina providentia Papae decimi, summi Pontificis, Dei in orbe universo Vicarii ut et sanctae sedis Romanae ad Germanorum provincias, dioeceses, civitates, terras et loca quaelibet Subnuncius et sacratissimarum indulgentiarum Commissarius, una cum Gwardiano fratrum minorum sancti Francisci, in hac parte collega, omnibus et singulis has literas inspecturis Christi fidelibus, praeprimis magistratibus, iudicibus, inquisitoribus ac forum agentibus tam clericis quam laicis, Salutem in Domino sempiternam. Detexit nobis moestissime tristiusque confessus est Matthias Menner, inquilinus villae Criehow, Burchiwerbiensis parochiae ad Salam, quod voluisset lapide canem vicini sui allatrantem petere, in quo iactu vicini filiola se non vidente cani appropinquavisset, quam lapis contra omnem voluntatem suam et intentionem tetigisset, de qua caede ex intimis dolet. Unde volens saluti suae consulere, a nobis de opportunae absolutionis remedio sibi provideri flexis genibus et coniunctis manibus lacrimans postulari fecit. Quocirca nos, qui salutem quorumlibet quaerere debemus, dictum Matthiam Mennern, qui nobiscum secundum vires suas in commodum fabricae

Basilicae Principis apostolorum compositionem gessit, autoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, ab caede fortuita misericorditer absolvimus, illumque eadem autoritate per nos a dicto homicidio totaliter absolutum esse, per praesentes promulgamus literas, mandantes omnibus et singulis tam clericis quam laicis sub sententiis, censuris et poenis in literis facultatum nostrarum apostolicarum contentis, ut Matthiam Mennern huius caedis minime gentium quisquam accuset, iudicet, damnet, sed quilibet ubivis totaliter et plenissime absolutum eundem esse statuat. Ad fidem et testimonium Sigillum praefatae fabricae signumque Papale, quo huiusmodi utimur, impressimus. Datum Crichow, Anno Domini MVCXV, 19. Maii, Anno tertio imperii sanctissimi Domini nostri Papae.

Alia indulgentiarum epistola, quam J. Tetzelius, Subcommissarius generalis ab Alberto archiepiscopo et Guardiano fratrum minorum S. Francisci ad indulgentias exsequendas constitutus, die 5. mens. Octobris a. 1517 Berolino dedit, legitur in Loescheri Reformat. Actis I, p. 394 sic:

Frater Johannes Tetzel, ordinis Praedicatorum Conventus Lipsiensis, sacrae theologiae Baccalaureus ac haereticae pravitatis inquisitor, a Reverendissimo in Christo Patre et Dn. Domino Alberto, sanctarum Magdeburgensium et Moguntinensium ecclesiarum Archiepiscopo primate et Sacri Romani Imperii in Germania Archicancellario, Principe Electore et Administratore Halberstadiensi et Marchione Brandenburgensi, Stetinensi, Pomeraniae, Cassuborum Sclavorumque Duce, Burggravio Noribergensi ac Rugiae Principe, sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Leonis divina providentia Papae decimi, ac eiusdem sanctae sedis apostol. ad Magdeburg. ac Moguntinens. Provincias ac illarum, Halberstad. civitates et dioeceses nec non terras et loca Magdeburgensium et Moguntinens. Archiepiscoporum et Marchion. Brandeburgensium temporali Dominio mediate vel immediate, directe vel indirecte subiecta, pro executione sacratissimarum indulgen-

tiarum, pro fabrica basilicae Principis apostolorum de Urbe in forma Jubilaei concessarum, Nuncio et Commisario una cum Guardiano fratrum minorum sancti Francisci de observantia in civitate sua Moguntina, in hac parte collega suo, Sub-Commissarius generalis, cum potestate substituendi ad praefatas provincias et dioeceses ac omnia illustrissimorum et illustr. Dominor. Marchion. Dominica praedicta deputatus et constitutus, dilecto nobis in Christo Tilemanno de Kopenick Brandenburgensis Dioecesis salutem in Domino sempiternam.

Exposuisti nobis, quod volebas suem percutere, in quo casu puer tuus te non vidente tibi appropinquavit, quem (percutiendo post suem) contra omnem voluntatem tuam cum infinita cordis tua tristitia tetigisti et occidisti. De quo peccato ex intimis doles. Unde volens saluti animae tuae consulere a nobis de opportuno absolutionis remedio tibi provideri humiliter postulari fecisti. Quocirca nos, qui salutem quorumlibet quaesivimus, te, qui nobiscum secundum vires tuas in commodum praefatae fabricae compositionem fecisti, autoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, ab homicidio misericorditer absolvimus teque eadem autoritate per nos a dicto homicidio absolutum esse per praesentes denunciamus literas. Mandamus etiam omnibus et singulis, ad quos pervenerint, sub sententiis, censuris et poenis in literis facultatum nostrarum apostolicarum contentis, ut fidem hisce tribuant, te plenissime absolutum esse statuant huiusque caedis nequaquam quisquam accuset. Ad fidem et testimonium sigillum praefatae fabricae, quo ad huiusmodi utimur, impressimus. Datum Berlin Anno Domini 1517. 5. Octobr. Anno quinto Imperii sanctissimi Domini nostri Papae.

Inter omnes denique constat Tetzelium indulgentiarum virtutem ac potentiam prae ceteris ornasse nimiis laudibus atque nimio studio commendasse libello suo, qui inscriptus erat: Summaria instructio Sacerdotum ad praedicandas indulgentias. Ea instructio, typis expressa et sub

nomine, titulo et insignibus Alberti archiepiscopi et electoris Moguntini, quamvis neque conscii neque consentientis, edita, ubique ab auctore evulgabatur et acerrime commendabatur. Huius libelli propemodum oblivione oppressi reliquias primus von der Hardt in Historia Literaria Reformationis P. IV p. 14 ex schedulis laceratis excudendas typis curavit, atque de istius Instructionis, quae iam non tota neque integra superest, fragmento haec monet: „Frustum illius instructionis insigne hic exhibemus reliquiarum numero, quas mirentur posteri; hoc scandalum illud publicum, sine iussu et auctoritate Pontificis et Electoris aut Commissariorum primariorum editum, hoc illius aetatis monstrum, quod armavit Levitas, ut inveherentur in illos infaustos et infestivos cultores; Levitarum ferrum, calamus Lutheri; praeclarissima haec historiae pars, quae nostram aetatem iam fugerat. Valdopere mirandum, collectores operum Lutheri prorsus neglexisse hunc fomitem incendii tam magni, quo non cognito atque probe perspecto Lutheri decantata disputatio de virtute indulgentiarum obscura, vix intelligenda, ut parum iuvet.“

Nos et ipsi has reliquias istius Summariae instructionis typis repetendas curavimus, quoniam Lutherus saepius de illa instructione meminit tam in epistola ad Albertum Archiep. et Elect. Mogunt. in Vigilia omnium Sanctorum a. 1517 data, quam in libro Germanico qui inscribitur: Wider Hans Wurst. Edit. Erlang. Tom. XXVI, 1. Secuti sumus in textu reddendo von der Hardtii librum laudatum collatis Loescheri Actis Reformationis, T. I. p. 415 sqq. (Germanice ap. Walchium XV p. 418).

Fragmentum Summariae Jo. Tetzelii Instructionis sacerdotum ad praedicandas indulgentias.

Possunt absolvi et dispensari a quacunque irregularitate contracta, exceptis provenientibus ex homicidio voluntario et bigamia.

Item qui aliqua coniunctione, spirituali vel car-

nali, videlicet in tertio vel quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis impediti matrimonium contraxerunt, absolvi et dispensari possunt, et in contracto matrimonio remanere, et denuo si opus fuit contrahere valebunt, prolem susceptam et suscipiendam legitimam fore declarando. Item, de omnibus male oblatis incertis et etiam certis per usurariam pravitatem quaesitis.

Item, de omnibus legatis ad pios usus relictis compositio et dispensatio fieri potest.

Item, multae aliae facultates habentur, quae causa brevitatis omittuntur.

Idcirco perpendat populus, quod hic est Roma. Ista nunc est ecclesia sancti Petri, et ecclesiae nunc visitandae erunt loco ecclesiarum Romae visitandarum. Hi confessores poenitentiarii sunt et possunt sicut summi poenitentarii in ecclesia sancti Petri. Deus et sanctus Petrus vocant vos. Disponite ergo ad tantam gratiam consequendam, et pro salute animarum vestrarum et defunctorum vestrorum. Nolite ergo tardare. Quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Item, murmuratores, detractores, et qualitercunque et quomodocunque, directe vel indirecte, publice vel occulte, huiusmodi negotium impedientes, ipso facto sunt a sanctissimo domino nostro Papa Leone praedicto excommunicati, suntque in indignatione omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum, a qua excommunicatione absolvi non poterunt, nisi a solo Papa vel eius commissario, ideo cavete, ne ponatis os in coelum.

Sermo Secundus.

Venerabilis Domine, rogo ut velitis populo vobis subiecto intimare, ne tantam gratiam, ad salvandas animas concessam, negligere velit. Sciat, quod Sanctus Laurentius omnes thesauros ecclesiae et corpus suum tradidit ad assandum, sanctus Bartholomaeus propriam pellem crudeliter moriendo, Stephanus lapidatus, omnesque martyres caesi et mortui sunt pro salute animae. Et tu non vis cognoscere,

quod habes Romam in civitate sive oppido. Ecclesia tua effecta est ecclesia Sancti Petri de Roma, et sacerdotes tui facti sunt poenitentiarii apostolici. Scilicet ecclesiae sunt uti illae septem Romae deputatae pro peccatorum omnium remissione. Altaria illa septem sunt veluti illa, quae sunt in sancto Petro, ubi habetur plenaria remissio. Quid ergo cogitas, quid tardas converti? Cur iam in hoc tempore lacrimas non effundis pro peccatis tuis? Cur iam coram vicariis sanctissimi domini nostri Papae non confiteris? Nunc habes exemplum a Laurentio, qui traditos thesauros, quos habebat, amore Dei distribuit, et corpus ad assandum praebuit? Non capis exemplum a Bartholomaeo, Stephano et aliis Sanctis, qui mortem crudelissimam animo libenti pro animae salute voluerunt. Et tu non solum thesauros infinitos, verum etiam modicam eleemosynam non proponis. Ipsi praebuerunt corpora ad tormenta, tu vero delicias et oblectamenta non dedignaris: tu sacerdos, tu nobilis, tu mercator, tu mulier, tu virgo, tu nupta, tu iuvenis, tu senex intrare ecclesiam tuam, quae ut dixi est sancti Petri, et visitare crucem sanctissimam, quae pro te elevata est, quae continuo clamat et vocat te; verecundiam habes visitare crucem cum una candela, et non verecundaris visitare tabernam, verecundaris ire ad confessores apostolicos et non ad choreas. Considera, quod tu es in mari furibundo huius mundi, in tantis tempestatibus et periculis positus, et ignoras, an ad portum pervenire valeas salutis. Scisne quod omnia sint hominum tenui pendentia filo, et omnis vita militia super terram? Militemus ergo sicut Laurentius et alii omnes Sancti pro salute animae, et non pro corpore, quod hodie est et cras non, quod hodie sanum, cras infirmum, hodie vivum, cras mortuum. Scito, quod quicunque confessus et contritus eleemosynam ad capsam posuerit, iuxta consilium confessoris, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem habebit, et post confessionem et iubilaeum habitum, omni die visitando crucem et altaria, consequetur indulgentias,

sicut visitaret in ecclesia sancti Petri altaria illa septem, ubi datur plenaria indulgentia. Quid ergo statis otiosi? omnes currite ad salutem animae vestrae. Sis promptus et sollicitus ad salutem animae, sicut ad bona temporalia, a quibus non cessatis die noctuque. Quaerite dominum, dum prope est et dum inveniri potest, ut Joannes admonet, operamini, dum dies est, venit enim nox, in qua nemo operari poterit. Non auditis vocem parentum vestrorum et aliorum defunctorum, clamantium et dicentium: Miseremini, miseremini mei saltim etc., quia manus Domini tetigit me, quia sumus in durissimis poenis et tormentis, a quibus possetis nos parva eleemosyna redimere et non vultis. Aperiatis aures, quia pater ad filium et mater ad filiam etc. dicentes: Quare sicut deus persequimini me, et carnibus meis saturamini; quasi dicendo: Nos genuimus, aluimus, gubernavimus bona nostra temporalia relinquendo et estis tam crudeles et duri, quod nunc tanta facilitate nos liberare possetis, non vultis, permittitisque in flammis iacere, gloriam nobis promissam tardantes. Potestis iam habere confessionalia, quorum virtute in vita et in articulo mortis et in non reservatis totiens quotiens habere plenariam remissionem poenarum pro peccatis debitarum. O vos votivi, o vos usurarii, o raptores, o homicidae, o criminosi. Jam tempus est audiendi Dei vocem, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Convertimini ergo Jerusalem, Jerusalem, ad Dominum Deum tuum. O vos oblocutores, contradictores, et impedientes huiusmodi negotium, directe vel indirecte, quomodo statis pessime, estis extra communionem ecclesiae: non missae, non sermones, non preces, non sacramenta, non suffragia vos adiuvant. Non agri, non vineae, non arbores non animalia reddunt fructum suum, vina et spiritualia arida et sicca fiunt, ut exempla adduci possunt. Nolite tardare. Convertimini ad me in toto corde vestro, et capiatis medicinam, de qua loquitur sapientia: altissimus creavit medicinam de terra, et vir prudens non abhorrebit eam.

Sermo tertius.

Venerabilis Domine, oro, ut ovibus vestris meo nomine talia facere verba velitis, ut oculos mentis aperire velint, considerare, quantam gratiam et donum in foribus habuerunt et nunc habent. Vere beati oculi, qui vident, quod ipsi vident, advertunt, quod iam habent literas salvi conductus, per quem animam earum poterunt per istam vallem lacrimamarum, per istud mare furibundi huius mundi, ubi tot procellae et tempestates periculaque insunt, ad felicem patriam paradisi perducere. Sciant, quod hominis vita militia super terram. Habemus militare contra carnem, mundum et diabolum, qui semper animam perdere conantur. In peccatis mater nostra nos concepit, heu, quia funes peccatorum complexi sunt nos, et est difficile, et quodammodo impossibile ad portum pervenire salutis, sine divino adiutorio: quia non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed per suam sanctam misericordiam salvos nos fecit. Oportet ergo indui armatura Dei. Capiatis literas salvi conductus a vicario Domini nostri Jesu Christi, quibus mediantibus poteritis animam a manibus inimicorum liberare, et ad felicia regna, mediante contritione confessioneque, tutam et securam sine aliqua poena purgatorii perducere. Sciant, quod in his literis impressa et sculpta sunt omnia ministeria Christi passionis ibi extenti. Animadvertant, quod pro quolibet peccato mortali oportet per septem annos post confessionem et contritionem poenitere, vel in hac vita vel purgatorio: quot peccata mortalia committuntur in die, quot in hebdomada, quot in mense, quot in anno, quot toto tempore vitae? fere infinita sunt, et infinitam poenam habent subire in ardentibus poenis purgatorii. Et cum his literis confessionalibus poteritis semel in vita, in omnibus casibus, quatuor exceptis sedi apostolicae reservatis, habere plenariam omnium poenarum usque tunc debitarum; deinde toto tempore vitae poteritis, quandocunque vultis confiteri, in casibus papae non reservatis, etiam habere similem remissionem et po-

stea in articulo mortis plenariam omnium poenarum et peccatorum indulgentiam, et habere participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt in militante ecclesia et in membris eius. Nonne cognoscitis, quod, si contingat aliquem ire Romam vel ad alias periculosas partes, mittant pecunias suas in banco, et ille pro quolibet centum dat quinque aut sex aut decem, ut Romae vel alibi cum literis dicti banci securas rehabeat: et vos non vultis pro quarta parte floreni recipere has literas, quarum virtute non pecunias, sed animam divinam et immortalem tutam et securam ducere potestis ad patriam paradisi. Ideo consulo, committo, et in quantum ut pastor mando, ut una mecum ac aliis sacerdotibus habeant pretiosum thesaurum recipere, et quam maxime illi, qui in isto sacro iubilaeo confessi non fuerunt, quem in futurum acquirere poterunt, quia posset vobis contingere casus, quod velitis, et minime habere possetis.

Item, ex parte sanctissimi domini nostri Papae sanctissimaeque sedis apostolicae, ac reverendissimi domini mei legati, omnibus et singulis, qui sacrum iubilaeum et confessionalia receperunt ac pro isto parvo tempore recipient, ac praefatae fabricae apostolorum principis manus adiutrices apposuerint, in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, ieiuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus, stationibus papalibus, benedictionibus et ceteris aliis spiritualibus bonis, quae sunt et fieri poterunt in perpetuum in militari ecclesiae et in omnibus membris eius, tam ipsi quam sui parentes, consanguinei et benefactores defuncti, participes et consortes fient in perpetuum, et ut ipsi caritate moti, ita Deus et sancti Petrus et Paulus, et omnes sancti, quorum corpora Romae requiescunt, in hac valle in pace eius custodiant et ad superna regna perducant. Ages praedictis nominibus et meo gratias immortales reverendis tam secularibus sacerdotibus et praelatis etc.

Praeter haec Chemnitius nobis quaedam, quae in Tetzelii libello proponebantur, tradidit in Exa-

mine Concilii Tridentini, Parte IV, loc. 3, cap. 16 p. 143. Edit. Francof. 1599 (cf. Loesch. I p. 420 et von der Hardtii Hist. Literar. Reform. P. IV p. 5).

Tetzelius, ille inquit, non tantum pro concione impudentissimis praeconiis, verum etiam sparso libello quodam, quem summariam instructionem nominabat, indulgentiarum merces per Germaniam venales ubique (per ditiones Brandenburgicas) exponit. Capita autem et concionum et scripti eius, sicut ex Lutheri scriptis colligo, haec fuerunt: Pro concione despumabant quaestores isti tales exhortationes: En coelum undiqne apertum iam est, si nunc non intres, quando unquam intrabis? O insensatos et crassi cordis homines, bestiis prope similes, qui non percipitis tantam effusionem gratiarum. En tot potestis redimere animas. O duri, duri et negligentes, duodecim denariis patrem extrahere potes, et tam ingratus parenti in tantis poenis non succurris. Ego sane in extremo iudicio excusatus sum: vos videritis. Dico tibi, si unam solam tunicam haberes, hanc quoque exuendam et distrahendam iudico, ut tantas gratias obtineres etc. In oblocutores vero istius gratiae ita detonabant, ut tremens vulgus et coelum mox ruiturum et terram hiaturam formidaret. Addebant amplificationes: Si quis literas indulgentiarum redimeret, eius animam securam esse de salute sua. Et animas in purgatorio existentes, pro quibus indulgentiae redimantur, statim ubi coniectus in cistam nummus tinnierit, ex purgatorio in coelum evolare. Idem, tantas esse illas gratias, ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiamsi quis per impossibile matrem Dei violasset, quin per indulgentias solvi posset, et hominem per istas indulgentias liberum fieri ab omni poena et culpa. Esse enim istas gratias donum illud Dei inaestimabile, quo homo reconcilietur Deo, et omnes poenae purgatorii deleantur. Nec necessariam esse contritionem his, qui vel animas vel confessionalia redimerent. Verba enim instructionis haec fuerunt: Prima gratia principalis indulgentiarum est plenaria remissio omnium peccatorum, per quam

peccator perfectam remissionem et Dei gratiam denuo consequitur, per quam etiam remissionem peccatorum sibi poenae in purgatorio, propter offensam divinae maiestatis luendae, plenissime remittuntur et omnino delentur. Item pontificem habere potestatem in purgatorium ad liberandas per viam indulgentiarum animas. Et tam certam esse fiduciam salutis per literas Veniarum affirmabant, ut suam animam pro illis impignorarent. Crucem, quam cum insignibus papae in ecclesia erigebant, aeque efficacem esse ac ipsam Christi crucem. Addebant fabulas: In certo quodom loco quinque animarum millia per venias istas redemtas, inter quas solum tres fuissent damnatae, ideo quod detraxissent indulgentiis. Finis et conclusio concionum fuit: Impone, Impone, impone. Utque non verbis tantum, sed exemplo et facto homines excitarent, primi ad cistam in omnium conspectu procedebant, splendido gestu et sonoro tinnitu aliquid in cistam coniicientes; et astantes imponentibus arridebant, omittentibus indignabantur. Permittebant etiam pauperibus indulgentias illas gratis dari, sed ita, ut primum undecunque pecunias corradere tentarent a bonis fautoribus. Et uxores docebant, etiam invitis maritis, quomodocunpue corradere pecuniam ad redimendas indulgentias. Haec ex scriptis istorum temporum collecta ipsis verbis, quibus annotata fuerunt, adscripsi. Interea vero, dum imposturae istae magna impudentia Germaniam pervagarentur, audiebantur non murmura tantum, sed manifestae indignationes omnium bonorum. Defessi enim erant iam omnes in Germania ferendis istis expilationibus, nundinationibus et infinitis imposturis Romanensium. Vocarunt indulgentias animarum nundinas et monopolia. Fremebant a nundinatoribus istis indulgentiariis vendi licentiam et impunitatem peccatorum, non de praeteritis tantum, verum etiam de futuris, nec in hac tantum vita, verum etiam post obitum, sicut loquuntur querelae Germanicorum Gravaminum. Fingebant ridiculas fabellas, venisse scil. quendam mortuum cum literis veniarum

ad infernum, ac per eas petiisse libertatem: occurrisse vero daemonem quendam, qui cum Bullam legeret, inter manus ipsius prae furore ignis papyrum, membranam, ceram et plumbum consumta atque ita animam vacuam in profundum praecipitatam, sicut haec narrantur in scriptis illorum temporum." —

His igitur sacerdotum commentis atque agendi rationibus Martinus Lutherus suas opposuit propositiones, quas die ante festum omnium Sanctorum portis ecclesiae arcis Vittenbergensis affixit; eodemque die Alberto archiepiscopo et electori Moguntino misit epistolam, qua rogabat, ut ille remedia afferret tantae calamitatis, qua indulgentiarum quaestores ecclesiam christianam perturbarent atque pessumdarent.

Textum huius epistolae a Luthero ad Albertum archiepiscopum datae reddidimus secundum D. Martini Lutheri Epp. ab Aurifabro editas Tom. I. Jenae 1556 p. 37 sqq., et lectiones variantes adiecimus secundum hanc epistolam originalem, quae in tabulario publico Sueciae regni asservatur, et quam primus in lucem protulit Joh. Fridr. Mayer in Tractatu de ecclesia papae Luther. reform. patrona et cliente p. 7. (cf. Luthers Briefe ed. de Wette I, 67 sqq.)

Legitur eadem Latine in ed. Opp. Luth. Jenens. I., p. 1 b. Wittenb. I. p. 92; Germanice et Latine in Loescheri Reformat. Actis I, 476 sqq.; Germanice interprete Jona in ed. Wittenb. IX, 3 sq. Jen. I, 1 sq. Altenb. 1, 13 sqq.; Lips. XVII, 5.; Walch. XV, 479.

Theses, quas vocant, XCV, lingua Latina ex more virorum doctorum conscriptas, Lutherus in vigilia omnium Sanctorum a. 1517 portis ecclesiae arcis Vittenbergensis affixit. Eae propositiones non erant continuis numeris insignitae, sed ita in quatuor ordines dispositae, ut in singulis trium priorum vicenae quinae numerarentur, in quarto viginti, et ita quidem, ut in forma, quam dicunt, quarta quatuor foliis chartaceis prodirent. Hermannus von der Hardt in Historia Literar. Reformationis. P. IV p. 13 dicit, se genuinum editae disputationis exem-

plar tenere in forma ut appellant quarta quatuor foliis, cuius spectabilis frons haec erat et integram primam faciem absolvit:

DISPUTATIO D. MAR
TINI LUTHER THE
OLOGI, PRO DE
CLARATIONE
VIRTUTIS IN
DULGEN
TIARUM.

Atque ex hoc autographo exemplari omnes ab eo propositiones Lutheri integrae sunt denuo exhibitae. Recentioribus temporibus C. Jürgens in libro clarissimo: Luther von seiner Geburt bis zum Ablassstreit, T. III p. 480 (Lips. 1847) illius disputationis descripsit exemplar, quod et ipsum anno 1517 quamvis altero prelo excusum quatuor foliis in forma quarta prodiit et in bibliotheca regia Berolinensi asservatur. Lectiones huius exemplaris Berolinensis omnino fere cum lectionibus illius congruunt, quod von der Hardt reddidit, praeterquam quod in inscriptione exemplaris Berolinensis legitur: Vuittenbergae — et: lectore ordinatio; in thes. 2: verbum poenitentia; in thes. 50: edificari; in thes. 59 et 91: immo; in thes. 52: impignerat; in thes. 65: rhetia.

Genuina huius disputationis inscriptio in collectionibus opp. lat. Lutheri, tam Jen. quam Vittenberg., et in editionibus Propositionum Lutheri omnibus est omissa; et quibus verbis Lutherus in disputatione ipsa praefatus est, eadem in his editionibus tituli loco collocantur.

Protestatio, quae in ed. Jen. opp. lat. Luth. I, p. 5. et Germanice in ed. Vittenb. IX, 23 et Altenburg. I, 27 in finem huius disputationis est reiecta, errore quodam huc delapsa esse videtur, nam nec in antiquissimis exemplaribus huius disputationis invenitur, nec in editionibus Propositionum Lutheri a. 1530, 1538, 1558. Merito igitur atque optimo iure von der Hardt in Hist. lit. Reform. IV, p. 13 de hac re scribit: „Inprimis peregrinum, in tomis opp. L. subiungi protestationem, quae ab autographo plane

abest et iuste, quum totum argumentum doceat, alius esse aetatis, post lites dudum iam versatus, ex quibus iam adversa erat expertus. Assumentum itaque hoc iniustum alterius temporis et loci." Nos nihilo minus non abhorrere a re duximus hanc protestationem typis hic repeti, quod eam cognoscere multorum interesse arbitrabamur.

Legitur haec disputatio Latine in collection. Opp. Luth. Jen. I, p. 2. et Vittenb. I p. 51, et Germanice in ed. Jen. I, 3, Vittenberg. IX, 9, Altenb. I, 14, Lips. XVII, 1, Walch. XVIII p. 254. Antiquissimae autem eius editiones hae sunt:

Amore et studio elucidande veritatis: hec subscripta disputabuntur Wittenberge. Presidente R. Martino Luther: Artium et S. Theologie Magistro: eiusdemque ibidem lectore Ordinario. Quare petit: ut qui non possunt verbis presentes nobiscum disceptare: agant id literis. In noe dni nostri hiesu chri Amen. Post 95 theses (quae ter 25 et tandem 20 numerantur) in fine: M. D. XVII. fol. forma patent. Editio rarissima. (Panzer, Annales typographici IX, p. 70.)

DISPUTATIO D. MARTINI LUTHER THEOLOGI, PRO DECLARATIONE VIRTUTIS INDULGENTIARUM. Haec in fronte fol. 1. a. Folio eodem b. AMORE ET STUDIO ELUCIDANDAE veritatis haec subscripta disputabuntur Vuittenbergae, Praesidente R. P. MARTINO LUTHER, Artium et S. Theologiae Magistro, eiusdemque ibidem lectore ordinario. Quare petit ut qui non possunt verbis praesentes nobiscum disceptare, agant id literis absentes. In nomine domini nostri Jesu Christi Amen. In fine fol. 4. a. M. D. XVII. 4. (Panzer IX, 70.)

Nos textum huius disputationis reddidimus secundum editionem principem Propositionum Lutheri a. 1530, et tam quae von der Hardt ex genuino suo disputationis exemplari alia affert, quam quae aliarum editionum variantes lectiones gravioris momenti esse videbantur, in marginem inferiorem retulimus.

Reverendissimo in Christo

Patri, Illustrissimo Domino, Domino, Alberto Magdeburg. ac Moguntinen. Ecclesiae Archiepiscopo Primati, Marchioni Brandeburg. etc. Domino suo etc. Pastori in Christo, venerabiliter metuendo ac gratiosissimo.

J e s u s.

Gratiam Dei[1]), et quicquid potest et est.

Parce mihi, reverendissime in Christo pater, princeps illustrissime, quod ego faex hominum tantum habeo temeritatis, ut ad culmen tuae sublimitatis ausus fuerim cogitare epistolam, testis est mihi Dominus Jesus, quod meae parvitatis et turpitudinis mihi conscius diu iam distuli, quod nunc perfricta fronte perficio, permotus quam maxime officio fidelitatis meae, quam T. reverendissimae Pat. in Christo debere me agnosco, dignetur itaque interim tua Celsitudo[2]) oculum ad pulverem unum intendere, et votum meum pro tua pontificali clementia intelligere.

Circumferuntur Indulgentiae papales sub tuo praeclarissimo titulo ad fabricam S. Petri, in quibus non adeo accuso praedicatorum exclamationes, quas non audivi, sed doleo falsissimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas vulgo undique iactant, videlicet, quod credunt infelices animae, si literas indulgentiarum redemerint, se securas esse[3]) de salute sua. Item, quod animae de purgatorio statim evolent, ubi contributionem in cistam coniecerint: deinde tantas esse has gratias, ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiam (ut aiunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin possit solvi. Item, quod homo per istas indulgentias liber sit ab omni poena et culpa.

---

1) de Wette: gratiam et misericordiam. 2) de W.: tua interim celsitudo. 3) de W.: quod securi sint.

O Deus optime, sic erudiuntur animae tuis curis, optime Pater, commissae ad mortem, et fit atque crescit durissima ratio tibi reddenda super omnibus istis. Idcirco tacere haec amplius non potui, non enim fit homo per ullum munus episcopi securus de salute, cum nec per gratiam Dei infusam fiat securus, sed semper in timore et tremore iubet nos operari salutem nostram apostolus. *) Et iustus, inquit Petrus [4]) vix salvabitur **). Denique tam arcta est via, quae ducit ad vitam, ut Dominus per prophetas Amos et Zachariam salvandos appellet torres raptos de incendio, et ubique Dominus difficultatem salutis denunciet.

Cur[5]) ergo per illas falsas veniarum fabulas et promissiones praedicatores earum[6]) faciunt populum securum et sine timore? cum indulgentiae prorsus nihil boni conferant animabus ad salutem aut sanctitatem, sed tantummodo poenam externam, olim canonice imponi solitam, auferant.

Denique opera pietatis et caritatis sunt in infinitum meliora indulgentiis, et tamen haec non tanta pompa nec tanto studio praedicant, imo propter venias praedicandas illa tacent, cum tamen omnium episcoporum hoc sit officium primum et solum, ut populus evangelium discat, et[7]) caritatem Christi, nusquam enim praecipit[8]) Christus indulgentias praedicari[9]) Quantus ergo horror est, quantum periculum episcopi, si tacito evangelio non nisi strepitus indulgentiarum permittat in populum suum spargi[10]), et has plus curet, quam evangelium? nonne dicet illis Christus: Colantes culicem et glutientes camelum.

Accedit ad hoc[11]), reverendissime Pater in Domino, quod in instructione illa commissariorum,

---

4) Apud de W. deest: inquit Petrus 5) de W.: quomodo. 6) Apud de W. desunt vocabula: praedicatores earum. 7) de W.: atque. 8) de W.: etiam praecepit. 9) Apud de W. additum legitur: sed Evangelium vehementer praecipit praedicari. 10) Apud de W. deest: spargi. 11) de W.: haec.

*) Phil. 2. **) 2 Petr. 2.

sub T. reverendissimae Paternitatis nomine edita, dicitur (utique sine T. P. reverendissimae et scientia et consensu) unam principalium gratiarum esse donum illud Dei inaestimabile, quo reconcilietur homo Deo, et omnes poenae deleantur[1]) purgatorii. Item, quod non sit necessaria contritio his[2]), qui animas vel confessionalia redimunt.

Sed quid faciam optime Praesul et illustrissime Princeps, nisi quod per Dominum Jesum Christum T. reverendissimam Paternitatem orem, quatenus oculum paternae curae dignetur admittere[3]), et eundem libellum penitus tollere, et praedicatoribus veniarum imponere aliam praedicandi formam, ne forte aliquis tandem exsurgat, qui editis libellis et illos et libellum illum confutet, ad vituperium summum illustrissimae tuae sublimitatis, quod ego vehementer quidem fieri abhorreo, et tamen futurum timeo, nisi cito succurratur.

Haec meae parvitatis fidelia officia, rogo, tua illustrissima gratia dignetur accipere animo[4]) principali et episcopali, id est, clementissimo, sicut ego ea exhibeo corde fidelissimo, et T. P. reverendissimae deditissimo, quando et ego pars ovilis tui sum.[5]) Dominus Iesus custodiat T. reverendissimam Paternitatem in aeternum, Amen.

Ex Vuittemberga, in vigilia omnium Sanctorum, Anno M. D. XVII.

Si T. reverendissimae P. placet, poterit has meas Disputationes*) videre, ut intelligat, quam dubia res sit indulgentiarum opinio, quam illi ut certissimam seminant.[6])

T. reverendissimae P.

F. Martinus Lutherus.[7])

---

1) de W.: delentur. 2) de W.: iis. 3) de W.: advertere. 4) deW.: modo. 5) de W.: sum enim et ego pars ovilis tui. 6) de W.: somniant. 7) de W.: Indignus filius. Martinus Luther, Augustin. Doctor S. Theol. vocatus.

*) Scilicet de poenitentia et indulgentiis, quarum initium est: Dominus et Magister noster Jesus Christus.

Disputatio D. Martini Lutheri de poenitentia et indulgentiis.[1]

Amore et studio

Elucidandae veritatis haec Subscripta*) disputabuntur Wittembergae, Praesidente R. P. Martino Luther Eremitano, Augustiniano[2]), Artium et S. Theologiae Magistro, eiusdemque ibidem Lectore ordinario. Quare petit, ut qui non possunt verbis praesentes nobiscum disceptare, agant id literis absentes. In nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

1) Dominus et magister noster Jesus Christus, dicendo: Poenitentiam agite etc. omnem vitam fidelium poenitentiam esse voluit.

2) Quod verbum[3]) de poenitentia sacramentali, id est[4]) confessionis et satisfactionis, quae sacerdotum ministerio celebratur, non potest intelligi.

3) Non tamen solam intendit interiorem, imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

4) Manet itaque poena, donec manet odium sui, id est, poenitentia vera intus, scilicet usque ad introitum regni coelorum.

5) Papa non[5]) vult nec potest ullas poenas remittere, praeter eas, quas arbitrio vel suo vel canonum imposuit.

6) Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando et[6]) approbando remissam a Deo, aut certe remittendo casus reservatos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

7) Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin

---

*) In ed. Propositionum Luth. a. 1538 additum legitur: themata.

1) Apud v. d. Hardt: Disputatio D. Martini Luther theologi pro declaratione virtutis indulgentiarum. 2) Apud v. d. Hardt deest: Eremitano, Augustiniano. 3) Ibidem additur: poenitentiae. 4) Ibid.: i. pro: id est, atque ita semper scriptum legitur. 5) Ibid.: nec. 6) Ibid.: aut.

simul eum[1]) subiiciat humiliatum in omnibus sacerdoti suo vicario.

8) Canones poenitentiales solum viventibus sunt impositi, nihilque morituris secundum eosdem debet imponi.

9) Inde bene nobis facit Spiritus sanctus in papa, excipiendo in suis decretis semper articulum mortis et necessitatis.

10) Indocte et male faciunt sacerdotes ii, qui morituris poenitentias canonicas in purgatorium reservant.

11) Zizania illa de mutanda poena canonica in poenam purgatorii videntur certe dormientibus[2]) episcopis seminata.

12) Olim poenae canonicae non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta verae contritionis.

13) Morituri per mortem omnia solvunt, et legibus canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.

14) Imperfecta sanitas seu caritas morituri necessario secum fert magnum timorem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

15) Hic timor et horror satis est se solo, ut alia taceam, facere poenam purgatorii, cum sit proximus desperationis horrori.

16) Videntur infernus, purgatorium, coelum differre, sicut desperatio, prope desperatio, securitas differunt.

17) Necessarium videtur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri caritatem.

18) Nec probatum videtur ullis aut rationibus aut scripturis, quod sint extra statum meriti seu augendae caritatis.

19) Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certae et securae, saltem omnes, licet nos certissimi simus[3]).

20) Igitur papa per remissionem plenariam

---

1) Apud v. d. Hardt: eam. 2) Ibid. dormientis. 3) Ibid.: sumus.

omnium poenarum non simpliciter omnium intelligit, sed a se ipso tantummodo impositarum.

21) Errant itaque indulgentiarum praedicatores[1]) ii, qui dicunt, per papae indulgentias hominem ab omni poena solvi et salvari.

22) Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vita debuissent secundum canones solvere.

23) Si remissio ulla omnium omnino poenarum potest alicui dari, certum est, eam non nisi perfectissimis, id est, paucissimis dari.

24) Falli ob id necesse est maiorem partem populi, per indifferentem illam et magnificam poenae solutae promissionem.

25) Qualem potestatem habet papa in purgatorium generaliter, talem habet quilibet episcopus et curatus in sua Diocesi[2]) et parochia specialiter.

26 *) Optime facit papa, quod non potestate clavis (quam nullam habet) sed per modum suffragii dat animabus remissionem.

27) Hominem praedicant, qui statim, ut iactus nummus in cistam tinnierit[3]), evolare dicunt animam.

28) Certum est nummo in cistam tinniente augeri quaestum[4]) et avaritiam posse, suffragium autem ecclesiae est in arbitrio Dei solius.

29) Quis scit, si omnes animae in purgatorio velint redimi, sicut de S. Severino et Paschali factum narratur.

30) Nullus securus est de veritate suae contritionis, multo minus de consecutione plenariae remissionis.

31) Quam rarus est vere poenitens, tam rarus est vere indulgentias redimens, id est, rarissimus.

32) Damnabuntur in aeternum cum suis magi-

---

1) In ed. Ienens: Commissarii. 2) Apud v. d. Hardt: dioecesi. 3) In ed. 1530: tinnuerit. 4) In ed. Jen.: questum.

*) Apud v. d. Hardt: I. etc.

stris, qui per literas veniarum securos sese credunt de sua salute.

33) Cavendi sunt nimis, qui dicunt venias illas papae donum esse illud Dei inaestimabile, quo reconciliatur homo Deo.

34) Gratiae enim illae veniales tantum respiciunt poenas satisfactionis sacramentalis ab homine constitutas.

35) Non christiana praedicant, qui docent, quod redempturis animas vel confessionalia non sit necessaria contritio.

36) Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a poena et culpa, etiam sine literis veniarum sibi debitam.

37) Quilibet verus Christianus, sive vivus sive mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi et ecclesiae, etiam sine literis veniarum a Deo sibi datam.

38) Remissio tamen et participatio papae nullo modo est contemnenda, quia, ut dixi, est declaratio remissionis divinae.

39) Difficillimum est etiam doctissimis[1]) theologis, simul extollere veniarum largitatem et contritionis veritatem coram populo.

40) Contritionis veritas poenas quaerit et amat, veniarum autem largitas relaxat, et odisse facit, saltem occasione.

41) Caute sunt veniae apostolicae praedicandae, ne populus false intelligat, eas praeferri ceteris bonis operibus caritatis.

42) Docendi sunt Christiani, quod papae mens non est, redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiae.

43) Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi aut mutuans egenti melius facit, quam si venias redimeret.

44) Quia per opus caritatis crescit caritas et fit homo melior, sed per venias non fit melior, sed tantummodo a poena liberior.

---

1) Apud v. d. Hardt: acutissimis.

45) Docendi sunt Christiani, quod, qui videt egenum, et neglecto eo dat pro veniis, non indulgentias papae, sed indignationem Dei sibi vendicat.

46) Docendi sunt Christiani, quod [1]) nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domui [2]) suae retinere, et nequaquam propter venias effundere.

47) Docendi sunt Christiani, quod redemptio veniarum est libera, non praecepta.

48) Docendi sunt Christiani, quod papa sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se devotam orationem, quam promptam pecuniam.

49) Docendi sunt Christiani, quod veniae papae sunt utiles, si non in eas confidant, sed nocentissimae, si timorem Dei per eas amittant.

50) Docendi sunt Christiani, quod, si papa nosset exactiones venialium praedicatorum, mallet basilicam S. Petri in cineres ire, quam aedificari cute, carne et ossibus ovium suarum.

51 *) Docendi sunt Christiani, quod papa sicut debet, ita vellet, etiam vendita, si opus sit, basilica S. Petri de suis pecuniis dare illis, a quorum plurimis quidam concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

52) Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiamsi commissarius, imo papa ipse suam animam pro illis impignoraret.

53) Hostes Christi et papae sunt ii, qui propter venias praedicandas verbum Dei in aliis ecclesiis penitus silere jubent.

54) Iniuria fit verbo Dei, dum in eodem sermone aequale vel longius tempus impenditur veniis, quam illi [3]).

55) Mens papae necessario est, quod, si veniae, quod minimum est, una campana, unis pompis et ceremoniis celebrantur, evangelium, quod maximum

---

1) In ed. 1530 deest: quod. 2) Ibid.: domi. 3) Ibid.: quam verbis evangelicis.

*) v. d. Hardt: I etc.

est, centum campanis, centum pompis, centum cerimoniis praedicetur.

56) Thesauri ecclesiae, unde papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

57) Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi concionatorum.

58) Nec sunt merita Christi et sanctorum, quia haec semper sine papa operantur gratiam hominis interioris, et crucem, mortem, infernumque exterioris.

59) Thesauros ecclesiae S. Laurentius dixit esse pauperes ecclesiae, sed locutus est usu vocabuli suo tempore.

60) Sine temeritate dicimus, claves ecclesiae, merito Christi donatas, esse thesaurum istum.

61) Clarum est enim, quod ad remissionem poenarum et casuum sola sufficit potestas papae.

62) Verus thesaurus ecclesiae est sacrosanctum evangelium gloriae et gratiae Dei.

63) Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit novissimos.

64) Thesaurus autem indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex novissimis facit primos.

65) Igitur thesauri evangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros divitiarum.

66) Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur divitias virorum.

67) Indulgentiae, quas concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales quoad quaestum promovendum.

68) Sunt tamen revera minime [1]) ad gratiam Dei et crucis pietatem comparatae.

69) Tenentur episcopi et curati veniarum apostolicarum commissarios cum omni reverentia admittere.

70) Sed magis tenentur omnibus oculis inten-

---

1) Apud v. d. Hardt: minimae.

dere, omnibus auribus advertere, ne pro commissione papae sua illi somnia praedicent.

71) Contra veniarum apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema et maledictus.

72) Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus.

73) Sicut papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur,

74) Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum praetextum in fraudem sanctae caritatis et veritatis machinantur.

75) Opinari venias papales tantas esse, ut solvere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genitricem violasset, est insanire.

76 *) Dicimus contra, quod veniae papales nec minimum venialium peccatorum tollere possint, quoad culpam.

77) Quod dicitur, nec si S. Petrus modo papa esset, majores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum et papam.

78) Dicimus contra, quod etiam iste et quilibet papa maiores habet, scilicet evangelium, virtutes, gratias curationum etc. ut I. Corinth. 12 [1]).

79) Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam cruci Christi aequivalere, blasphemia est.

80) Rationem reddent episcopi, curati et theologi, qui tales sermones in populum licere [2]) sinunt.

81) Facit haec licentiosa veniarum praedicatio, ut nec reverentiam papae facile sit, etiam doctis viris, redimere a calumniis aut certe argutis quaestionibus laicorum.

82) Scilicet, cur papa non evacuat purgatorium propter sanctissimam caritatem, et summam animarum necessitatem, ut causam omnium iustissi-

---

1) In ed. 1530: dielectae. 2) Apud. v. d. Hardt: spargi.

*) Apud v. d. Hardt: I etc.

mam, si infinitas[1]) animas redimit propter pecuniam funestissimam[2]) ad structuram basilicae, ut causam levissimam[3])?

83) Item, cur parmanent exsequiae et anniversaria defunctorum, et non reddit, aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum iam sit iniuria pro redemptis orare?

84) Item, quae illa nova pietas Dei et papae, quod impio et inimico propter pecuniam concedunt animam piam et amicam Dei redimere, et tamen propter necessitatem ipsiusmet piae et dilectae animae non redimunt eam gratuita caritate?

85) Item, cur canones poenitentiales re ipsa et non usu iam diu in semet abrogati et mortui, adhuc tamen pecuniis redimuntur per concessionem indulgentiarum tanquam vivacissimi?

86) Item, cur papa, cuius opes hodie sunt opulentissimis crassis crassiores, non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium, struit unam tantummodo basilicam S. Petri?

87) Item, quid remittit aut participat papa iis, qui per contritionem perfectam ius habent plenariae remissionis et participationis?

88) Item, quid adderetur ecclesiae boni maioris, si papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones et participationes tribueret?

89) Ex quo papa salutem quaerit animarum per venias magis quam pecunias, cur suspendit literas et venias iam olim concessas, cum sint aeque efficaces?

90) Haec scrupulosissima laicorum argumenta sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est ecclesiam et papam hostibus ridendos exponere, et infelices Christianos facere.

91) Si ergo veniae secundum spiritum et mentem papae praedicarentur, facile illa omnia solverentur, imo non essent.

---

1) Apud v. d. Hardt: cum tamen infinitas. 2) Ibid.: funestissimam pecuniam. 3) Ibid.: quae est causa levissima.

92) Valeant itaque omnes illi prophetae, qui dicunt populo Christi: Pax, pax, et non est pax.

93) Bene agant omnes illi prophetae, qui dicunt populo Christi: Crux, crux, et non est crux.

94) Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per poenas, mortes infernosque sequi studeant,

95) Ac sic magis per multas tribulationes intrare coelum, quam per securitatem pacis confidant. MDXVII.

PROTESTATIO *).

Ego Martinus Lutherus Doctor, Ordinis Eremitarum Vuittembergae, publice testatum volo, propositiones aliquot contra pontificales, ut vocant, indulgentias a me editas esse. Etsi autem me hactenus neque celeberrima haec et laudatissima schola nostra, neque civilis aut ecclesiastica potestas condemnaverit, sunt tamen, ut audio, quidam praecipitis atque audacis ingenii homines, qui re quasi bene cognita et perspecta haereticum me pronunciare audent.

Ego vero, ut ante saepe, ita nunc quoque per fidem Christianam obtestor singulos, vel ut meliorem mihi monstrent viam, si quibus haec divinitus esset revelata, vel certe suam sententiam Dei et ecclesiae iudicio submittant. Non enim adeo temerarius sum, ut meam solius opinionem ceteris omnibus anteferri, neque tam stupidus etiam, ut verbum Dei fabulis, humana ratione excogitatis, postponi velim.

---

*) Deest haec Protestatio in ed. originali v. d. Hardtii, nec minus in ed. Propositionum D. M. L. a. 1530, 1538 et 1558; redditur hic ex edit. Ienensi. In ed. Opp. Luth. Latin. Wittembergensi, Tom. I., haec protestatio sejuncta ab antecedente Disputatione legitur post scriptum Silv. Prieriatis, quod inscribitur: Epitoma Responsionis ad Mart. Lutherum p. 195.

Duae Joh. Tetzelii disputationes

Lutheri sententiae de indulgentiis oppositae.

1517.

Joh. Tetzelius, quum propositiones a Luthero adversus indulgentias editas aequo animo perferre non posset, his alias opponere in animum induxit; quum vero ipse indoctior nec latinae linguae admodum gnarus esset, suum quondam praeceptorem, D. Conradum Wimpinam, qui Francofurti ad Viadrum scholasticam theologiam docebat, rogasse dicitur, ut eas conficeret. Earum etiam ope Francofurti ad Viadrum Licentiati atque Doctoris theologiae honores sibi comparare cupiebat. Duas Wimpina in eius commodum composuit disputationes, quarum priore Tetzelium, qui iam theologiae erat baccalaureus formatus, ad Licentiati, altera ad Doctoris honorem capessendum usum esse non dubium est (cf. Loescheri Reform. Act. II, 10 sqq.). De thesibus posterioribus quamquam die demum vicesimo mensis Januarii a. 1518 disputatum est, tamen hae duae disputationes iam anno 1517 typis sunt excusae et in lucem editae. Wimpinam istarum propositionum auctorem fuisse, Lutherus ipse in epistola ad Jo. Langum data his verbis indicat: „Doctor Conradus Vuimpina ab omnibus clamatur auctor illarum positionum, et certum habeo ita esse“ (Luth. Epp. ed. Aurif. I, p. 54. de Wette I. p. 99). Etiam in collectionibus Ienensibus et Wittembergen-

sibus Operum lat. Lutheri sub finem harum thesium traditur, earum auctorem fuisse D. Conradum Wimpinam; quin etiam Wimpina ipse has theses tamquam a se confectas libro suo, qui a. 1528 prodiit et sic inscribitur: Anacephalaeosis Sectarum, errorum etc. Part. I lib. V p. 39, inseruit (cf. Loescheri Acta Reform. I, 504). Abrahamus denique Scultetus in Annalibus evangelii passim per Europam XV. sec. renovati (in v. d. Hardtii histor. liter. reform. Part. V p. 24) a. 1618 refert: „A. 1518 Francofurti ad Viadrum Tecelius Lutheri Thesibus contrarias opponit, a Doctore Conrado Wimpina confectas, quibus Papam Petro, crucem a Papa erectam cruci Christi comparat. Disputationi illi trecenti Monachi interfuerunt."

Inter omnes constat, has theses Tetzelinas, cum essent a viro quodam Halis Vittembergam allatae, a iuvenibus literarum studiosis in foro esse combustas, „praemissa intimatione et convocatione, si quis vellet adesse conflagrationi et funeri Positionum Tetzellinarum, veniret ad forum, hora secunda." (Lutheri ep. ad Jo. Langum d. 21. Martii (die S. Benedicti) 1518. Tom. I Epp. ed. Aur. p. 54. de Wette I, p. 98. cf. Walch. XVIII p. 40. Seckendorfii Hist. Luther. lib. I, §. 12 p. 25 sq.).

Leguntur hae theses Latine in Collect. Opp. Luth. Ienens. T. I p. 12 sqq. Wittemberg. T. I p. 93 sqq. et Germanice in ed. Wittemberg. T. IX, 13 sqq. Altenburg. T. I p. 18. Ienens. I, 7. Lipsiens. T. XVII, 20. Walch XVIII, 266 sqq.

Nos et ipsi has propositiones Tetzelii, quod multum valebant ad reformationem promovendam, curavimus typis repetendas, sequentes textum editionis Ienensis et Loescheri in Act. Reform. I, 504 sqq. Omissa sunt additamenta editionis Wittemb. opp. Lat. Luth. T. I p. 95 (cf. Loescher I, 514 ff.), quorum hoc est initium: „Quaestiones viles argumentaque vetularum antiquarum, putare, non posse facillime dilui ratione reddita, sed eas oportere potestate compescere foedissimus error. Solvuntur enim et quidem facillime etc.", quia res vi-

lissimae ibi tractantur et in paucis tantum editionibus harum thesium redduntur. (cf. Walch. XVIII p. 39).

Prima disputatio Iohannis Tetzelii[1].

Quo veritas pateat, erroresque supprimantur, redditaque ratione contra catholicam veritatem obiecta solvantur, Frater Iohannes Tetzel, ordinis Praedicatorum, sacrae Theologiae Baccalaureus, ac haereticae pravitatis Inquisitor, subscriptas positiones sustinebit in florentissimo studio Franckfordensi cis Oderam.

Ad laudem Dei, pro fidei catholicae defensione, obque sanctae sedis apostolicae honorem.

1) Dominus noster Iesus Christus sacramenta novae legis, ad quae voluit cunctos obligari, post suam passionem et ascensionem,

2) Voluit etiam cunctos docere ante suam passionem per aptissimam suam praedicationem.

3) Quisquis ergo dicit, Christum, dum praedicavit: poenitentiam agite, sic voluisse poenitentiam interiorem et exteriorem carnis mortificationem,

4) Ut non etiam docere vel cointelligere potuerit poenitentiae sacramentum eiusque partes, confessionem et satisfactionem tanquam obligatorias, errat. Imo nihil nunc iuvat, si interior poena etiam operetur exteriorem mortificationem, nisi adsit facto vel voto confessio et satisfactio.

5) Haec satisfactio (cum Deus delictum absque ultione non patiatur) per poenam fit, vel aequivalens, in acceptatione divina.

---

1) Edit. Jen. hanc addit notam: Harum duarum sequentium disputationum, quas falso quidam adscribunt Ioanni Tetzelio etc., autor fuit Doct. Conradus Vuimpina etc.

6) Quae vel a presbyteris imponitur, arbitrio[1] vel canone, vel nonnunquam a iustitia divina exigitur hic, vel in purgatorio dissolvenda.

7) Sicut confessionem, rite factam, nemo tenetur de eisdem criminibus, nisi in paucis casibus reiterare.

8) Et quantumvis utile id esset, non id potest tamen sibi vel religiosus, vel papa, ut iteret, demandare.

9) Ita satisfactoriam poenam exteriorem semel rite expletam non tenetur absolutus de eisdem peccatis repetere, contrarium iubere est errare.

10) Licet teneatur, quoad vixerit, intus actu vel habitu dolere, et peccatum remissum semper detestari, de propitiatuque peccatorum absque metu non existere.

11) Hanc poenam, ob peccata contrita et confessa impositam, potest papa per indulgentias penitus relaxare.

12) Sive haec sit ab eo, vel sacerdotis arbitrio, vel canone imposita, vel etiam iustitia divina exigenda, cui contradicere est errare.

13) Sed licet per indulgentias omnis poena in dispositis remittatur, quae est pro peccatis debita, ut eorum est vindicativa.

14) Errat tamen, qui ob id tolli putet poenam, quae est medicativa et praeservativa, cum contra hanc iubileus non ordinetur.

15) Quantumvis ergo aliquis sit per indulgentias vere et totaliter relaxatus, quod fieri posse, in dispositis, qui negat, errat.

16) Nullatenus tamen debet intermittere opera satisfactoria, quod vixerit, quando sunt reliquiarum curativa, et a futuris praeservativa et meritoria.

17) Sicut Sacramenta mosaica sunt ieiuna elementa, nec tollentia culpas, nec iustificativa,

18) Ita sacerdotes Iudaeorum, nec claves habent nec characterem, unde illi nullam possunt culpam remittere.

---

1) Loesch.: arbitro.

19) Sacramenta vero Christianorum gratiam, quam signant, faciunt, et hinc etiam suscipientes iustificant.

20) Et sacerdotes Christiani characterem verum et claves habent, quibus et culpas remittere possunt.

21) Non solum approbando et declarando, ut leprosis faciebant sacerdotes veteris legis, et Aaronitae,

22) Sed etiam ministerialiter et instrumentaliter, et dispositive per sacramentum id ipsum operando.

23) Imo sicut Deus habet claves autoritatis, Christus excellentiae, ita presbyter Christianus claves habet ministeriales.

24) Quisquis ergo dicit papam, vel etiam minimum sacerdotem, non posse in culpas, nisi approbando et declarando, errat.

25) Imo qui non credit, minimum sacerdotem Christianum plus posse in peccatum, quam tota potuerit olim synagoga Iudaeorum, errat.

26) Quin imo errat, qui Christum pro suae clavis excellentia, qua vim suam Sacramentis non alligavit,

27) Putat non posse peccata remittere et hominem salvare, absque sacerdotali confessione, approbatione vel declaratione.

28) Quanquam contemptus verus vel interpretativus excludit sacramentum, quod non raro contingit in sero poenitente.

29) Nec mors inopina, nec necessitas relevant ab ultione gravissima insequente.

30) Non tamen est de his desperandum, cum minima contritio, quae potest in fine vitae contingere,

31) Sufficiat ad peccatorum remissionem, ac poenae aeternae in temporalem mutationem.

32) Sed quando ob temporis deficientiam poenae taliter mortuos truculentissimae nonnunquam insequantur,

33) Quae sunt plenissimis veniis celeriter rela-

xandae, stulte faciunt tales homines, a redimendis confessionalibus dehortantes.

34) Ob iniectionem manuum in clerum excommunicatis, incendiariis, et incestuosis non solum post absolutionem, sed aliquando post mortem poenae imponuntur:

35) His de non iterando iuramentum, istis satisfactio; qui id ergo posse fieri negat, errat.

36) Non a dormientibus episcopis, sed iuris capitulis, discretus et pius iubetur esse sacerdos, ut potius cum exili poena,

37) Ultro excepta, mittatur confessus ad purgatorium, quam cum refutata ad gehennam; qui id ergo zizania dicit, errat.

38) Haeretici, schismatici, et laesae maiestatis rei post mortem excommunicantur, anathematisantur et exhumantur.

39) Quisquis ergo dicit, morituros per mortem omnia solvere, et legibus canonum non teneri, errat.

40) Animas purgandas, quae cum gratia et caritate abscedunt, quae dividit inter filios regni et perditionis, et longe plus desperationis,

41) Erroneum est dicere esse prope desperationem, quin potius in spe firma ad beatitudinis comprehensionem.

42) Qui dicit, non esse probatum ullis aut rationibus aut scripturis, purgatos esse extra statum meriti, errat.

43) Qui adiicit, non esse probatum, quod [1]) sint de sua beatitudine certi et securi, errat. Similiter, qui dicit,

44) Non esse animas purgandas de sua salute certiores quam nos, nosque esse certissimos, errat.

45) Papam per plenariam remissionem non intelligere omnium satisfactoriarum, sed a se ipso impositarum, errat, qui dicit.

46) Indulgentiarum praedicatores errare, dum

---

1) Loesch.: quam.

praedicant, per papae indulgentiam hominem posse ab omni poena solvi, et salvari, error.

47) Dicere papam nullam remittere animabus in purgatorio poenam, quam debuissent in hac vita secundum canones solvere, error.

48) Qui solum perfectissimos venias consequi posse dicit, et non etiam perfectos, imo perfectiores incipientes et proficientes, errat.

49) Imo etiam non solum plene contritos, sed attritos et per confessionem contritos, errat.

50) Quisquis paucissimis id contingere posse putat, et non pluribus, id quod iubileus exigit facientibus, errat.

51) Asserere, papam non habere maiorem vel efficaciorem potestatem in purgatorium, generaliter suffragii forma iubileum impartiendo,

52) Quam qualem, aut quantam habeat episcopus vel plebanus in sua diocoesi et parochia specialiter, error.

53) Papa etsi in purgatorium nullam habeat clavis potestatem, habet tamen iubileum illis adplicandi per modum suffragii autoritatem.

54) Hanc in purgatorium autoritatem sub specie clavis in papa negare, est veritati contradicere et errare.

55) Animam purgatam evolare, est eam visione Dei potiri, quod nulla potest intercapedine impediri.

56) Quisquis ergo dicit, non citius posse animam evolare, quam in fundo cistae denarius possit tinnire, errat [1]).

57) In suffragiis publicatis quaerere quaestum et avaritiam, sed non sequi purgationis effectum, error [2]).

58) Dubitare, si omnes animae redimi, aut redemptae exire velint purgatorium, manifestus error.

---

1) Loesch. hanc notam adiicit: (Pudore suffusus Tetzelius effata sua ipse delevit. 2) A thesi 57 usque ad finem turbati sunt numeri positionum in ed. Ienensi, et Positiones erant 106, non 107, ut est in ed. Ien.

59) Securitate coniecturali, quantum humana perfert imbecillitas, nullum esse securum de veniarum consecutione, etiam factis, quae iubileus exigit, error.

60) Rarissimos esse, et non etiam plurimos iuxta formam iubilei agentes, qui consequantur venias, error.

61) Relaxatum per venias plenarias, iuxta formam rescripti, videlicet vere confessum et contritum etc. non esse securum de sua salute, error.

62) Papalibus indulgentiis secundum omnem formam rite acquisitis non reconciliari hominem Deo, vere videlicet contritum et confessum, error.

63) Gratias veniales non respicere nisi poenas satisfactionis, ab homine constitutas, et non etiam a canone vel iustitia divina, error.

64) Non esse Christianum dogma, quod redempturi pro amicis confessionalia vel purgandis iubileum possint haec facere absque contritione, error.

65) Quemlibet Christianum vere compunctum habere celeriter et totaliter plenariam a poena et culpa sine indulgentiis remissionem, error.

66) Quemlibet Christianum, sive vivum sive mortuum, habere participationem omnium bonorum, quoad poenarum autoritativam remissionem, error.

67) Eandem esse omnium bonorum participationem per caritatem, et per potestatem habentis applicationem, error.

68) Rursus eandem esse participationem omnium bonorum ad merendum et merita augendum, et eam, quae est omnium bonorum ad satisfaciendum, error.

69) Remissionem papae et participationem solum ideo non esse contemnendas, quia sit declaratio remissionis divinae, error.

70) Solum doctissimis theologis, et non etiam mediocriter peritis, facillimum esse simul extollere veniarum largitatem et contritionis veritatem, error.

71) Quas enim quaerit contritio poenas satisfactorias pro his relaxatis, veniae ponunt Christi compensatorias, sed quia non relaxant medicativas, habet quas diligat poenas contritio per totam vitam continuandas, hoc qui nescit, errat.

72) Opera caritatis plus valent in merendo, sed veniae plenariae magis in celeriter satisfaciendo, et totaliter relaxando. Qui hoc nescit, vel non credit, et unum populos docet, et aliud tacet, errat.

73) Indulgentiae plenariae plus valent in satisfaciendo et relaxando totaliter, celeriter, et singulariter, sed opera caritatis plus valent in merendo meritum, gratiam, et gloriam augendo principaliter, qui ergo non putat papam sic velle populum doceri, errat.

74) Quin cum secundum excedentia et excessa differant indulgentia plenaria et misericordiae particularia (ut fieri solita sunt) opera. Quisquis docet populum, papam velle nulla ex parte veniarum redemptionem esse operibus misericordiae partialibus (ut fiunt) comparandam, insigniter praesumit et errat.

75) Dans pauperi et mutuans egenti melius facit, quoad meriti augmentationem, sed redimens venias melius quoad celeriorem satisfactionem. Qui aliter populum docet, eundem seducit, et qui putat venias redimere, non etiam esse opus misericordiae, errat.

76) Veniis etsi homo primo fiat a poenis liberior, tamen cum opus, quo redimuntur, sit caritatis, fit ex interna devotione hinc redimens etiam melior. Quisquis aliter populum docet, dupliciter errat.

77) Eleemosynae spirituales sunt corporalibus praestabiliores, et sibi ipsi factae ordinatiores, unde si quis indigeat veniis, nec posset pauperem extra articulum necessitatis iuvare, melius longe facit redimendo, quam pauperi (ut praedictum) succurrendo, contrarium docens, errat.

78) Ex gravitate operum, et intensione carita-

tis accipiuntur plerumque meritum et meritorum magnitudo, magis ergo meretur venias, qui ex necessariis facit quam superfluis. Unde dicens, hoc modo merendo aliquem peccare, est dupliciter errare.

79) Quamvis veniarum redemptio non sit praecepta, est tamen egentibus de optimo consilio. Quisquis ergo unum dicit, et aliud tacet, populum seducit et errat.

80) Quod Leo pro persona plus egeat orationis, quam alii, est divinare, sed pro papa Leone tenemur ex debito legis naturae humanae et divinae orare.

81) Cumque id sit necessitatis, qui dicit propter hoc dare oportere papam indulgentias, errat.

82) Nisi fides, devotio, imo fiducia ad venias habeantur, nihil prosunt, et sunt inutiles indulgentiae. Quisquis contrarium dicit, pessime errat.

83) Cum, quae pro veniis sub Leone exiguntur, sint minima respectu praedecessorum: qui ergo eum carne, cute et ossibus ovium suarum S. Petri Basilicam aedificare fingit, impie errat.

84) Facienti quod in se est, et iuxta tenorem Bullarum, utiles sunt indulgentiae; quantumvis contingat oblatrantes, errare. Dicere ergo,

85) Vanam esse salutis fiduciam, per literas veniarum, etiamsi papa animam suam pro illis impignoraret, est foedissime errare.

86) Si potest minimus episcopus, dum vel ipsemet praedicare vult, vel ante se facere praedicari, aliis silentium imperare;

87) Dicere papam esse hostem crucis, si simili modo velit Iubileum publicare, est pessime errare.

88) Si Sanctorum Legendae in eorum festis possunt longius evangelio absque iniuria recitari, potest recitato evangelio aequale vel longius tempus in veniis publicandis continuari. Contrarium dicere, est dupliciter errare.

89) Mentem papae esse, quod si una campana, unis pompis et ceremoniis veniae celebren-

tur, evangelium centum campanis, pompis et ceremoniis, error.

90) Thesaurum ecclesiae non satis nominatum esse nec cognitum, unde papa dat indulgentias, error.

91) Thesaurum Christi non esse merita Christi et Sanctorum, error.

92) Haecque operari venialem, hoc est, a Deo copiosam, celerem, totalemque satisfactionem extra papae applicationem, error.

93) Thesaurum ecclesiae fuisse pauperes ecclesiae divi Laurentii tempore, error.

94) Thesaurum ecclesiae esse solum claves ecclesiae, merito Christi donatas, error.

95) Ad remissionem poenarum solam sufficere papae potestatem, absque thesauri ecclesiae, id est, meritorum Christi, applicatione, error.

96) Evangelium, curationum gratia, sacramenta veniae in gratiae nomine aequivocantur; unum ergo efferre et aliud destituere, est penitus errare.

97) Indulgentias, quas concionatores vociferantur, maximas esse, vere tales, quoad quaestum promovendum, error.

98) Imo thesauros indulgentiarum retia esse, quibus nunc piscantur divitias virorum, impiissimus error.

99) Cumque peccatum in matrem Christi commissum (quantumvis enorme) minus sit, quam si illud ipsum in filium committatur, quod est Christi expresso testimonio remissibile:

100) Quisquis ergo tale in vere contritis indulgentiis solvi non posse dicit, contra evangelii textum et ipsummet [1]) Christum insanit, furit et errat.

101) Subcommissariis insuper ac praedicatoribus veniarum imponere, ut si quis per impossibile Dei genitricem semper virginem violasset, quod eundem indulgentiarum vigore absolvere possent,

---

1) In ed. Ien.: met.

luce clarius est, sic contra apertam veritatem imponentem odio agitari ac fratrum suorum sanguinem sitire.

102) Ponere etiam in publicis positionibus, praedicatores veniarum, nunquam tamen auditos, verborum libidine coram populo manare, et maius in veniis explanandis tempus, quam in evangelio declarando proterere, est mendacia audita ab aliis, fictaque pro veris seminare, seque per hoc cito credentem levemque ostendere atque perniciose errare.

103) Ponere denique in publicis positionibus, veniarum praedicatores licentiosa sua praedicatione in tantum deficere, quod etiam papae reverentiam viris doctis non sit facile ab argutorum laicorum quaestionibus redimere, est post papae prius illatam contumeliam eidem blandiri ac aperte insinuare, ceteros omnes portum possedisse, et se solum turbam facere, vehementerque per hoc errare.

104) Culpas delere convenit gratiae formaliter, effective Deo et principaliter, dispositive homini puro, licet insufficienter, satisfacienter Christo, sacramentis instrumentaliter. Quisquis ergo dicit papam hoc modo minimum veniale, quoad culpam, solvere non posse, errat.

105) Eandem esse Petri et omnium vicariorum potestatem, qui negat, errat, quique pluris posse putat in veniis Petrum quam Leonem, magis errat, imo blasphemat.

106) Sicut qui crucem Christi, vel aliam quamcunque imaginem ut rem, et non ut signum, latria adorat, errat, ita, quantumvis crux Christi in multis aliis, ut causis adorationis, praestet et plus sit veneranda, qui tamen alia latria, et non aequali eam, et papalibus insignitam armis adorat, idolatrat et errat.

Secunda disputatio Iohannis Tetzelii.

Subscriptas positiones F. Iohannes Tetzel, ordinis praedicatorum, sacrae Theologiae Baccalaureus, ac haereticae pravitatis Inquisitor, in studio universali Franckfordensi cis Oderam, publice, ac in brevi ad certum diem, quem etiam tempestive designabit, sustinebit ac disputabit, in quibus quisquis pro haeretico, schismatico, pertinaci, contumaci, erroneo, seditioso, malesonanti, temerario, et iniurioso censendus sit, primo intuitu plane videbitur.

Ad laudem Dei, ac sacrae sedis Apostolicae honorem. Anno salutis dominicae M. D. XVII.

1) Docendi sunt Christiani, ex quo in ecclesia potestas papae est suprema, et a solo Deo instituta, quod a nullo puro homine, nec a toto simul mundo potest restringi aut ampliari, sed a solo Deo.

2) Docendi sunt Christiani, quod papae in eos omnes immediatam iurisdictionem habenti in his, quae ad religionem Christianam et ad cathedram pertinent, si consona fuerint iuri divino et naturali, simpliciter obedire tenentur.

3) Docendi sunt Christiani, quod papa iurisdictionis autoritate superior tota universali ecclesia et concilio, quodque statutis suis humiliter sit obediendum.

4) Docendi sunt Christiani, quod papa ea, quae fidei sunt, solus habet determinare, quodque sacrae scripturae sensus ipse autoritative, et nullus alius, pro suo sensu, interpretatur, et quod aliorum omnia dicta vel opera habet vel approbare aut reprobare.

5) Docendi sunt Christiani, quod iudicium papae, in his quae sunt fidei, et ad humanam salutem necessaria, errare potest minime.

6) Docendi sunt Christiani, quod etsi papa in fide erraret, circa ea, quae fidei sunt, malam tenendo opinionem, non tamen ipsum errare contin-

git de his, quae sunt fidei, in iudicio de eis sententiando.

7) Docendi sunt Christiani, quod sententiae papae, quam de his quae fidei sunt profert, in iudicio magis standum est, quam sententiae quorumcunque hominum sapientum in scripturarum opinionibus.

8) Docendi sunt Christiani, quod papa ab eis debet semper et humiliter honorari, et non iniuriari.

9) Docendi sunt Christiani, quod honori et autoritati papae derogantes maledictionis poenam ac laesae maiestatis crimen incurrunt.

10) Docendi sunt Christiani, quod papam derisionibus detractionibusque exponentes haeresis labe notantur, et a spe regni coelestis excluduntur.

11) Docendi sunt Christiani, quod papam dehonorantes ignominia temporali, et quandoque etiam morte pessima ac confusione scandalosa puniuntur.

12) Docendi sunt Christiani, quod claves ecclesiae non universali ecclesiae, quae dicitur omnium fidelium collectio, sed Petro et Papae, et in eis omnibus eorum successoribus et universis praelatis futuris, per derivationem eorum in ipsos, sunt collatae.

13) Docendi sunt Christiani, quod plenissimam indulgentiam non concilium generale, nec praelati alii ecclesiae simul vel disiunctim dare possunt, sed solus papa, qui est sponsus universalis ecclesiae.

14) Docendi sunt Christiani, quod veritatem et fidem de indulgentiis habendis nullus mortalium, imo nec concilium generale, sed solus papa, qui de catholica veritate sententionaliter habet iudicare, potest determinare.

15) Docendi sunt Christiani, quod catholica veritas dicitur veritas universalis, et quod ea ab omnibus Christi fidelibus credi debet, quodque nihil aut falsitatis aut iniquitatis in se contineat.

16) Docendi sunt Christiani, quod ecclesia multa tenet veritates [1]) catholicas, quae in canone sacrae scripturae veteris et novi Testamenti in propria verborum forma minime continentur.

---

1) Loesch : ut veritates.

17) Docendi sunt Christiani, quod ecclesia multa tenet ut catholicas veritates, quae tamen sicut nec in canone bibliae, ita nec a doctoribus antiquioribus ponuntur.

18) Docendi sunt Christiani, quod observantiae omnes in materia fidei, apostolicae sedis iudicio definitae, sunt inter catholicas veritates computandae, licet in canone scripturae sacrae non reperiantur contineri.

19) Docendi sunt Christiani, quod ea, quae de tenenda fide et haereticorum confutatione doctores ab ecclesia approbati assertive tradiderunt, licet in canone scripturae sacrae expresse non contineantur, sunt tamen huiusmodi eorum scripta inter catholicas veritates computanda.

20) Docendi sunt Christiani, quod licet certae veritates absolutae catholicae non sint, sunt tamen nihilominus catholicam veritatem sapientes.

21) Docendi sunt Christiani, quod hi omnes haeresim sapiunt, qui usum signi crucis dicunt in ecclesiis non debere esse.

22) Docendi sunt Christiani, quod animo deliberato in fide dubitantes pro haereticis sunt apertissime censendi.

23) Docendi sunt Christiani, quod per pecuniam ad sacros ordines ordinati haeretici apertissime possunt appellari.

24) Docendi sunt Christiani, quod omnes scripturam sacram male, et non, ut sensus sancti Spiritus efflagitat, a quo scripta est, interpretantes, haeretici rectissime appellari possunt.

25) Docendi sunt Christiani, quod is merito haereticus est dicendus, qui temporalis gloriae gratia falsas atque novas opiniones vel gignit aut sequitur.

26) Docendi sunt Christiani, omnes eos iustissime haereticos appellari. qui Romanae ecclesiae privilegium, ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum, auferre conantur.

27) Docendi sunt Christiani, quod S. Romanam ecclesiam, B. Ambrosii exemplo, in omnibus,

ut magistram suam, et non propriam phantasiam, sequi debeant.

28) Docendi sunt Christiani, quod quicunque adversus regulam veritatis catholicae opinionem suam perversam atque pravam pertinaciter defendit, haereticus sit censendus, atque ab omnibus pro tali praedicandus.

29) Docendi sunt Christiani, quod docentes aliquid tanquam certum, quod aut ratione, vel autoritate efficaciter non potest probari, temerarii sunt censendi.

30) Docendi sunt Christiani, quod asserentes aliquando, quae sunt falsa, pro erroneis sunt tenendi.

31) Docendi sunt Christiani, quod detrahentes alicui fidelium, vel notabili alicui personae, iniuriosi sunt censendi.

32) Docendi sunt Christiani, quod scribentes propositiones, quae ruinae occasionem praebent auditoribus, quamvis cum modificatione adiuncta sint, vere tenendi sunt, ex quo absolute et sine modificatione proferuntur, pro scandolosis, malesonantibus, ac piarum aurium offensivis, eo quod videntur propositionibus haereticalibus favere.

33) Docendi sunt Christiani, quod assertiones doctorum, quae in populo schisma inducunt, ut est propositio illa, malo praelato aut principi non est obediendum, vel quod Papae suisque bullis non sit credendum, omnino sunt seditiosae.

34) Docendi sunt Christiani, quod omnes, qui falsas opiniones gignunt, easque ipsas pertinaciter defendunt, proprie haeretici sunt censendi.

35) Docendi sunt Christiani, quod omnes, qui contemptu divinae Legis pertinacis erroris sunt, vel inventores, seu alieni sectatores, quique magis volunt catholicae veritati adversari, quam subiici, pro haereticis simpliciter sunt censendi.

36) Docendi sunt Christiani, quod omnes aliorum defendentes errorem, eo quod non solum errant, sed aliis etiam erroris offendicula praeparant,

confirmantque, non solum pro haereticis, sed etiam habendi sunt pro haeresiarchis.

37) Docendi sunt Christiani, quod gignentes novas opiniones, catholicae veritati contrarias, quo habere possint sequaces, et propterea a communi via, aut levitate aut perversitate discedunt, quod ex superbia, quae proprie amor est excellentiae, procedit, etsi nullius temporalis gratia commoditatis moventur, pro haereticis tamen sine dubio tenentur.

38) Docendi sunt Christiani, quod adhaerentes magistrorum opinionibus, contrariis catholicae veritati, pertinaciter errant, ac errando peccant, haeretici quoque censendi veniunt.

39) Docendi sunt Christiani, quod negantes quamcunque veritatem catholicam, quae apud omnes fideles, cum quibus conversantur, tanquam catholica divulgatur, et a praedicantibus verbum Dei publice praedicatur, in errore suo pertinaces esse dicantur.

40) Docendi sunt Christiani, quod negantes assertiones, quas sciunt in scriptura divina vel ecclesiae contineri determinatione, sunt in haeresi sua pro pertinacibus censendi.

41) Docendi sunt Christiani, quod suum errorem non corrigentes nec emendantes, quamvis eis ipsis suum errorem catholicae veritati obviare legitime sit ostensum, pro contumacibus in sua haeresi sunt censendi.

42) Docendi sunt Christiani, quod illi pro pertinacibus in suo errore sunt censendi, qui contra fidem catholicam et ecclesiae determinationem errantes correctioni et emendationi illius, cuius interest, se subiicere recusant superbientes.

43) Docendi sunt Christiani, quod reprehensi de aliquo aperte contra fidem errore, renuentesque de veritate informari, sunt in errore, ac haeresi uiusmodi suis pro pertinacibus praedicandi.

44) Docendi sunt Christiani, quod protestantes verbis aut factis seu scriptis, assertiones suas haereticales revocare minime velle, si etiam illi, quo-

rum interest, contra tales sententias excommunicationis pluerent aut grandinarent, sunt pro pertinacibus haereticis tenendi atque ab omnibus vitandi.

45) Docendi sunt Christiani, quod in haereticae defensionem pravitatis novos errores fingentes ac defendentes, eo quod corrigi et cauta sollicitudine veritatem inquirere non sunt parati, pro pertinacibus in suis haeresibus simpliciter sunt tenendi.

46) Docendi sunt Christiani, quod inferiores summo pontifice, si aliquam assertionem haereticam per sententiam definient determinentque esse tenendam, atque aliis imponunt, quo ipsam reputent esse catholicam, sunt haeretici, pertinaces una cum omnibus eorum tali determinationi consentientibus tenendi et praedicandi.

47) Docendi sunt Christiani, eos pertinaciter errare, qui habent potestatem resistendi haereticae pravitati, nec tamen resistunt, atque per hoc ipsos haeresi erroribusque favere.

48) Docendi sunt Christiani, quod haereticorum defendentes errorem et hoc sua potentia efficientes, ne ad manus iudicis veniant examinandi, pro excommunicatis, et si non satis fecerint infra annum, ipso iure pro infamibus sunt tenendi, qui etiam per iuris capitula terribiliter multis plectentur poenis, in omnium hominum terrorem.

49) Docendi sunt Christiani, ne in fide circa papae autoritatem ipsasque indulgentias ex haereticorum ac pertinacium ausu moveantur, non enim pius Dominus et Deus noster haereses oriri permitteret, nisi eorum ortu fidei veritas magis liqueret, et nos brutam per hoc evaderemus infantiam, sed potius maneant circa veritatem, de partibus poenitentiae et indulgentiis praedicatam, creduli, per quam suam in dicta fide constantiam eorum a Deo approbatio toti mundo fiat liquida et manifesta.

50) Volentes itaque de partibus poenitentiae potissimum, oris autem confessione et operis satisfactione a Deo et evangelio insinuatis et institutis, ab apostolisque promulgatis, et universali ecclesia approbatis et observatis, et tamen ab adversario

irrite et irreligiose in sermone suo vulgari, per tot articulos impugnatis, ac de indulgentia plenissima et summi Romani pontificis circa eandem potestatem chartas aut libros implere, vel certe libera fronte de eis vel publice praedicare aut disputare, vel praedicantibus scribentibusque adhaerere, eorum scripta favorisare [1]), in vulgus spargere, et per od bem invulgare, seu de eis ipsis in angulis, vel arpartem coram hominibus, impudenter ac per contemptum loqui, timeant sibi, ne in praefatas propositiones incidant, et se per hoc atque alios damnationis periculo gravique temporali confusioni exponant. Bestia enim, quae montem tetigerit, lapidabitur.

FINIS [2]).

---

1) In ed. Ien.: favisare. 2) In fine additum legitur in ed. Ien. et Vittemb.: Autore D. Conrado Vimpina.

Disputatio Lutheri contra scholasticam theologiam.

a. 1517.

Ad annum 1517 referendae sunt etiam Centum conclusiones de gratia et natura D. M. L. Sub hac enim inscriptione disputatio, quam Franciscus Guntherus Nordhusensis Luthero praeside d. 4. m. Sept. a. 1517 (cf. Cypriani Anmerkungen über Tentzels Bericht vom Anfang und Fortgang der Reformation p. 278) ad capessendum baccalaurei biblici honorem instituit, in antiquissima redditur propositionum theologicarum editione, quae duodecim formae quartanariae foliis, nec loci, nec anni, nec typographi nomine addito, (anno, quantum conjectare licet, 1520) sub hoc titulo prodiit: „Insignium theologorum Domini Martini Lutheri, Domini Andree Carolostadii, Philippi Melanchthonis et aliorum conclusiones varie, pro divine gratie defensione ac commendatione: contra scolasticos et pelagianos: disputate in preclara academia Wittenbergensi. — Lege Lector et afficieris, versa facie catalogum inuenies." Haec disputatio, quamquam jam mense Septembri a. 1517 est habita, tamen in omnibus operum Lutheri collectionibus post theses redditur, quas Lutherus pro declaratione virtutis indulgentiarum promulgavit: in collectione, quam modo nominavimus, primo loco ponitur, quoniam theses de indulgentiis omittuntur. Libero numero hic centum conclusiones nominantur,

quamquam revera tantum undecentum leguntur, et in edit. Vittemberg. Opp. Lutheri tantum nonaginta octo numerantur (cf. Riederer Nachrichten zur Kirchen-, Gelehrten- und Bücher-Geschichte P. IV p. 58), in editionibus autem propositionum theologicarum Lutheri, quae a. 1530 et 1538 prodierunt, singulae theses huius disputationis numeris omnino insigniuntur nullis. In editione vero principe Propositionum Lutheri, cuius titulus est: „Proposiciones a Marti. Luthero subinde disputatae“; tituli facies s. l. et a. cum signo autem typographico J. K. (i. e. Josephus Klug); in fine: Impressum Wittebergae per Josephum Clug. Anno. A. (sic pro M). D. XXX. form. 8., et in editione, quae anno 1538 sub hoc titulo prodiit: Pro | positiones | D. Mart. Luth. | ab initio negocii | Evangelici, ab | autore tra | -ctatae usque | in hunc diem. | Vitembergae. | M. D. XXXVIII. form. 8., et in fine: Excusum Wit | tenbergae, typis Ioannis Luft. Anno M. D. XXXVIII. V idus Septembris, — haec disputatio ita inscribitur: „Ad subscriptas conclusiones respondebit Magister Franciscus Guntherus Nordhusensis pro Biblia, Praesidente Reverendo Patre Martino Luthero Augustini. Sacrae Theologiae Vitembergae Decano, loco et tempore statuendis.

Hae theses ideo memoratu dignissimae sunt, quod prius quam theses, in quibus de virtute indulgentiarum agitur, editae nec minus quam illae postea sunt impugnatae: in his enim adversus Scholasticos ducta ex sacris litteris argumentatione plurima ventilari coeperunt, quae postea accuratius expensa reformandis dogmatibus amplissimam materiam praebuerunt, et maxime pertinent hae ad ea, quae de gratia Dei eiusque efficacia traduntur (cf. Seckendorfii Hist. Luth. Lib. I, p. 28. et v. d. Hardtii Hist. liter. reform. IV p. 9). Conscriptae sunt iam mense Augusto a. 1517, id quod ex epistola cernere licet, quam Lutherus Quarta Septembris Anno 1517 ad Iohannem Langum, Erfurdensium eremitarum Priorem dedit (cf. Luth. Epp. I, 30 b., de Wette I, p. 60.). Pro biblia instituta dicitur

haec disputatio propterea quod respondens Franciscus Guntherus baccalaurei biblici honorem ea sibi comparare volebat, et conscripta erat ex more, qui tum in academiis vigebat, a Praeside disputationis, D. Martino Luthero, ideoque in omnibus editionibus Lutheri scriptis adnumeratur.

Latine legitur in collect. Opp. Luth. lenensi I, 9, Wittenbergensi I p. 55. (in Loescheri Reform. Act. I, 539), Germanice in coll. Lipsiensi T. XVII, 143., apud Walch. XVIII, p. 11. Praefat. et p. 6 sqq., in edit. Halens. p. 87 sqq.

Nos in reddendo harum propositionum textu secuti sumus editiones propositionum Lutheri, quae annis 1530, 1538 et 1558 prodierunt, collata Loescheri editione in Act. Reform. I p. 540 sqq., cuius notulas partim adjecimus.

Ad subscriptas

conclusiones respondebit M. Franciscus Guntherus Nordhusensis pro Biblia, Praesidente R. P. D. Martino Luthero Augustiniano, S. Theologiae Vittembergae Decano, loco et tempore statuendis.
M. D. XVII.

1) Dicere, quod Augustinus contra haereticos excessive loquatur, est dicere, Augustinum fere ubique mentitum esse. Contra dictum commune.

2) Idem est Pelagianis et omnibus haereticis tribuere occasionem triumphandi, imo victoriam.

3) Et idem est omnium ecclesiasticorum doctorum autoritatem illusioni exponere.

4) Veritas itaque est, quod homo arbor mala factus non potest nisi malum velle et facere.

5) Falsitas est, quod appetitus liber potest in utrumque oppositorum, imo nec liber, sed captivus est. Contra communem.

6) Falsitas est, quod voluntas possit se conformare dictamini recto naturaliter. Contra Sco. Gab.[1]).

---

1) Id est: contra Scotum et Gabr. Biel.

7) Sed necessario elicit actum difformem et malum, sine gratia Dei.

8) Nec ideo sequitur, quod sit naturaliter mala, id est, natura mali, secundum Manichaeos.

9) Est tamen naturaliter et inevitabiliter mala et vitiata natura.

10) Conceditur quod voluntas non est libera ad tendendum in quodlibet, secundum rationem boni sibi ostensum. Contra Sco. Gab.

11) Nec est in potestate ejus velle et nolle quodlibet ostensum.

12) Nec sic dicere est contra B. Augustinum dicentem: Nihil est ita in potestate voluntatis sicut ipsa voluntas.

13) Absurdissima est consequentia: Homo errans potest diligere creaturam super omnia, ergo et Deum. Contra Sco. Gab.

14) Nec est mirum, quod potest se conformare dictamini erroneo, et non recto.

15) Imo hoc ei proprium est, ut tantummodo erroneo sese conformet, et non recto.

16) Illa potius est consequentia: Homo errans potest diligere creaturam, ergo impossibile est, ut diligat Deum.

17) Non potest homo naturaliter velle, Deum esse Deum, imo vellet se esse Deum, et Deum non esse Deum.

18) Diligere Deum super omnia naturaliter, est terminus fictus, sicut Chimera. Contra com. fere [1]).

19) Nec valet ratio Scoti de forti politico, rempub. plus quam se ipsum diligente.

20) Actus amicitiae non est naturae, sed gratiae praevenientis. Contra Gab.

21) Non est in natura, nisi actus concupiscentiae erga Deum.

22) Omnis actus concupiscentiae erga Deum est malum, et fornicatio spiritus.

---

2) Id est: contra commentatores fere omnes, qui in Scotum scripserunt.

23) Nec est verum, quod actus concupiscentiae possit ordinari per virtutem spei. Contra Gab.

24) Quia spes non est contra caritatem, quae solum, quae Dei sunt, quaerit et cupit.

25) Spes non venit ex meritis, sed ex passionibus merita destruentibus. Contra usum multorum.

26) Actus amicitiae non est perfectissimus modus faciendi quod est in se, nec est dispositio perfectissima ad gratiam Dei, aut modus convertendi et appropinquandi ad Deum.

27) Sed est actus iam perfectae conversionis, tempore et natura posterior gratia.

28) Illae autoritates: Convertimini ad me, et convertar ad vos. Item: Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Item: Quaerite, et invenietis. Item: Si quaesieritis me, inveniar a vobis, et iis similes, Si dicatur [1]), quod unum naturae, alterum gratiae sit, nihil aliud, quam quod Pelagiani dixerunt, asseritur.

29) Optima et infallibilis ad gratiam praeparatio et unica dispositio est aeterna Dei electio et praedestinatio.

30) Ex parte autem hominis, nihil nisi indispositio, imo rebellio gratiae, gratiam praecedit.

31) Vanissimo commento dicitur: Praedestinatus potest damnari, in sensu diviso, sed non in composito. Contra Scholasticos.

32) Nihil quoque efficitur per illud dictum: Praedestinatio est necessaria, necessitate consequentiae, sed non consequentis.

33) Falsum et illud est, quod facere quod est in se sit removere obstacula gratiae. Contra quosdam.

34) Breviter, nec rectum dictamen habet natura, nec bonam voluntatem.

35) Non est verum, quod ignorantia invincibilis a toto excusat. Contra omnes Scholasticos.

---

1) In ed. 1530: si dicantur.

36) Quia ignorantia Dei et sui et boni operis est naturae [1]) semper invincibilis.

37) Natura etiam in opere specietenus et foris bono, intus necessario gloriatur et superbit.

38) Nulla est virtus moralis, sine vel superbia, vel tristitia, id est, peccato.

39) Non sumus domini actuum nostrorum a principio usque ad finem, sed servi. Contra Philosophos.

40) Non efficimur iusti iusta operando, sed iusti facti operamur iusta. Contra Philosophos.

41) Tota fere Aristotelis ethica pessima est gratiae inimica. Contra Scholasticos.

42) Error est, Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare doctrinae catholicae. Contra Morales.

43) Error est dicere, sine Aristotele non fit theologus. Contra dictum commune.

44) Imo theologus non fit, nisi id fiat sine Aristotele.

45) Theologus non logicus est monstrosus haereticus, est monstrosa et haeretica oratio. Contra dictum commune.

46) Frustra fingitur logica fidei, suppositio mediata, extra terminum et numerum. Contra recentes Dialecticos.

47) Nulla forma syllogistica tenet in terminis divinis. Contra Card. [2]).

48) Non tamen ideo sequitur, veritatem articuli Trinitatis repugnare formis syllogisticis. Contra eosdem Card. Ca.

49) Si forma syllogistica tenet in divinis, articulus Trinitatis erit scitus et non creditus.

50) Breviter, totus Aristoteles ad theologiam est tenebrae ad lucem. Contra Scholasticos.

51) Dubium est vehemens, an sententia Aristotelis sit apud Latinos.

---

1) In ed. 1538 et 1558: natura. 2) Intellige Petrum de Alliaco Cardinalem Camerac., qui passim refutatur. cf. Loescheri Acta Reform. I, 542.

52) Bonum erat ecclesiae, si theologus natus non fuisset Porphyrius cum suis universalibus.

53) Usitatiores definitiones [1]) Aristotelis videntur petere principium.

54) Ad actum meritorium satis est coexistentia gratiae, aut coexistentia nihil est, contra Gab.

55) Gratia Dei nunquam sic coexistit ut otiosa, sed est vivus, mobilis et operosus spiritus.

56) Nec per Dei absolutam potentiam fieri potest, ut actus amicitiae sit, et gratia Dei praesens non sit. Contra Gab.

57) Non potest Deus acceptare hominem sine gratia Dei iustificante. Contra Occam.

58) Periculosa est haec oratio: Lex praecipit, quod actus praecepti fiat in gratia Dei. Contra Card. et Gab.

59) Sequitur ex ea, quod gratiam Dei habere sit iam nova ultra legem exactio.

60) Ex eadem sequitur, quod actus praecepti possit fieri sine gratia Dei.

61) Item sequitur, quod odiosior fiat gratia Dei, quam fuit lex ipsa.

62) Non sequitur, Lex debet servari et impleri in gratia Dei. Contra Gab.

63) Ergo assidue peccat, qui extra gratiam Dei est, non occidendo, non moechando, non furando.

64) Sed sequitur, peccat, non spiritualiter legem implendo.

65) Spiritualiter non occidit, non moechatur, non furatur, qui nec irascitur, nec concupiscit.

66) Extra gratiam Dei adeo impossibile est, non irasci, non concupiscere [2]), ut nec in gratia satis id fieri possit ad legis perfectionem.

67) Hypocritarum est iustitia, opere et foris non occidere, non moechari etc.

68) Gratiae Dei est, nec concupiscere, nec irasci.

---

1) In ed. 1530 et 1538: diffinitiones. 2) In ed. 1530: concupisci.

69) Impossibile est itaque legem impleri sine gratia Dei ullo modo.

70) Quin etiam magis destruitur per naturam sine gratia Dei.

71) Lex bona necessario fit mala voluntate [1]) naturali.

72) Lex et voluntas sunt adversarii duo, sine gratia Dei impacabiles [2]).

73) Quod lex vult, semper voluntas non vult, nisi timore vel amore simulet se velle.

74) Lex est exactor voluntatis, qui non superatur, nisi per parvulum, qui natus est nobis. Esa. 9 [3]).

75) Lex facit abundare peccatum, quia irritat et retrahit voluntatem a se ipsa. Rom. 7 [3]).

76 Gratia autem Dei facit abundare iustitiam, per Iesum Christum, qui facit placere legem.

77) Omne opus legis sine gratia Dei foris apparet bonum, sed intus est peccatum. Contra Scholasticos.

78) Semper aversa[4]) voluntas et conversa manus sunt in lege Domini sine gratia Dei.

79) Conversa voluntas ad legem sine gratia Dei est affectu commodi sui talis.

80) Maledicti sunt omnes, qui operantur opera legis.

81) Benedicti sunt omnes, qui operantur opera gratiae Dei.

82) Cap. Falsas, de pe. dis. V.[5]) confirmat opera extra gratiam non esse bona, si non false intelligatur.

83) Non tantum ceremonialia sunt lex non bona et praecepta, in quibus non vivitur. Contra multos doctores.

84) Sed et ipse decalogus, et quicquid doceri dictarique intus et foris potest.

---

1) In ed. 1530: voluntati. 2) In ed. 1538 et 1558: implacabiles. 3) Desunt loci citati in ed. 1530 et 1538. 4) In ed. 1558: adversa. 5) „Ex Decretalibus". Loesch.

85) Lex bona et in qua vivitur caritas Dei est, Spiritu sancto diffusa in cordibus nostris.

86) Voluntas cuiuslibet mallet, si fieri posset, esse nullam legem, et se omnino liberam.

87) Voluntas cuiuslibet odit sibi legem poni, aut amore sui cupit poni.

88) Cum lex sit bona, non potest voluntas eius inimica esse bona.

89) Et ex illo [1]) clare patet, quod omnis voluntas naturalis est iniqua et mala.

90) Necessaria est mediatrix gratia, quae conciliet legem voluntati.

91) Gratia Dei datur ad dirigendum voluntatem, ne erret, etiam in amando Deum. Contra Gab.

92) Nec datur, ut frequentius et facilius eliciatur actus, sed quia sine ea non elicitur actus amoris. Contra Gab.

93) Insolubile est argumentum, superfluam esse caritatem, si homo naturaliter potest in actum amicitiae. Contra Gab.

94) Subtile malum est dicere, eundem actum esse fruitionem et usum. Contra Occam, Card., Gab.

95) Item, quod amor Dei stet cum dilectione [2]) creaturae, etiam intensa.

96) Diligere Deum est se ipsum odisse, et praeter Deum nihil novisse.

97) Tenemur velle nostrum omnino conformare divinae voluntati. Contra Card.

98) Non tantum, quod vult nos velle, sed prorsus quodcunque Deus vult, velle [3]) debemus.

99) In his nihil dicere volumus, nec dixisse nos credimus, quod non sit catholicae ecclesiae et ecclesiasticis doctoribus consentaneum [4]).

---

1) In ed. 1538 et 1558: illa. 2) In ed. 1530: delectatione. 3) In ed. 1538 et 1558 deest: velle. 4) In ed. 1538 hic additum legitur: M. D. XVII.

De indulgentiis et poenitentia duae conciones

Patris, Theologiae Doctoris, Martini Lutheri, quas initio negotii Evangelici edidit.*)

1517. (1518).

Indulgentiarum virtutem ab omnibus fere hominibus tunc temporis summis laudibus praedicatam Lutherus non tantum thesibus suis impugnavit, sed etiam sermone patria lingua de indulgentiis habito. Quo tempore hic habitus sit, non satis apparet. Alii illum anno 1517 habitum esse censent, quoniam Lutherus ipse in praefatione operibus suis collectis a. 1545 praemissa his verbis utitur: „ego contemtus edidi disputationis schedulam simul et germanicam concionem de indulgentiis: paullo post**) etiam resolutiones, in quibus pro honore papae haec agebam, ut indulgentiae non damnarentur quidem, sed bona opera caritatis praeferrentur"; et quoniam Lutherus ipse Spalatino Suo (mense Novembri) a. 1517 scribit: Fuit heri apud me Dominus Abbas Leninensis nomine et vice reverendi Domini Episcopi Brandenburgensis, cuius et literas ad me attulit, referens mihi mandato eiusdem Domini Episcopi nostri, optare se et petere, ut paululum differam editiones probationum mearum et quarumlibet lucubrationum, si quas haberem: de

*) In edit. Jenensi legitur additum: In latinam linguam e germanica versae.

**) i. e. Mense Augusto a. 1518.

indulgentiis tamen (de Wette: tum) sermonem vulgarem editum valde nollet, et deinceps non edendum nec vendendum rogavit. (Luth. Epp. ed. Aur. I, p. 40, de Wette I, p. 71). Alii sermonem illum anno demum 1518 esse editum pro certo habent, quoniam nullum adhuc anno 1517 de indulgentiis germanica lingua editi sermonis exemplar inventum sit. Quamquam vero nulla adhuc editio huius sermonis a. 1517 promulgata reperitur, tamen vero simillimum est eum anno 1517 esse habitum, quoniam id maxime cum Lutheri verbis congruit, quae supra attulimus. Ob eandem rem etiam C. Jürgens recentioribus temporibus in libro suo clarissimo: Luthers Leben, P. III, p. 575 (Lips. 1847) hunc Sermonem anno 1517 mense Novembri prodiisse comprobare studet.

Hic sermo habitus est germanica lingua et prodiit sub titulo: Sermon vom Ablass und Gnade. Primae huius sermonis editiones, quae nobis innotuerunt, anno 1518 (Wittenbergae) prodierunt sub hoc titulo: Ein Sermon von dem Ablaß und Gnade durch den würdigen Doctorem Martinum Luther, Augustiner zu Wittenberg in 4. et saepius sunt repetitae (cf. Walchii Introd. in T. XVIII. p. 43 sq. et Loescheri Reform. Act. I, 468 et II, 10.) Huic sermoni vernaculo Tetzelius alium opposuit vernaculum sub hoc titulo: Verlegung, gemacht von Bruder Johann Tetzel, Prediger-Ordens, Ketzermeister, wieder einen vermessenen Sermon von zwanzig irrigen Artikeln, päbstlichen Ablaß und Gnade belangend, allen christgläubigen Menschen zu wissen von nöthen. De hoc Tetzelii sermone Lutherus in epistola ad Spalatinum Altera Corporis Christi (4. m. Junii) a. 1518 data ita disserit: Edidit Johannes Tetzel adversus meum vernaculum sermonem itidem vernaculum libellum insignem inscitiae suae et testem et praeconem, cui ego addam lucem, ut intelligatur ab omnibus, qualis sit, non qualem ipse velit videre suum libellum. Ex germanico hic sermo mox translatus est in latinum et sic legitur in edit. Jenensi T. I, p. 11 sqq., in Wittenbergensi T. I. p. 58 sqq. Separata huius

sermonis in Latinum translati editio nobis non innotuit; primum editum invenimus in collectione operum Lutheri, quae cum praefatione typographi: Ad candidos theologos, forma quartanaria Basileae mense Februario a. 1519 prodiit sub hoc titulo: „Ad Leonem X Pontificem Maximum. Resolutiones disputationum de virtute indulgentiarum reverendi Patris ac sacrae theologiae doctoris Martini Luther Augustiniani Vuittenbergensis etc. etc. In fine: Excudebatur typis*) hoc opus mense Februario. Anno M. D. XIX. In ultima pagina legitur: Liber. Candidum ac liberum lectorem opto." Ibi sermo de indulgentiis sic inscribitur: Reverendi Patris Martini Lutherii de indulgentiis sermo, Vuitenbergae habitus, in latinam linguam e Germanica versus. In libro rarissimo: Catalogus oder Registern aller Bücher und schrifften D. Mart. Luth. durch jn ausgelassen vom jar. M. D. XVIII. bis jns. XXXIII. Mit einer Vorrhede. Wittenberg. — In fine: Gedruckt zu Wittemberg, durch Hans Lufft. M. D. XXXIII, hic sermo non scriptis Lutheri adnumeratur e Germanico versis, sed omnino eius sermonibus latinis, qui anno 1518 prodierunt, hoc modo: „Sermones anno 1518: De poenitentia; de indulgentiis; de virtute excommunicationis; de praeparatione ad eucharistiam; de triplici iusticia; de duplici iusticia."

Nos in textu huius sermonis reddendo secuti sumus editionem originalem, quam supra Basileae a. 1519 prodiisse diximus; lectiones variantes edit. Jenensis, quae videbantur maioris esse momenti, in margine inferiore annotavimus. Germanice legitur hic sermo in ed. Jen. I, 58, Wittenb. VII, 1, Altenb. I, 56, Lipsiensi XVII, 119, Walch. XVIII, 533 sqq.

Cum hoc de indulgentiis sermone tanquam cognatus coniungi solet in collectionibus operum Lutheri ille, quem de poenitentia habuit, in quo plerosque errores in materia contritionis et confessionis examinat et refellit, quoad satisfactionem vero et indulgentias ad concionem Germanicam provocat.

---

*) Ab Joh. Frobenio.

(cf. Seckendorfii histor. Luther. Indic. tert.). In lucem prodiit hic sermo lingua latina, et anno demum 1702 ab Jo. Gottofredo Zeidler in usum Halensis editionis (p. 129) in linguam germanicam est translatus, ex qua postea etiam in collectione Lipsiensi T. XVII, p. 157 germanice redditur.

Hic sermo saepius separatim latine typis est excusus, antiquissimae autem editiones hae sunt:

Sermo de penitentia. P. MARTINI LUTHERI Augustiniani Vuittenbergensis. In fine: Lipsiae in edibus Vuolfgangi Monacensis. Anno a natali Christiano Millesimo quingentesimo decimo octavo. 4. (Panzer Annal. typograph. VII, 203.)

Sermo de Penitentia P. Martini Luther Augustiniani Wittenbergensis. In fine: Lipsiae ex aedibus Valentini Schumann. Anno Domini Millesimo quingentesimo octavo decimo. 4. (Panzer VII, 205.), et eod. anno forma octon. (Panzer XI, 439 et Ind.)

Sermo de Poenitentia P. Martini Luther. Augustiniani Wittenbergensis. In fine: Impressum Wittenburgii per Joannem Grunenberg. Anno Dei M. D. XVIII. 4. (Panzer IX, 71.)

Sermo de Penitentia P. Martini Luther Augustiniani Vuittembergensis. In fine: Ex officina Melchioris Lötthëri Anno domini Millesimo quingentesimo decimo nono. 4. (Panzer VII, 207. v. d. Hardt II, 59).

Sermo de Penitentia P. Martini Luther Augustiniani Vuittembergensis. In fine: Lipsiae ex officina Melchioris Lottheri, Anno domini Millesimo quingentesimo decimo nono, forma quart.; ultima pagina nuda et tituli pagina lineis circumscripta est.

Sermo de penitentia. P. Martini Luther Augustiniani Wittenburg. In fine: Impressum Augustae in aedibus Sylvani Otmar, apud coenobium Divae Ursulae cis Lychum (s. a.) 4. (Panzer IX, 385).

In collectionibus hic sermo legitur, Latine in Jen. I, 13, in Wittenb. I, 59, in Basiliensibus a. 1519 et 1520. (cf. Loesch. Reform. Act. I, p. 567 sqq.), Germanice in Halensi p. 129 et Lipsiensi XVII, p. 157 sqq.

Nos in textu reddendo secuti sumus editionem originalem, quae exiit sub hoc titulo:

Sermo de Poenitentia P. Martini Luther Augustiniani Wittenburgen. —. Tituli pagina in margine figuris typographicis est ornata et in inferiore parte hanc inscriptionem fert: „Eme lege et gaudebis"; nec anno nec loco addito, quo impressus sit. In fine legitur: Impressum Augustae in aedibus Sylvani Otmar apud coenobium divae Ursulae cis Lychum. —. In bibliotheca clarissimi amici Lutheri, Christophori de Scheuerl, libris intersertus reperitur, qui anno 1518 in lucem prodierunt, ex quo coniicere licet, hunc sermonem anno eodem typis esse excusum.

Quae lectiones variantes in editione Jenensi vel in Basiliensi a. 1519 repertae sunt, has in notis subiecimus. In ed. Basiliensi, quae a. 1519 prodiit, hic sermo sic inscribitur: R. P. Martini Lutherii Augustiniani Wittenbergensis de Poenitentia sermo, annotatione non addita, quae in sermone de indulgentiis legitur, eum ex lingua Germanica in Latinam esse versum.

I. De indulgentiis.

Sciendum primo, quod novi autores, ut Magister Sententiarum, S. Thomas, et horum imitatores, tres partes faciunt poenitentiae, nempe Contritionem, Confessionem et Satisfactionem. Et quamvis haec distinctio, ut ipsi eam proponunt, difficulter, aut certe neutiquam deduci queat ex scriptura, neque etiam ex antiquis Christianae religionis autoribus, nos tamen id inconvulsum relinquemus impraesentiarum, et ipsorum more loqui conabimur.

Secundo dicunt, Venias neque contritionem, neque confessionem adimere, sed tantum satisfactionem.

Tertio, Satisfactio dividitur in orationem, ieiunium, et eleemosynam, ubi oratio omnem animi motum, et actionem in se complectitur ad animam proprie attinentem, ut lectionem, meditationem, auditionem verbi divini, declamationem ad populum, doctrinam, et id genus. Ieiunium continet omnia opera afflictiva carnis, ut vigilias, labores, duritiem

in vestitu, in lectisterniis etc. Eleemosyna est operum amoris et misericordiae adversus proximum exhibitio.

Quarto, Apud omnes Theologos est persuasissimum, quod indulgentiae auferant huiusmodi opera satisfactionis pro peccatis debita vel imposita, nam si absolute omnia opera satisfactionis adimeret, nihil boni superesset a nobis agendum.

Quinto, Multis fuit magna quaestio, sed nondum satis excussa atque definita, imo adhuc controversa, an videlicet ultra iniuncta opera satisfactionis quippiam adimant indulgentiae? anne poenam a Deo pro peccatis aut inflictam, aut infligendam?

Sexto, Eam quaestionem intactam praetergredior, sed affirmare possum, quod ex nulla Scriptura colligi queat, divinam iustitiam sive poenam, sive satisfactionem exigere de peccatore, quin veram tantum et ex corde profectam poenitentiam aut resipiscentiam, cum voluntate ad crucem Christi ferendam, praedictaque opera satisfactionis exercendi, etiamsi nemo imponat, quia per Ezechielem*) dictum est: Quicunque peccator conversus fuerit, et bene egerit, peccatorum suorum amplius non recordabor. Item hoc modo ipse omnes absolvit**), Mariam Magdalenam, paralyticum, mulierem in adulterio deprehensam etc. Et audire liberet, quisnam aliter valeat astruere, tametsi aliqui ex Doctoribus in eam partem opinati sunt.

Septimo, Bene fateor inveniri posse, quod Deus iuxta divinam iustitiam aliquos castiget, aut per flagella urgeat ad poenitentiam, ut Psal. 89: Si dereliquerint filii eius legem meam, si iustitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Sed hanc poenam amovere aut ignoscere, Deo tantum in manu est, nulli hominum,

*) Ezech. 18.
**) Luc. 7. Matth. 9. Johan. 8.

neque eam ipse omittere vult, sed eam sedulo pollicetur sese inflicturum.

Octavo, Propterea illius imaginariae poenae nomen, quam indulgentiae excludunt, nemo explicare potest, neque quisquam novit, quidnam sit, si non est neque flagellum modo expositum, neque bona opera, quae satisfactionis nominantur.

Nono, Finge, quod ecclesia vel hac tempestate decernat et aperte declaret, aliquid remitti per indulgentias ultra praedicta opera satisfactionis, nihilominus praestaret infinitis modis, quod nemo Christianus indulgentias redimeret, imo ne peteret quidem, quia potius praeoptent, tum facta bona, tum illius poenae tolerantiam: quia indulgentiae nihil sunt aliud, neque aliud fieri possunt, quam remissio bonorum operum et salutaris poenae. Haec autem amplecti quam refugere multo aequius est atque honestius, tametsi ex Concionatoribus recentiores quidam commenti sunt poenas duplices, medicativas, ut vocant, et satisfactorias, etenim has ad diluendum commissum, illas ad sanandum et vitam in melius commutandam prodesse pronunciant. Verum nobis maior facultas est istiusmodi nugamenta contemnendi, quam istis excogitandi, nam quidquid Deus imponit, in emendationem est, et compendium Christianis.

Decimo, Frivolum est, quod dicunt, numerum poenarum et operum, quibus satisfaciendum pro peccatis, esse maiorem, quam homo in omnem vitam tam facere, tum perferre queat, ob exiguum vitae spatium, eoque necessarias indulgentias. Respondeo, quod totum hoc inane est, fictitium, nulloque fundamento nititur. Nam Deus et ecclesia neminem gravant ultra vires, quod Paulus ipse astruit*): Deus, inquit, vos non permittit tentari supra id, quod potestis. Neque exigua est contumelia Christianismo dicere, quod nobis importabilia onera imponat.

*) 1. Cor. 10.

Undecimo, Quod si poenitentiae per canones antiquatos iniunctae adhuc essent efficaces, ut pro quolibet peccato mortali septem annorum poenitentia exigeretur, oporteret ab eiusmodi constitutionibus Christianitatem abscedere, neque amplius imponere, quam quisquam ferre sufficeret, quanto minus putandum est, illis pridem obliteratis plus piis obtrudi, quam pro viribus expediat.

Duodecimo, Dicitur magno consensu, peccatorem cum reliqua poena post contritionem et absolutionem debita remittendum aut in purgatorium, aut ad indulgentias, verum multa etiam alia temere et supra veri fidem asseruntur.

Decimo tertio, Foedus est error, quod quispiam de peccatis se putet satisfacturum, quae ex inaestimabili clementia Deus et semper et gratis remittit atque condonat, nihil a nobis invicem requirens, quam ut in posterum bene vivamus. Christianitas, bene verum est, aliqua exposcit, quae potest et debet remittere, et nihil imperare ferendum, quod ferri nequit, neque quicquam molestius.

Decimo quarto, Indulgentiae admittuntur, propter inertes et pigros Christianos, qui nolunt animose, neque bona facere, neque mala sustinere, nam indulgentiae nihil promovent in melius, sed illorum imperfectionem duntaxat tolerant, veluti connivendo, ideoque ab indulgentiis dehortari non licet, atqui neque licitum est ad eas adhortari.

De cimo quinto, Tutius et utilius est, dare pure propter Deum ad fabricam S. Petri, aut alia[1]), quae nominantur in indulgentiis, quam pro munere vicissim accipere indulgentias, nam periculum est, ne munus[2]) propter indulgentias, et non propter Deum impendat.

Decimo sexto, Multis nominibus est conducibilius, largum et munificum animum ostendisse pauperi et egeno, quam sic ad structuram profundere

1) In ed. Jen.: ad alia. 2) In ed. laud., quam in edendo hoc sermone secuti sumus, legitur: minus.

spe indulgentiarum consequendarum, nam plus momenti habet pium opus absolvisse, quam remisisse, et indulgentiae plurima bona, quae fieri deberent, condonant, aut certe nihil condonant.

Atqui, ut vere te instruam, animum advertas. Praecipue dederis, inquam, egenti proximo, si quid es daturus, neque fabrica S. Petri neque indulgentiae ab hoc evangelico instituto te dimoveant, nemine vero[3]) oppidi tui, profligata inopia rerum, opus habente auxilio tuo, quod fortassis nunquam futurum est, ad templa, ad altaria, ad ornamenta, calices, clinodia tui oppidi tunc licet exponere, si lubet; quo facto, si animus te sollicitat, potes impune aut Romam aut alio mittere, tantae liberalitatis argumenta nemo vetat, modo ne indulgentiarum respectu miseris. Quandoquidem Paulus dicit:*) Qui domesticis suis non benefecerit, non est Christianus, et peior quovis ethnico, ita libere et constanter sentiendum. Qui aliter docet, seductor est, et animam in crumena tua quaerit, inventosque nummos omnibus animabus anteponit, et plus amat. Quispiam forte respondet: Sic nunquam indulgentias redimerem. Prius, inquam, ita contendebam, ita expetivi, oravi, consului, ne indulgentias compares, ea facultate somniculosis permissa, tibi recta pergendum est.

Decimo septimo, Indulgentiae neque praecepti neque consilii sunt, sed ex illarum rerum numero, quae permittuntur et sub permissionem cadunt, ideoque non sunt factum aliquod obedientiae, neque etiam ullo modo meritoriae, sed tantum excussio quaedam obedientiae. Unde consequitur, quod indulgentiae, quamvis interdicendae non sunt, amoti tamen et subtracti ab eis Christiani ad opera et poenas, quae remittuntur, excitari debent.

Decimo octavo, Quod animae per indulgentias ex purgatorio liberentur, nondum exploratum habeo,

---

*) 1. Tim. 5.

3) Ibid.: vere.

neque credo, tametsi recentiores id asseverant, sed probandi facultatem non habent, neque ab ecclesia sancitum est. Quare securius est, ut pro animabus ipse preceris et exerceas[4]) opera pietatis, id quidem remedii receptius atque certius habetur.

Decimo nono, In praedictis nihil dubito, quae idoneis argumentis omnia nituntur et Scriptura, et evangelicis decretis, longum valere dicto doctoribus Scholasticis, qui universi neutiquam sufficiunt, unam ad populum concionem sacram confirmare, eadem mecum amplectamini sine dubitatione, sine formidine oppositi.

Vicesimo, Si qui de haereseos crimine me traducunt, quorum scriniis potissimum aperta veritas vehementer officit, non magnopere curo. Neque istorum clamosas contumelias magnopere reformido, obscuri sunt, cerebri tenebricosi, Bibliae gustus inexperti neque Christi doctrinas unquam legerunt, neque proprios autores, quos adorant, intellexerunt, quin imo laceris et cariosis opinionibus fere detriti sunt, etenim suis assertionibus perspectis cognovissent, nequaquam condemnandum eum, qui non solum non peractus est reus, sed ne reus quidem factus. Verum ipsis ac nobis Deus mentem largiri dignetur sanam ac rectam. Amen.

II. De Poenitentia.

De indulgentiis saepe locutus sum vobis, donec id meruerim, ut haereticus accuser. Ut autem rem ipsam teneatis possitisque vos ipsi cum illis conferre, ecce procedam iuxta eorum sententiam, nisi ubi locus fuerit mea interserendi.

Igitur eorum sententia poenitentia dividitur in tres partes, quae sunt contritio, confessio, satisfactio.

Prima, contritio (sic enim coepit vocari vera poenitentia interior) duplici via paratur, primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos suos in

4) Ibid.: excerces.

amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, foeditatem, multitudinem, deinde amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, et alia, quae possunt tristitiam et dolorem excitare.[1])

Haec autem contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem, quia solum timore praecepti et dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur et communicantur, et si libere deberent (remoto praecepto et minis poenarum) confiteri, certe dicerent sibi non displicere eam vitam praeteritam, quam sic coguntur displicere confiteri, imo quo magis timore poenae et dolore damni sic[2]) conteruntur, eo magis peccant, et afficiuntur suis peccatis, quae coguntur, non autem volunt odisse, siquidem lex et cognitio peccati magis abundare facit peccatum, ut apostolus ait Roma. 5. Et haec est illa contritio, quam ipsi vocant extra caritatem non meritoriam. Alii vocant attritionem proxime disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego iudico.

Secundo paratur per intuitum et contemplationem speciosissimae iustitiae, qua quis in pulchritudine et specie iustitiae meditatus in eam ardescit et rapitur, incipitque cum Salomone*) fieri amator sapientiae, cuius pulchritudinem viderat, haec facit vere poenitentem, quia amore iustitiae id facit, et hi sunt digni absolutione. Exempli gratia si vis poenitere de luxuria, non incipias numerare vitia, foeditates, damna eius, nam haec non diu tibi durabunt;[3]) quum sit violenta contritio, ex vi praecepti facta, sed intende in speciem castitatis, atque ad commoda eius pulcherrima, ut ipsa tibi intime placeat. Sic de omnibus aliis virtutibus.

Sed hic regula talis notanda est, quod intuitus virtutum fit dupliciter, abstractive, seu per se, et

---

1) In ed. Jen. additum: spe satisfaciendi per opera bona. 2) In ed. orig a. 1519 deest: sic. 3) Ibid.: durabant.

*) Sapient. 7.

sic carnalem hominem parum movent, quomodo traditur per verbum praedicationis, sic enim non nisi speculative videtur, concretive, sive per aliud, hoc est, exempli gratia, ut intuearis homines, qui tali virtute lucent, quorum omnium speculum primum est Christus, deinde sancti in coelo. Verum rudem et incipientem maxime movent exempla praesentia et sui seculi.

Ideo virginitatem in virginibus et innocentibus pueris intuere, usque dum gemas a facie pulchritudinis eius, sic castitatem, caritatem, patientiam, reliquasque omnes.

Sic enim B. Anselmus docet ascendere ad amorem Dei ex amore hominis boni. Sic B. Augustinus suam contritionem hausit ex intuitu illorum, quos ex Pontiano audivit, et ipse confitetur ecclesiam sibi ostendisse plenis manibus exempla virginum et continentium, et sic odore illo optimo allectum. Sic et apostolus*) se esse bonum odorem, aliis in vitam, aliis in mortem. Signum est enim verae contritionis, si inspecto homine casto, humili, benigno, suspires ex corde, quia non est talis. Sic et ecclesia orat, ut Deus nos per exempla sanctorum suorum restauret. Et B. Augustinus lib. 8. Confess. Psalm. 120[1]) sic exponit: Sagittae potentis acutae cum carbonibus vastatoribus, sagittas interpretans verba virtutes praedicantia ad abstractivam cognitionem, et carbones vastatores, exempla sanctorum vastantia omnem linguam dolosam, imo malam cupiditatem.

Sic admirabili sapientia Dei fit, ut nullus sibi bene vivat. Et saepius fit, ut boni aliis prosint dum nesciunt, imo fere semper nesciunt, quia[2]), dum incedunt simpliciter, alii eorum verbis et vita moventur miro affectu. Denique et pueri infantes ita nobis vivunt, ut nobis innocentiae speciem suavissime commendent, atque ad poenitentiam provocent.

---

*) 2. Cor. 2.
1) In ed. princ. et orig. a. 1519: 119. 2) Ibid.: qui.

Sunt enim viva monitoria. Non est itaque quod queruleris [1]) tibi deesse virtutum exempla viva; pueros intende, sicut Christus docuit, exhibens parvulum discipulis suis. Haec est poenitentia iucunda, vera, stabilis et ex spiritu nata.

Ratio omnium praedictorum est: Impossibile est, ut odias aliquid vero odio et perfecto, cuius contrarium non prius dilexeris. Amor semper est prior odio, et odium natura et sponte fluit ex amore, et sic nascitur zelus, qui est iratus amor, id est, odium mali propter bonum. Sic odium peccati et detestatio vitae praeteritae, nulla cura, nullo labore quaesita, veniunt sua sponte, alioquin perversissimo ordine, et nunquam profuturo studio quaeritur amor iustitiae per odium peccati, imo machina desperationis, et deiiciendi animi est talis perversitas. Poenitentia enim debet esse dulcis, et ex dulcedine in iram descendere ad odium peccati. Amor enim est vinculum perpetuum, quia voluntarium, odium temporale, quia violentum. Igitur persuade homini primum, ut diligat iustitiam, et sine magisterio tuo conteretur de peccato, diligat Christum, et statim sui prodigus odiet [2]) se ipsum. Sic Psal. 45 [3]): Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, prius inquit, dilexisti iustitiam, et sic odisti iniquitatem etc.

Corollarium.

Plus tibi discutiendum est confessuro, quantum diligas iustitiam, quam quantum odias peccatum, multoque maiore, imo solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo deseras aut odias praeteritam malam. Verissimum est enim proverbium, et omni doctrina de contritionibus hucusque data praestantius, quo dicitur teutonice: Nimmer thun die höchste Buße. Optima poenitentia nova vita, sicut et apostolus

---

1) Ibid.: queraris. 2) In ed. Jen: odio habebit. 3) In ed. princ.: 44.

sonat ad Galat. 6: In Christo neque circumcisio, neque praeputium aliquid valet, sed nova creatura.

Proinde confessurus id potissimum et ante omnia tecum cogita, quid faceres, si non esset praeceptum confitendi, si nulla esset quadragesima, si nulli confiterentur, si nullus esset pudor, sed omnis omnium plenaque libertas? An etiam sic velles confiteri, conteri, poenitere? Quod si te non ita invenis, iam scito te non ex amore iustitiae, sed consuetudine et timore praecepti poenitere, atque malle sequi turbam, si omnibus liceret non poenitere. Si autem velles, etiam si nullus poeniteret, confiteretur, contereretur, atque adeo si totus mundus aliter ageret, nec praecepti habita ratione poenitere, sed amore novae vitae et melioris, iam vere poenites. Ecce hoc est, quod illi solent dicere, quod contritio in caritate facta facit remitti peccata, quod verbum nescio, si omnes intelligunt, qui tam frequenter ipsum in ore versant, hoc scio obscurissimum esse nec a me aliquando intellectum.

Hic vero invenies, si non vis mentiri, te non esse talem, sed potius velles, ut prior vita liceret, quia sentis te omnino adhuc inclinari ad vitam priorem. Sic enim et B. Augustinus confitetur in contritione sua, se fuisse sollicitatum de vita praeterita. Imo si recte perpendas haec dicta, facile dices, nullum hominem esse in mundo, qui hanc contritionem habeat, vel saltem paucissimos. Et de me ipso confiteor similia omnino. Et si vere ac libere velis confiteri remoto Deo, praecepto, poena, gaudio, scio dices: si nullus esset Deus, nullus infernus, certe vix poeniterem, scio, inquam, talem esse tuam cogitationem, quantumlibet foris contritionem ostendas.

Quid ergo hic faciemus? Oportet nos esse tales, et non possumus esse tales, omnes ergo damnabimur? Absit. Sed respondeamus: Oportet, ut cognito te tali non neges te talem, sed in angulum vadas, et iuxta consilium Christi *) in abscondito

*) Matth. 6.

ores Patrem tuum in coelis dicens sine fictione: Ecce, optime Deus, poenitendum mihi praecipis, sed talis sum ego miser, quod sentio me nolle neque posse; quare tuis prostratus pedibus oro misericordiam et gratiam, fac poenitentem, quem iubes poenitere. Et sic cum B. Augustino ores: Domine, da quod iubes, et iube quod vis; et cum ecclesia: Cor poenitens tribue. Haec, inquam, oratio et agnitio atque confessio impoenitentiae tuae (si ficta non fuerit) eo ipso faciet, ut Deus te poenitentem verum reputet, et licet multum adhuc sentias te ad malum inclinatum, noli timere. Haec confessio et oratio faciet, ut Christus suppleat de suo, quod deest de tuo.

Atque ut[1]) hanc orationem facias, non te retrahat indignitas et impuritas tua, accede confidenter, quia si non ante vis orare Deum (ut multi stultissime agunt) quam fueris mundus, nunquam orabis. Et crede firmiter, qui dedit tibi hanc tui cognitionem peccati, te non rogante, dabit etiam gratiam oranti, imo ideo dedit cognitionem peccati et iustitiae, ut rogares gratiam. Sic B. Augustinus cum apostolo dicit: Per legem cognitio peccati, ut gratia donetur et impetretur. Accipe simile. Gentiles olim idola sua rogabant, et fiebat quod petebatur, et avarus confidit in divitias suas, et fit sicut vult, quanto magis ille verus et bonus Deus non sinit se frustra rogari et in se confidi.

I. Corollarium.

Contritio vera non est ex nobis, sed ex gratia Dei, ideo desperandum de nobis, et ad misericordiam eius confugiendum.

II. Corollarium.

Contritio incipit in poenitente, sed non cessat per totam vitam usque ad mortem, et non (ut multi putant) durat per horam confessionis duntaxat. Ecce sic habes, quomodo intelligas, quod illi

---

1) In ed. orig. a. 1519 deest: ut.

dicunt, oportere poenitere in caritate, et cum bono proposito, quantum Deus auxilium gratiae dederit. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere, nisi quod potest dicere: Nescio an sim contritus, rogo tamen Dominum atque confido, me sua gratia contritum et quotidie magis conterendum. Haec de prima parte.

Secunda pars est confessio sacramentalis. Et hic duo sunt notanda, primum, ut nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas, ad impossibile autem nemo obligatur. Unde in primitiva ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur, ut patet I Corinth. 5: Si quis inter vos est fornicator, aut avarus, aut idolatra[1], aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiuscemodi nec cibum sumere[2]), et illud Gal. 5: Manifesta sunt opera carnis etc. unde multi confitentur in quinque sensibus, septem donis, septem sacramentis, octo beatitudinibus, et aliis multis distinctionibus peccatorum, velut id curantes, ut nullum peccatum non confiteantur, cum tamen inter ea quandoque nullum vel vix veniale sit peccatum, et fatigant frustra sacerdotem, perduntque tempus, ac aliis sunt impedimento.

Ideo duplici sis confitendi modo instructus: uno, quo sacerdoti omnia manifeste mortalia confitearis, quamquam difficile sit discerni mortalia a venialibus, nisi sint in opere manifesto, aut evidenti consensu cordis, ut maledictio, furtum, homicidium, luxuria, detractio, ira, amaritudo etc., alio, quo Deo confitearis reliqua omnia, imo cum B. Hiob [*]) dicas: Verebar omnia opera mea, sciens quoniam non parcis delinquenti. Et Psal. 19 [3]): Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, Domine, nam nulla sunt opera nostra etiam bona, quin sint peccata damnabilia, si Deus in iudicium intret no-

1) In ed. orig. a. 1519: idololatra. 2) In ed. Ien.: sumite. 3) In ed. princ. et ed. orig. a. 1519: 18.
*) Hiob. 9.

biscum. Sic dicit Psa. 143 [1]): Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item *): Omnis homo mendax etc. Sola vero ista confessione humili et oratione nobis ignoscuntur, et fiunt meritoria. Unde et iussit nobis, ut oremus: Dimitte nobis debita nostra.

Quocirca, dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum, nec confidere in eum, sed in confessionem nostram cupimus, ac per hoc volumus securi esse, nec iudicium eius timere, cum tamen ei sit beneplacitum super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordiam eius **).

Haec ideo dixi, ut sitis praemoniti atque praemuniti in hora mortis, ubi diabolus non solum mortalia occulta opponet et magnificabit, sed ex venialibus, imo ex bonis operibus faciet non nisi horrenda peccata, et totam vitam perditissimam ac damnabilem ostendet, ut scias quid facias, scilicet, ne tunc dicas: Heu, utinam essem confessus, aut tempus haberem confitendi, ne forte desperes, quod ipse cupit, sed confide, et dicas: Scio, quod omnis vita mea est damnabilis, si iudicetur, sed dominus iussit non in mea vita, sed in sua misericordia confidere, sicut ait ***): Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Psal. 63 [2]): Quoniam melior est misericordia tua super vitas. Sic enim B. Bernhardus, cum aliquando moriturum se crederet: Perdidi tempus meum, quia perdite vixi, nec habeo, nisi quod cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Sic sic timor iudicii humiliabit te, sed spes misericordiae exaltabit humiliatum.

Secundum vide, ne ullo modo te confidas absolvi propter tuam contritionem, sic enim super te et tua opera confides, id est, pessime praesumes, sed propter verbum Christi, qui dixit Petro: Quod-

1) Ibid.: 144. 2) Ibid.: 62.
*) Psal. 116. **) Psal. 146. ***) Matth. 9.

cunque solveris super terram, solutum erit et in coelis. Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris solutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quia ille non mentitur, quicquid sit de tua contritione. Nam sic non crederes sententiae pronunciatae super te a Deo, qui mentiri non potest, ac sic te veracem, et ipsum mendacem faceres, nam sententia illa debet esse rata et certa.

Ideo multo magis tibi hic videndum, quomodo nihil huic fidei desit, quam ceteris omnibus. Imo esto [1]) per impossibile, quod confessus non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat, si tamen credat sese absolutum, verissime est absolutus, tanta res est fides, et tam potens verbum Christi. Damnabuntur itaque qui non volunt [2]) confidere sese absolutos, donec certi sint se satis contritos, et super arenam, non super petram volunt domum conscientiae suae aedificare.

Sic legitur in ecclesiastica historia *), quod B. Athanasius ludens cum pueris baptizavit eos, sicut viderat fieri a sacerdotibus, et baptizatos iudicavit B. Alexander episcopus. Item quidam Mimus illudens baptizari voluit ad placendum imperatori, et inter ludendum, viso angelo cum libro, credidit, et eo ipso ludicro baptismo vere est baptizatus. Quare plus est a confitente requirendum, an credat sese [3]) absolvi, quam an sit vere contritus, sicut Christus a caecis quaesivit: Creditis me posse vobis hoc facere? Et merito, quia contritio nunquam est vera satis, quod si esset vera, non est tamen certa, et si esset certa, non tamen esset satis. Fides autem et verbum Christi sunt verissima, certissima, sufficientissima.

Ruit ergo hic error illorum, qui dicunt, quod sacramenta novae legis sic sunt efficacia gratiae signa, quod si quis etiam non sit contritus, sed

---

1) In ed. orig. a. 1519: est. 2) Ibid.: nolunt. 3) Ibid. deest: sese.

*) Eccl. Hist. lib. 10. cap. 14.

attritus, modo non ponat obicem, actualis peccati vel propositi mali gratiam consequatur.

Ego autem dico tibi, quod si etiam contritus accesseris, et non credideris in absolutionem, sunt tibi sacramenta in mortem et damnationem. Fides enim necessaria est, quanto minus attritio vel non positio obicis sufficit. Denique talis nullus est in mundo, qui non ponat obicem, nisi solus is, qui credit, cum sola fides iustificet, et accedentem ad Deum oporteat credere *). Verissimum est enim dictum illud commune: Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. Et B. Augustinus: Abluit sacramentum, non quia fit, sed quia creditur. Quod si sacramentum non iustificat, sed fides sacramenti, quanto minus contritio, aut non positio obicis iustificat, sed fides etc.

At hic tum quaestio resurget: Quomodo autem [1]) differunt sacramenta veteris et novae legis, si haec aeque non dant gratiam sicut illa? Haec ad aliud pertinent tempus. Satis sit, quod sacramenta novae legis sunt efficacia signa gratiae, si credis, et non amplius. Haec de secunda parte.

Tertia est satisfactio, de qua quidem nihil legitur in scripturis, dicunt tamen eam duobus modis fieri: uno modo per impletionem operum, quae sunt eleemosynae, ieiunia, orationes; alio modo per indulgentias. Sed de his habetis vulgarem sermonem nuper impressum, ideo ad praesens omitto, lege [2]) ibidem.

FINIS.

---

1) In ed. Ien. et ed. orig. a. 1519: ergo. 2) In edit. Ien.: legite.

*) Ebre. 11.

Dialogus

Reverendi Patris Fratris Silvestri Prieriatis de potestate Papae in Lutheri conclusiones.

1517. (1518).

Lutheri de indulgentiarum virtute editae propositiones, quum in Italiam essent perlatae, mox omnium animos permovere coeperunt; itaque iam mense Decembri a. 1517 Silvester Prierias sive Silvester de Prierio, magister sacri Palatii apostolici, (sive Inquisitor Pontificius, i. e. librorum et dogmatum censor) libellum contra Lutherum composuit, qui inscribebatur: In praesumtuosas Martini Lutheri conclusiones de potestate papae dialogus. Silvester autem, in vico Prierio Principatus Italici Montis Ferrati anno 1460 natus, iam quinto decimo aetatis anno ordini monachorum Dominicanorum erat adscriptus, ex quo Magistri sacri palatii sive inquisitores Pontificii eligi solebant, et mox tam Patavii quam Romae, ubi theologiam docebat, magna doctrinae theologicae artisque oratoriae ecclesiasticae laude ac fama florebat. Eius dialogi nonnulla, quamvis pauca tantummodo exemplaria iam mense Ianuario a. 1518 in Germaniam allata esse videntur; Lutherus enim die septimo eius mensis in epistola Lipsiae ad Spalatinum data scribit: Mitto novas larvas Silvestri ex Urbe *), iam per Nurm-

---

*) Roma.

berg acceptas. Quas ubi legeris, statim remittas Vittembergam, ut consulibus amicis respondeam vel taceam. Non habeo nisi hoc unum exemplar (de Wette I p. 83). Die quarto decimo Januarii idem scripsit Spalatino: Miror Silvestres nugas non fuisse tibi redditas a Priore Grimmensi, cum tamen literae meae illis coniunctae pervenerint. — Silvestro nostris non videtur respondendum, imo convenit inter nos, esse personatum aliquem Silvestrum ex obscuris viris, qui tantas ineptias in hominem luserit ad provocandum me adversus eum (Luth. epp. ed. Aurif. I, p. 44, de Wette I, p. 87). Lutherum constat aliquamdiu amicis suadentibus tacuisse, sed iam ineunte mense Augusto a. 1518 Responsionem ad hunc Silvestri dialogum composuisse (Aurif. I p. 53. de Wette I p. 131) et sub finem eiusdem mensis una cum dialogo ipso typis repetito, evulgasse: Lutherus enim ipse in epistola sabbatho octavae Assumptionis D. Mariae (d. 21. m. Aug.) a. 1518 ad Spalatinum scribit: Adversus Dialogum Silvestrinum, immo una cum ipso Dialogo exceditur Lipsiae responsio mea, quam et brevi ad te mittam (Aurif. I, p. 77. et de Wette I, p. 133), et die ultimo eiusdem mensis eidem Spalatino hanc Responsionem suam confectam misit haec addens: Mitto nugas meas nugacissimas et extemporalissimas adversus Silvestrum, vere silvestrem et campestrem sophistam meum, biduo effusas. Neque enim dignus mihi visus est, propter quem nervos ingenii et studii operam frustra tentarem, in tam levibus suis et (ut vocant) bullaceis syllogismis (Aurif. I, p. 78. et de Wette I, p. 135. cf. Walchii Introd. in T. XVIII p. 18 sqq.). Lutheri responsio ad Prieriatis Dialogum una cum dialogo ipso mox erat divendita et denuo erat typis recudenda, namque iam die nono m. Septembris a. 1518 Lutherus ad Joh. Langum, Vicarium medium Eremitarum Augustinensium Erfurdensium, haec scribit: Dialogos Silvestrinos non habeo, nisi hunc unum, alios excudit Melchior Lotther, venditis omnibus prioris excusionis exemplaribus. Ita enim

Dominicales fratres omnia emunt et supprimere conantur. (Aurifaber I, p. 81. de Wette I, p. 141.

Legitur hic Dialogus latine in collectionibus Opp. Luth. Ienens. I, 15. Wittemb. I, 159, in collectione s. l. et a. 1519 form. 4, Basiliensi a. 1520 fol. p. 89, Germanice apud Walch. XVIII, 81 (cf. Loescheri Reform. Act. II, 13). Huius dialogi editio, quae Romae 1517 prodiit, nobis non servata est; iterum ille Romae typis excusus est anno 1520 sub hoc titulo: Silvestri Prieriatis Ord. Praed. Errata et argumenta Martini Lutheri recitata, repulsa et copiosissime trita (De veritate romane ecclesie romanique Pontificis). Romae per Antonium bladis de Asula die XXVII Martii anno MDXX, 4. (Panzer Annal. typ. VIII p. 262 coll. Walchii Introd. in T. XVIII p. 20), et typis repetitus est nec loco nec anno indicato sub eodem fere titulo: Errata et Argumenta Martini Lutheris (sic) recitata, detecta, repulsa et copiosissime trita: Per fratrem Sylvestrum Prieratem Magistrum sacri Palatii (1520) 4. (Panzer. Ann. typ. IX p. 125). Anno 1520 denuo Romae ille Dialogus est editus titulo paucis mutato: Silvestri Prieriatis Ord. Praed. In praesumtuosas Martini Lutheri conclusiones de potestate Papae Dialogus. Romae per Antonium bladis de Asula. MDXX, 4 (Panzer. Ann. typ. VIII p. 262). Eum dialogum Lipsiae separatim latine recusum apud Melch. Lottherum prodiisse iam supra indicavimus. Lutheri responsio ad hunc Silv. Prieriatis dialogum latine legitur in collect. Opp. Luth. Ienensi I, p. 44, Wittemberg. I p. 170, Basiliensi 1519, 4, et 1520 fol. p. 107 sqq.; germanice apud Walch. XVIII, p. 120 sqq.

Nos huius dialogi textum typis repetendum curavimus ex editionis originalis exemplari, quod Lutherus ipse haec sua manu inscribens: „D. Doctori Christopho Scheurl F. M. L.“, amico suo Norimbergensi misit, et quod hunc titulum prae se fert:

R. P. Fratris Silv. Prieratis ordinis predicatorum et sacre Theologie professoris celeberrimi sacrique palatii apostolici magistri: in presumptuo-

sas Martini Luther conclusiones de potestate pape dialogus.

Quamquam nec annus nec locus, quo hic libellus excusus sit, in titulo indicatur, tamen ex signis typographicis, quibus tituli pagina ornata est, certo colligi potest, eum Lipsiae in officina Melchioris Lottheri typis excusum esse (cf. Panzer, Ann. typ. VII p. 232), et in bibliotheca locupletissima Scheurliana Norimbergensi libris intersertus est, qui anno 1518 prodierunt. Alia huius libri editio a Panzero (Annal. typ. IX, 190) laudatur: Silvestri Prieratis in presumtuosas Martini Lutheri conclusiones de potestate Papae Dialogus, 4 (s. l. et a.)

Reverendi Patris

Fratris Silvestri Prieriatis, ordinis praedicatorum, et sacrae Theologiae Professoris celeberrimi, sacrique Palatii Apostolici Magistri, in praesumptuosas Martini Lutheri Conclusiones de potestate Papae Dialogus [1]).

Beatissimo Patri Leoni X. Pontifici Maximo frater Silvester Prierias, Ordinis Praedicatorum sacrique Palatii Magister, aeternam Salutem.

Nescio, pater beatissime, an ullo sim tempore laetior, quam cum tuae Beatitudinis contemplatione

1) In ed. Ien. huic Dialogo haec praemittuntur: Huius Silvestri et aliorum similium defensorum antichristi scripta praecedentia et sequentia hoc consilio, pie lector, inserimus huic operi, ut exstet ad omnem posteritatem doctrinae testimonium, quae in papatu, neglecto ac prorsus obruto Christi evangelio, infelici populo proposita est, utque videas iustissimis et necesariis causis Lutherum divinitus excitatum et impulsum esse, ut omnium primus nostra aetate detestabiles ac exsecrandas abominationes papatus taxaret, veteremque ac puram ecclesiae doctrinam,

et gratia aliquid efficio. Quo actum putarim, ut commentariis in primum secundi conflati *) ex divo Thoma immersus potius quam implicitus cum edendis, tum exornandis et consummandis, non potuerim tanta voluptate detineri, quin reiectis ac postergatis studiis et contemplationibus propriis Martino nescio cui Luther, qui in veritatem ipsam et sanctam hanc Sedem cervicem elevatam ostentat, me scutum opponerem pro Sedis huius proque veritatis honore ac maiestate pugnaturus; denique tridui laborem in opus istud absumpsi tanta laetitia et animi iucunditate, ut amor ipse mihi sensim veritatem inferret illaque iugiter ac celerrime animo illaberetur.

Oro vero, Beatitudo tua pauca ista, quae elucubravi, in tantis et tam infestis laboribus, item et curis percurrere non dedignetur, et sua benevola censura inepte dicta aut elimare aut eliminare. Ita enim fiet, ut tanta sim posthac fiducia, ac si fida lorica instructus, ut etiam Satanam ipsum in futuro certamine non extimescam, imo avidus experiri cupiam, an ferreum nasum, aut caput aeneum gerat iste Martinus, ut effringi non possit. Ubi vero is sua fundamenta in lucem extulerit, sua probaturus, aut improbaturus nostra, quiddam (volente Deo) moliar et maius, et accuratius expolitum. Aeternum vale benignissime Pastor.

Sacrarum literarum professori, Martino Luther, frater Silvester de Prierio, ordinis Praedicatorum, spiritum humilitatis et veritatis.

Etsi longa mora intercedente, Martine mi, literarias manus conferre desueverim, eo vel maxime, quod tarda senecta iam frigeant effetae vires, tuis tamen verbis excitus ac pene impulsus, quibus un-

---

quantum Deus concessit, illustraret, pro quo summo beneficio sit Deo ac patri Domini nostri Iesu Christi laus et gloria in aevum, Amen.

*) In ed. Ien.: conflatis.

dique athletas quasi alter Dares in certamina vocas, desuetas palaestras pro S. Apostolica sede, item pro veritate tuenda denuo aggredi statui.

Quoniam vero codicis abs te (ut fertur) editi fundamenta cernere non datur, nec tu conclusionibus tuis probationem ullam attulisti, earumque complures sensus cum veros, tum etiam falsos prae se ferant, non aliter imprimis tecum congredi velim, quam tuarum falsarum positionum opposita sustinendo et defensando, ut quibus innitaris fundamentis edoceas. Quasque ergo tuas sententias percurrens ac trutinans, Dialogo, nobis ipsis, qui certaturi sumus, interlocutoribus, (Deo maximo optimo invocato) futuro certamini iam principium affero. Vale, et melius sentias.

Responsio Magistri Silvestri de Prierio, ordinis Praedicatorum, sacri Palatii Magistri, ad Conclusiones Magistri Martini Lutheri *).

Tum dogma ad examussim cribraturus, Martine mi, normas et fundamenta iaciam, necesse est.

Fundamentum primum est.

Ecclesia universalis essentialiter est convocatio in divinum cultum omnium credentium in Christum. Ecclesia vero universalis virtualiter est ecclesia Romana, ecclesiarum omnium caput, et Pontifex maximus. Ecclesia Romana repraesentative est collegium Cardinalium, virtualiter autem est Pontifex summus, qui est Ecclesiae caput, aliter tamen, quam Christus.

---

*) Nota edit. Ien.: Lutherus ad Spalatinum in epistola, cuius initium est: Quod me in Dresden aliqui asserant etc., indicat, quo tempore editus sit is Dialogus, his verbis: Miror Silvestres nugas non fuisse tibi redditas a Priore Grimmensi. Anno M. D. XVIII. die 14. Ianuarii.

Fundamentum secundum.

Sicut ecclesia universalis non potest errare determinando de fide aut moribus, ita et verum concilium, faciens quod in se est (ut intelligat veritatem) errare non potest, quod intelligo incluso Capite, aut tandem ac finaliter, licet forte prima facie fallatur, quousque durat motus inquirendae veritatis, imo etiam aliquando erravit, licet tandem per spiritum Sanctum intellexerit veritatem, et similiter nec ecclesia Romana, nec pontifex summus determinans ea ratione, qua Pontifex, id est, ex officio suo pronuncians, et faciens quod in se est, ut intelligat veritatem.

Fundamentum tertium.

Quicunque non innititur doctrinae Romanae ecclesiae, ac Romani Pontificis, tanquam regulae fidei infallibili, a qua etiam sacra Scriptura robur trahit et autoritatem, haereticus est.

Fundamentum quartum.

Ecclesia Romana sicut verbo ita et facto potest circa fidem et mores aliquid decernere. Nec in hoc differentia ulla est, praeter id quod verba sunt accommodatiora quam facta. Unde hac ratione consuetudo vim Legis obtinet, quia voluntas principis factis permissive aut effective exprimitur. Et consequenter, quemadmodum haereticus est male sentiens circa scripturarum veritatem, ita et male sentiens circa doctrinam et facta ecclesiae in spectantibus ad fidem et mores haereticus est.

Corollarium.

Qui circa indulgentias dicit, ecclesiam Romanam non posse facere id quod de facto facit, haereticus est. Age nunc, Martine, et tuas conclusiones in medium afferas.

Martinus.*)

1. 2. 3**) Dominus et magister noster Jesus Christus dicens: Poenitentiam agite, omnem vitam fidelium poenitentiam esse voluit. Quod verbum de poenitentia sacramentali, id est, confessionis et satisfactionis, quae sacerdotum ministerio celebratur, non potest intelligi. Non tamen solam intendit interiorem, imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

Sil. His verbis tres conclusiones, Luthere, comprehendis, et verbaliter saltem quatuor falsitates. Prima falsitas est, quod Salvator impossibile iusserit, scilicet fideles omni tempore habere actum poenitentiae interioris vel exterioris. Cum enim dicit: Agite, non loquitur de habituali interiori poenitentia, quae sola perpetua est, et consequenter loquitur de actuali interiori vel exteriori. Agere enim vel actus vel non sine actu est.

Secunda, Verbum Christi dicentis: Poenitentiam agite, non potest intelligi de sacramentali poenitentia. Tripliciter enim poenitentia dici consuevit, primo scilicet, ut est virtus quaedam, cuius obiectum est, peccatum sub ratione emendabilis, actus vero eius est dolor voluntatis de peccato, ipsa vero est habitus moralis, eliciens dictum actum respectu praedicti obiecti. Secundo vero poenitentia est sacramentum, cuius partes sunt contritio, confessio et satisfactio. Tertio accipitur vulgariter pro satisfactione iniuncta a sacerdote, et omni carnis mortificatione. De qualibet autem harum trium dico praedictum verbum Christi non solum posse, verum etiam et debere intelligi, cum ipse sufficienter mandarit de bono opere efficiendo.

Tertia falsitas est ad hominem, id est, ad te, quod scilicet Christus non intendit loqui solum de interiori poenitentia, hoc enim in se quidem verum

*) In ed. Jen. semper legitur: Luther, non: Martinus. **) Numeris notantur theses Lutheri secundum editionem Jenensem.

est, sed tibi, qui vis Christum his verbis indicere poenitentiam in omni vita, de exteriori non potest intelligi, quam oportet intercidere somno et gaudio, gaudendo cum gaudentibus, et huiusmodi. Unde tibi solum de interiori potest intelligi, non omni, sed habituali, quia etiam interiorem actum liberi arbitrii dormientes nesessario intercidimus.

Quarta vero falsitas est, quod interior poenitentia nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes, imo dico, quod exterior sine interiori nulla est, interior autem sola potest hominem salvare. Potest tamen hoc tuum dictum verum et a Salvatore intentum habere sensum, scilicet, quod omnis interior poenitentia operatur varias carnis mortificationes exterius, id est, pro loco et tempore, id est, quando*), ubi et quomodo oportet, sed hic sensus tibi videtur impossibilis.

4) Mart. Manet itaque poena, donec manet odium sui (id est, poenitentia vera intus) scilicet usque ad introitum regni coelorum.

Sil. Si per poenam exteriorem**) mortificationem, Martine, intelligis, quid inde coniicitur; quod poenam contra odium sui, et interiorem poenitentiam dividis, intelligi non potest, nisi ut dictum est, id est, pro loco et tempore, aliter haec doctrina falsa, impossibilis et erronea est. Praeterea improprie dictum est odium sui, quantum ad vere poenitentes attinet, nullus enim imbutus gratia divina odit se, sicut nec proximum, quem ad instar sui diligit.

5) Mart. Papa non vult, nec potest ullas poenas remittere praeter eas, quas arbitrio vel suo vel canonum imposuit.

Sil. Supposito, quod ecclesia per indulgentiarum viam concedat liberationem unius animae, vel plurium a purgatorio, quod facere nequit, nisi relaxando poenam inflictam a Deo, supposito etiam, quod ecclesia faciat indulgentias plenarias simpliciter, relaxando videlicet omnem poenam, nulla ha-

---

*) In ed. Jen. deest: quando. **) Ibid. interiorem.

bita mentione de iniuncta, ita, quod tali indulgentia rite assecuta anima statim e corpore soluta evolaret, iuxta Sanctorum interpretationem, dico, Martine, quod male sentis de facto ecclesiae circa fidem aut mores, quia posito casu possibili, quod peccator teneatur ad poenam iniunctam a sacerdote, item ad iniunctam a canone, et ulterius istis non sufficienter expurgantibus, tertio teneatur ad poenam iniungendam a Deo, tali casu (secundum te) rite assequens indulgentiam plenariam, decedens statim non evolaret, etsi daretur ei indulgentia liberationis a purgatorio, si ibi esset*), non liberaretur, et ita circa factum ecclesiae male sentis, et a Sanctis dissentis. Et ideo meo iudicio ista conclusio est haeretica.

Unde et S. Thomas in quarto distin. xx. dicit, quod ista opinio, scilicet, quod indulgentiae valeant solum ad remissionem poenae iniunctae a sacerdote vel canone, est contra privilegium datum Petro, ut quod in terra remitteret, etiam in coelo remitteretur. Et praeterea secundum istam opinionem, inquit S. Thomas, ecclesia huiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret homines, quam iuvaret, quia absolvendo a poenitentiis iniunctis remitteret ad graviores, id est, purgatorias; haec S. Thomas. Cum tamen indulgentia non est plenaria, nec fit secundum aliquam partem quotam reatus, puta remittendo tertiam partem poenarum, nec conceditur liberatio alicuius animae a purgatorio, aliquem colorem habere posset ista positio, quantum ad id quod dicit, quod Papa non vult, quia communiter dicit: De iniunctis poenitentiis relaxamus; sed quia subditur: Nec potest, quoad hoc positio haeretica est, auferens aut truncans privilegium Christi ad ecclesiam.

6) Mart. Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando et approbando remissam a Deo, aut certe remittendo casus reservatos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

Sil. Etsi conclusio ista quoquo modo habeat

*) In edit. Jen.: non esset.

apparentiam in his, qui clavibus ecclesiae se contriti subiiciunt, et consequenter iustificati a culpa, in attritis tamen, qui virtute clavium (iuxta Sanctorum interpretationem) fiunt contriti, non papa modo, verum sacerdos quisque peccata dimittit dispositive et ministerialiter, id est, applicando claves et sacramenta istis, non autem ea remittunt autoritative, sed hoc excellentioris est potestatis. Unde hanc conclusionem dico falsam, et gratia disputandi substineo, quod sit haeretica, esto quod haeretici non sint eius positores.

7) Mart. Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subiiciat humiliatum in omnibus sacerdoti suo vicario.

Sil. Leprosus (spiritualiter), Martine, es, gestas enim cutem variam, et maculosam veris falsisque coloribus, dum multis falsis pauca vera commisces, verumque reddis dictum illud Bedae, Quod nulla tam falsa doctrina sit, quae aliqua vera non intermisceat.

8) Mart. Canones poenitentiales solum viventibus sunt impositi, nihilque morituris secundum eosdem debet imponi.

Sil. Dico ad hoc dictum, ut ad praecedens proxime.

9) Mart. Inde nobis benefacit spiritus sanctus in papa, excipiendo in suis decretis semper articulum mortis et necessitatis.

Sil. Recte quidem loqueris, sed quae dicis, nihil proposito attinent, cum non excipiat pontifex articulum mortis quoad impositionem poenitentiae, sed quoad reservationem absolutionis.

10) Mart. Indocte et male faciunt sacerdotes hi, qui morituris poenitentias canonicas in purgatorium reservant.

Sil. Recte doces, sed tamen, quod in aliis culpas, admittis. Cum enim doces, quod pontifex solum illas poenas donat, quae arbitrio suo vel canonum sunt iniunctae, teste divo Thoma, absolvis ab his, et ad purgatorias graviores animas adducis.

11) Mart. Zizania illa de mutanda poena ca-

nonica in poenam purgatoriam videntur certe dormientibus episcopis seminata.

Sil. Dico ut proxime.

12) Mart. Olim poenae canonicae non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta verae contritionis.

Sil. Nunc quoque nostra tempestate quando poenae sunt arbitrariae, idem in omni poenitentia servandum dico per Cle. Dudum de sep. ubi et Johan. And. nisi forte nullum sit dubium, quin poenitens poenitentiam iniungendam sit acceptaturus et expleturus.

13) Mart. Morituri per mortem omnia solvunt, et legibus canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.

Sil. Quod astruis, verum est, ubi poena ex canone tantum debetur; quod si eam, quam imponit canon, etiam divina iustitia exigat, purgatorium neges necesse est.

14. 15) Mart. Imperfecta sanitas seu caritas morituri necessario secum fert magnum timorem, tanto maiorem, quanto minor fuerit ipsa. Qui*) timor et horror satis est se solo (ut alia taceam) facere poenam purgatorii, cum sit proximus desperationis horrori.

Sil. His dictis, Martine, duas conclusiones et tres falsitates comprehendis, et quidem temere. Temeritas enim est in his, ad quae nobis naturalis ratio non suppetit, velle aliquid nostra autoritate definire, praeter et a fortiori contra ea, quae in doctrina fidei sunt, vel Sanctorum, qui eodem spiritu scripturas interpretati sunt, quo editae fuere. In his praecipue, quae fidei et morum sunt, in quibus concorditer docuere, imo non solum temerarium, sed erroneum est, ne dicam haereticum, ut ex quarto fundamento liquet.

Prima autem falsitas est, quam aperte innuis, quod hi, qui in purgatorio continentur, nesciant se salvandos, quod apertius etiam innuis infra conclu-

*) In edit. Jen.: Hic timor.

sione tua 19. Ego vero cum divo Thoma, cuius doctrina, quantum ad fidem et mores attinet, per regulam fidei ecclesiam Romanam et discussa et probata est, dico quod qui purgantur sciunt se liberandos, alioquin a nobis suffragia non expeterent, quod crebro faciunt, ut liquet ex lib. dialog. Gregorii.

Secunda vero falsitas est, quod qui purgantur timeant, praeterquam filialiter, quae enim iam sustinent in praesenti, non timent, quia timor de futuro est malo, alia autem mala, praeter ea, quae sibi inter purgandum haerent, non timent, cum sciant se ab his malis ad gloriam transituros, ut dictum est.

Tertia falsitas est, quod hic timor se solo satis sit facere poenam purgatoriam, quod utique falsum affirmo, quia nec facere potest cum non sit, nec se solo, alioquin impius esset Deus, quippe qui praeter istam sufficientem (ut astruis) poenam alias apponat, puta assistentiae daemonum, ligationis ad certum locum, dilationis optatae gloriae, et eiusmodi.

16) Mart. Videntur infernus, purgatorium et coelum differre, sicut desperatio, prope desperatio, et securitas differunt.

Sil. Hoc videtur quidem forte tibi, mihi autem cum divo Thoma videtur, quod qui purgantur habent spem certam salutis, et consequenter non sunt desperati, vel quasi sive prope desperati. Differunt autem praedicta sicut poena perpetua cum desperatione evadendi, et voluntate perpetuo adhaerendi peccato, quod inferno congruit, et sicuti poena temporalis cum spe evadendi, et voluntate adhaerendi Deo perpetuo, quod purgatorii est, et sicut privatio omnis poenae, et impletio omnis naturalis appetitus et gaudii, ut in coelo est.

17) Mart. Necessarium videtur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri caritatem.

Sil. Uno inconvenienti dato plura contingunt, apud Aristotelem. Unde posito servili timore, qui caritati adversatur, necessarium tibi fuit, Martine,

modum invenire, quo pelleretur, quod esse non potuit congruentius, quam per augmentum eius, quod timori repugnat. Ego vero Sanctorum vestigia sequens et non vocum novitates cum divo Thoma dico, quod qui purgatorium patitur, est viator secundum quid, in quantum a beatitudine retardatur, non autem simpliciter, unde in caritate non proficit, alioquin bonum esset eis diu esse in purgatorio, ut perfectiores et consummatiores evaderent.

18) Mart. Nec probatum videtur ullis auctoritatibus*) aut rationibus, quod sint extra statum meriti aut agendae caritatis.

Sil. Esto, quod ista non probentur autoritate Scripturae vel ecclesiae, quae necessario convincit (quod ad praesens nec astruo nec destruo, cum tibi repente et ex his solum, quae memoriae succurrunt, respondeam), est tamen probatum autoritate Sanctorum, quae argumentum probabile facit, tu vero eiusmodi tua autoritate firmans vide, ne praesumas.

19) Mart. Nec hoc probatum videtur, quod sint de sua beatitudine certae et securae, saltem omnes, licet nos certissimi simus.

Sil. Hoc, sicut iam dictum est, probatum est saltem probabiliter, tum ex autoritate Sanctorum, tum ex experientia, quia frequenter suffragia petunt, sicut multipliciter patet per beatum Gregorium in libro dialog.

20) Mart. Igitur papa per remissionem plenariam omnium poenarum non simpliciter omnium intelligit, sed a se ipso tantummodo impositarum.

Sil. Quid pontifex intendat vel non intendat omittens, dico, quod si de posse sit sermo, papa ex rationabili causa potest remittere omnem poenam, sive impositam sive non impositam, ut divus Thomas edocet. Oppositum autem dicere, haereticum est et contra privilegium datum Petro a Domino, ut dictum est.

21) Mart. Errant itaque indulgentiarum praedicatores**) hi, qui dicunt, per papae indulgentias hominem ab omni poena solvi et salvari.

---

*) In edit. Jen.: scripturis. **) Ibid.: commissarii.

Sil. Dico, ut supra proxime, et quod tu, Martine, vulneratum et caecatum habens oculum falsitatis trabe praegrandi alienam festucam contemplaris.

22) Mart. Papa nullam poenam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vita debuissent secundum canones solvere.

Sil. Negare potestatem papae non se extendere ad relexandum poenas in purgatorio per viam indulgentiae, est male sentire de facto et doctrina ecclesiae circa fidem aut mores, ideo haereticum est.

23) Mart. Si remissio ulla omnium omnino poenarum potest alicui dari, certum est eam non, nisi paucissimis, id est, perfectissimis dari.

Sil. Quod asseris certum, Martine, utique certum est, non quidem in veritate, ut reris, sed in falsitate. Datur enim venia non solum perfectissimis, sed etiam imperfectissimis, modo habeant gratiam Dei et caritatem, per quam sunt veniarum capaces, et servent indulgentiae tenorem, sive isti multi sint sive pauci, quod soli Deo notum est. Si tamen de multiplicitate salvandorum aut assequentium indulgentias ex coniecturis et suasivis rationibus volumus definire, dico probabiliter, et salva rei veritate, quod sunt valde multi, ad quod arguo ex fundamento theologico, scilicet, quod claves ecclesiae de attrito faciunt contritum. Unde omnis, qui cum attritione confitetur, consequitur contritionem et gratiam, et consequenter indulgentiam et salutem, si perseverat. Sunt autem valde multi, qui indulgentiarum tempore confitentur, si credunt se mortali peccato detineri, et cum attritione, id est, dolore imperfecto, qui tunc est, quando homo vellet habere dolorem et gratiam a Deo nunquam de cetero peccandi. Unde omnes tales consequuntur gratiam et consequenter indulgentiam, nisi post confessionem ante veniae acceptionem relabantur. Et si plene non efficiunt, quod mandatur, consequuntur partem proportionalem veniae, ut docet divus Thomas. Et ex eodem fundamento probabiliter teneo, quod etsi maior pars Christianorum non vivat in gratia Dei, maior tamen pars Dei gratiam

in morte consequitur confitendo cum attritione, consequenter autem etiam salvatur, si perseverat. Et quod Salvator dicit: Multos esse vocatos, sic intelligendum est dictum, quia totus mundus est vocatus.

24) Mart. Falli ob id necesse est maiorem partem populi per indifferentem illam et magnificam poenae solutae promissionem.

Sil. Non fallitur maior pars populi, si attriti confitentur, et reliqua observant, eo vel maxime declamatores crebro docent propter venias alia pia opera non esse relinquenda, cum nullus pro certo sciat, se veniam assequutum, item quia, etsi illi veniam non assequantur, pium tamen opus faciunt, quod eos in salutem disponit.

25) Mart. Qualem potestatem habet papa in purgatorium generaliter, talem habet quilibet episcopus et curatus in sua dioecoesi et parochia specialiter.

Sil. Quantum ad propositum de themate, super quo disceptamus, idem quantum ad applicationem satisfactionis unius ad alterum, est multiplex differentia inter papam in ecclesia tota, et episcopum in dioecoesi, et curatum in parochia. Harum prima est secundum illam opinionem, quae sentit indulgentias fieri ex thesauro satisfactionis Christi, non autem Sanctorum, quia iuxta eam solus papa posset indulgentias facere, sicut solus dispensat communia toti ecclesiae, cuiusmodi est dictus thesaurus. Sed quia istam opinionem falsam existimo, dico, quod alia differentia est, quia papa dispensator est thesauri infiniti, cum dispenset satisfactionem Christi, non autem alii, sed merita subditorum suorum duntaxat. Ex hac autem sequitur alia, quia solus papa facit indulgentiam plenariam, cum solus sit certus, quod thesaurus per eum dispensabilis sufficiens sit ad poenas omnes diluendas. Alia etiam est, quia papa dispensat bona, quae alii dispensant, non econtra, unde et aliorum potestatem limitat et restringit, non econtra. Utrum autem curatus indulgentias edere possit, modo non discutio.

26) Mart. Optime*) facit papa, quod non potestate clavis, quam nullam habet, sed per modum suffragii dat animabus remissionem.

Sil. Quantum ad indulgentias attinet, papa habet clavem iurisdictionis secundum Sanctos, etiam in purgatorium applicative, animas tamen a debito seu reatu poenarum non absolvit, sed eis tribuit, unde poenam vel debitum solvant, applicans et adiiciens eis satisfactionem Christi vel aliorum.

27) Mart. Hominem praedicant, qui statim ut iactus nummus in cistam tinnierit, evolare dicunt animam.

Sil. Praedicator, animam quae in purgatorio detinetur, astruens evolare in eo instanti, in quo plene factum est illud, gratia cuius plena venia datur, puta deiectus est aureus in pelvim, non hominem, sed meram et catholicam veritatem praedicat, tu vero oppositum dogmatizans, si pertinaciam addideris, vide iuxta praedicta, quid inde merearis, factum et doctrinam sanctae Romanae ecclesiae reprehendens. Nec plus est reprehensibilis declamator sic docens, quam coquus fastidienti stomacho substantiales cibos accidentalibus saporibus exacuens.

28) Mart. Certum est, nummo in cista tinniente augeri quaestum et avaritiam posse, suffragium autem ecclesiae est in arbitrio Dei solius.

Sil. Certum est etiam, Martine, istam conclusionem esse detractoriam, et viri ponentis os in coelum, nec minus certum est, erroneum et haereticum est dicere, quod exstante rationabili causa papa non potest pro voluntate plus et minus dare de suffragio unius alteri, cum Deus hoc sibi concesserit.

29) Mart. Quis scit, si omnes animae in purgatorio vellent redimi, sicut de sancto Severino et Paschali factum narratur.

Sil. Quicquid sit de somniis, propter quae nunquam a sana doctrina recedendum est, Doctor An-

*) In edit. principe, quam sequimur, legitur: Opinionem facit.

gelicus in 21. distin. 4. quaerens, An poena purgatorii sit voluntaria, et multipliciter de poena distinguens, sic concludit: Absolute nulla poena est voluntaria, quia ex hoc est ratio poenae, quod voluntati contrariatur, sed conditionate, sive ex suppositione alicuius finis poena est voluntaria, sicut vult quis pati ustionem, ut sanetur. Et hoc dupliciter contingit.

Aliquando enim per poenam aliquod bonum acquirimus, ut patet in ustione, et sic ipsa voluntas assumit poenam, ut in satisfactione patet, quae scilicet in hac vita est meritoria. Aliquando vero per poenam nullum bonum nobis accrescit, tamen sine poena ad bonum pervenire non possumus, sicut patet de morte naturali, sine qua scilicet non venitur ad regnum, et tunc voluntas poenam non assumit, sed tolerat, et quantum ad hoc voluntaria dicitur; et sic poena, inquit, purgatorii est voluntaria.

Ex quibus verbis divi Thomae patet, quod qui in purgatorio sunt, illam poenam non eligunt, sed illatam patienter tolerant, et vellent libenter ea carere, si possent. Adde, quod anima separata grata Deo nullum habet maius desiderium, quam videndi Deum, cum ad hoc omne suum velle sicut ad finem ordinetur, licet pro Dei voluntate patienter toleret; unde si cum Dei voluntate possit carere poena impediente visionem, in hoc maxime laetatur, plus quam gaudium aliquod in hoc mundo nobis possit obtingere. Dicere autem oppositum, ridiculum et stultum est.

30) Mart. Nullus securus est de veritate suae contritionis, multo minus de consequutione plenariae remissionis.

Sil. Hoc de viventibus verum est, animae vero, quae purgantur, certae sunt se Dei gratiam habere, et consequenter se indulgentias assequi, si rite conferantur, maxime plenarias, quibus statim a tormentis ad gaudia deducuntur.

31) Mart. Quam rarus est vere poenitens, tam rarus est vere indulgentias redimens, id est, rarissimus.

Sil. Esto, quod recte doceas, tamen superflue ces, cum iam idem supra virtualiter posueris, o plus, quia dixisti, non assequi nisi perfectissios, qui rariores sunt, quam veri poenitentes, cum er hos quidam sint aliis minus perfecti. Dico iam, quod vere poenitentes tot sunt, quot attriti nfitentes, cum omnes tales Dei gratiam assequan-:, nisi obicem ponant.

32) Mart. Damnabuntur in aeternum cum suis agistris, qui per literas veniarum securos sese crent de sua salute.

Sil. Qui per dictas literas sine bonis operibus tos se putant, fatui sunt, qui vero ex spirituali mmodo eiusmodi literarum concipiunt spem mes vivendi et moriendi et purgatorias poenas citius adendi, recte sentiunt, et sic docentes recte dont. Time autem tibi magis, Martine, ne vana aditione inflatus nunquam resipiscas, aeternoque reas et damneris.

33) Mart. Cavendi sunt nimis, qui dicunt venias as papae donum esse*) Dei inaestimabile, quo conciliatur homo Deo.

Sil. Cavendi sunt magis detrahentes Dei vica-), cum iniuste, tum etiam false et erronee. Qui ro dicunt (ut refers), vere dicunt, modo reconcitio illa intelligatur improprie, per amotionem reas, qui animam a Dei contemplatione clara seidebat.

34) Mart. Gratiae enim illae veniales tantum spiciunt poenas satisfactionis sacramentalis ab hoine constitutas.

Sil. Iam liquet ex dictis, quantum falsa et ernea sit ista sententia, etsi de posse pontificis aximi sermo sit; est etiam haeretica, quasi papa n possit omnem poenam per indulgentias abolere.

35) Mart. Non Christiana praedicant, qui dont, quod redempturis animas per confessionalia n sit necessaria contritio.

Sil. Nullum esse declamatorem reor, qui tam**)

---

*) In edit. Jen. additum: illud. **) Ibid.: iam.

stulte docuerit, qua vero intentione tales positiones in medium afferas, ipse videris. Si qui tamen docerent, quod non contriti non vane indulgentias prosequuntur, quia proderunt contritione, ex post facto accedente, non male docent apud complures peritos, quia sicut papa potest constitutionem facere aut inficere ut ex tunc, ita etiam posset indulgentias largiri, ut ex nunc suo tempore valituras.

36) Mart. Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a poena et a culpa, etiam sine literis veniarum sibi debitam.

Sil. Si sentis, quod omnis, cui plena remissio poenae debetur, eam assequitur, non obstante, quod veniarum literis careat, esto, quod verum doceas, tamen nihil dicis, quia Deum dare omnibus, quae eis apud ipsum debentur ex congruo, vel condigno, dubitavit nullus. Si vero sentis (ut verba tua prae se ferunt) quod sine dictis literis omnibus vere contritis debita sit plena remissio poenarum, haereticum est, et canones omnes poenitentiales evacuas et evertis, et tertiam partem sacramenti poenitentiae, id est, satisfactionem, et omnia iura loquentia de poenitentia salutari imponenda, et purgatorium, nisi forte dicas, quod poenam omnem remitti, et poenam omnem exsolvere idem sit, quod absurdum est.

37) Mart. Quilibet verus Christianus, sive vivus, sive mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi et ecclesiae, etiam sine literis veniarum, a Deo sibi datam.

Sil. In opere bono, quo reatus poenae deletur, puta ieiunio, oratione et eleemosyna, duo sunt secundum doctrinam Sanctorum. Unum est meritum, quod nullius esse potest, nisi operantis, qui solus pro opere proprio praemio donatur. Alterum est satisfactio, quae aliud a merito est, unde is, qui eleemosynam largitur pro anima parentis, sibi quidem meretur, pro amico autem satisfacit, ad abolendum poenae reatum. Quis enim ausit negare, eleemosynam horum utrique valere? Si ergo de bonis operibus Christi et ecclesiae loquaris quantum ad meritum, licet pro alterius merito nullus mune-

retur, quilibet tamen Deo gratus ex aliorum meritis aliquid boni percipit, puta protectionem Dei, sicut Deus recordatus Abrahae liberavit Lot tempore eversionis Sodomae, vel saltem ipsum gaudium, quod quisque bonus habet de bono alieno, secundum illud Psalmistae*): Participem me fac, Deus, omnium timentium te etc. Sed quia hoc participium paucis non potest plene absolvi, dimittatur. Si vero loquaris de eisdem Christi et ecclesiae operibus, gratia satisfactionis, dico cum divo Thoma, quod in absolutione a peccatis ex bonitate Dei interveniente Christi martyrio semper aliquid relaxatur de poena, non autem poena tota, alioquin plene implens iniunctum a sacerdote vel canone, etiamsi non plene satisfecerit Deo, evolaret, quod est haereticum, imo non oporteret sacerdotem quicquam imponere, nisi forte per viam medicinae ad praecavendum in posterum.

38) Mart. Remissio tamen et participatio papae nullo modo est contemnenda, quia (ut dixi) est declaratio remissionis divinae.

Sil. Sive de culpa, sive de poena intelligas, utrobique damnabiliter erras, quia et culpam relaxat dispositive et ministerialiter, et similiter poenam per venias, ut crebro iam dictum est.

39) Mart. Difficillimum est, etiam doctissimis theologis, simul extollere veniarum largitatem et contritionis veritatem coram populo.

Sil. Postquam, Martine, perverse docuisti, iam nunc detrahere incipis, et veniarum declamatoribus et pontifici consequenter. Quod autem difficile astruis, ego impossibile astruo tibi, tuique similibus, qui non es (pace tua dixerim) bonarum disciplinarum praeceptis institutus, qui duo falsa praecepta tenes, quae venias evertunt. Unum quidem, quod vera contritio aboleat omnem poenam, ut supra videris innuere, aliud, quod vera contritio poenas veniis praeeligat semper, ut sequenti conclusione patebit.

---

*) Psalm 119.

Theologi autem bene instituti facile efficiunt, quod tu difficile praedicas, dicentes, quod sicut in humanis offendens quemquam cum iactura honoris aut rerum, etsi ex bono animo offensi restituatur ad amicitiam abolita culpa, non tamen semper abolita emenda, imo nec actione iniuriarum plerumque, ita etiam et Deus abolita culpa lege communi vult, quod peccatorum emendam praestet, ut qui peccando suae voluntati plus quam debuisset indulsit aliquid contra suam naturalem voluntatem ex voluntate electiva patiatur, quod est poenas dare pro culpis.

40) Mart. Contritionis veritas poenas quaerit et amat, veniarum autem largitas relaxat et odisse facit, saltem occasione.

Sil. Haec est tua potissima ratio, quare difficile dixeris utraque posse salvare. Dico vero cum sancto Thoma, quod quamdiu poenas dare pro sceleribus est alicuius boni allativum, ut in praesenti vita, quando meritorium est, vera contritio amat poenas, ad merendum et praecavendum a peccatis, sine tamen contemptu veniarum, quia utrumque melius quam alterum; ubi vero poenae nullum bonum afferunt, sed retardant a bono gloriae, quod eis non exsolutis*) haberi nequit, poenae non assumuntur, sed tolerantur, dulcissimumque est animabus ab eis misericorditer absolvi, et ita in purgatorio est.

41) Mart. Caute sunt veniae apostolicae praedicandae, ne populus false intelligat eas praeferri ceteris bonis operibus caritatis.

Sil. Verum utique doces, sed non minus caute sunt improbandae et restringendae, in praeiudicium apostolicae facultatis, et privilegii concessi a Deo beato Petro.

42) Mart. Docendi sunt Christiani, quod papae mens non est, redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiae.

Sil. Docendi sunt etiam, quod mens pontificis est, per venias provocare fideles ad opera pietatis

---

*) In edit. Jen.: ex non solutis.

sive divini cultus et misericordiae, et quod melius est, benefacere, et venias assequi, quam horum neutrum vel alterum moliri.

43. 44) Mart. Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi aut mutuans egenti melius facit, quam si venias redimeret, quia per opus caritatis crescit caritas, et fit homo melior, sed per venias non fit melior, sed tantummodo a poena liberior.

Sil. Docendi sunt etiam, quod qui utrumque potest, melius est. Docendi sunt etiam quod per venias non fit homo melior essentialiter, fit tamen melior concomitanter, quia erogare in opus pium aut alias bonum pro assequutione veniarum meritorium est, unde ceteris paribus melius est dare eleemosynam gratia veniarum, quam gratia meriti praecise, quia ibi duo bona sunt, scilicet meritum et sublatio impedientis ac retardantis a gloria, id est, reatus poenarum, hic vero unicum est.

45) Mart. Docendi sunt Christiani, quod qui videt egenum, et neglecto eo dat pro veniis, non indulgentias papae, sed indignationem Dei sibi vendicat.

Sil. Docendi sunt etiam scriptores castigatius scribere, quam tu scribas, quia, quod scribis, non est verum, ubi quis petenti pauperi potest eleemosynam sine peccato negare, quod creberrime accidit, neque ubi negatur cum peccato quidem veniali, sed sine mortali, quia pro veniali solo non vendicat sibi homo indignationem Dei, cum gratiae et caritati veniale non repugnat, et consequenter nec amicitiae, quam ad Deum habemus.

46) Mart. Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria*) tenentur domui suae retinere, et nequaquam propter venias effundere.

Sil. Docendus es et tu sufficientius dividere, quia temporalis hominum facultas insufficienter dividitur per necessaria, quae quis domui suae tenetur retinere, quae scilicet sunt necessaria, sine qui-

---

*) In edit. principe: necessario.

bus non et superflua, sed haec est divisio sufficiens iuxta divum Thomam: Bonorum enim temporalium hominis quaedam sunt necessaria ad vitam suam, et suorum, quae dicuntur necessaria, sine quibus non, supple, vivitur, quaedam vero sunt necessaria ad vitam decentem, quae dicuntur necessaria, sine quibus non bene, et quaedam nec sic nec sic, quae dicuntur superflua simpliciter. De primo necessario nec veniae sunt redimendae, nec eleemosyna danda, nisi quis eligat mori dando pro bono reipublicae. De secundo tenentur homines eleemosynam dare solum in necessitate extrema, potest autem et debet homo dare de consilio extra dictum casum partem huius necessarii, cum indivisibile non consistat, non autem totum. Sic ergo patet, quod etiam non habens superflua potest redimere venias, ex parte eius, quod est necessarium, sine quo non bene.

47) Mart. Docendi sunt Christiani, quod redemptio veniarum est libera, non praecepta.

Sil. Docendi sunt etiam, et docere debent boni filii ecclesiae Romanae, et consequenter Dei, quod Princeps pro communi bono posset coactive exigere bona a subditis, sed pontifex Romanus utriusque potestatis apicem tenens pro fabrica basilicae sancti Petri, quae est totius Christiani populi bonum, petit quod iubere posset, et petendo muneratur ex thesauro sibi tradito.

48) Mart. Docendi sunt Christiani, quod papa, sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se devotam orationem, quam promptam pecuniam.

Sil. Imo non sunt sic docendi, quia hoc esset eos a multis bonis, quae veniarum gratia faciunt, dimovere, sed potius sunt docendi, quod omnes fideles ex debito caritatis tenentur pro summo pastore etiam sine veniis orare, et quod papa multoties dat venias, ut fideles provocet ad orandum pro se, ut semper facit in sua capella. Quando vero ultra orationes etiam pecuniis indiget, venias largitur, non gratia pecuniarum, sed eius rei, ad quam pecunia ordinatur, puta ad instaurationem

hospitalium et ecclesiarum. Et hoc cum facit, omnes, quorum interest, laetantur et gratulantur omnes, nisi quod tu, Martine, id quod in aliis ecclesiis instaurandis laudatur, in fabrica prima totius reipublicae Christianae vituperas, qui si a domino nostro habuisses bonum episcopatum cum plenaria indulgentia ad ecclesiae tuae reparationem, forte dulcioribus verbis abundasses, et quibus detrahis, venias extulisses.

49) Mart. Docendi sunt Christiani, quod veniae papae sunt utiles, si non in eis *) confidant, sed nocentissimae, si timorem Dei per eas amittant.

Sil. Docendi sunt etiam, quod confidentia veniarum ab aliis bonis operibus non retardans nihil obest, sed occasionaliter prodest, dum anima ex hoc in gratiarum actiones assurgit. Docendus etiam es tu, ut cautius observes, ne paucis verbis tibi ipsi contradicas, qui interdum venias dicis esse utiles, interdum solum signa divinae relaxationis, quae signa etiam apud te sunt fallacia, cum scribas nullum esse certum, quod relaxationem poenarum sit assecutus.

50) Mart. Docendi sunt Christiani, quod si papa nosset exactiones venialium praedicatorum, mallet basilicam beati Petri in cineres ire, quam aedificari cute, carne et ossibus ovium suarum.

Sil. Docendi sunt potius Christiani, quod tu iniuste praedicatoribus detraxeris, contra ordinem fraternae correctionis talia secreta, si qua sunt (quod vix credo), in publicum per universum orbem seminando, qui talia si noveras, debuisti fraternae correctionis normam observare, eo vel maxime, quod talis sit huius innocentissimi pontificis mens, ut nullus non inique modo, verum etiam nec indecenter operetur aut vivat.

51) Mart. Docendi sunt Christiani, quod papa, si **), sicut debet, ita vellet, etiam vendita (si opus sit) basilica sancti Petri de suis pecuniis daret illis,

*) In edit. Jen.: in eas. **) Ibid.: quod si papa.

a quorum plurimis quidam concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

Sil. Docendi non essent ista populi, quia esset contra fraternam caritatem, sed si non speratur declamantium correctio per secretam monitionem (ista enim non fiunt in ambone), docendus esset is praelatus, cuius interest, et singulariter dominus noster papa, si tamen aliqui tales sint, quod ut credam vix adduci possum, quia esto, quod declamatores forent rapaces, per vim tamen non extorquent, sponte vero nullus est adeo stultus, ut si usque adeo sit egens, ut pro eius suffragio basilica sancti Petri vendenda foret, velit pro indulgentiis pecunias effundere, unde potius credo, quod loquaris per talenta, et talia aut excogitas aut exornas.

52) Mart. Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiam si commissarius, imo papa ipse animam suam pro illis impignoraret.

Sil. Vana est ista tua conclusio, et similes, quia nullus est tam stultus, ut salutem suam talibus literis committat sine voluntate poenitendi vel statim, vel tandem, sed tu videris loqui non theologice, sed tragoedice, ad aures populorum exhauriendas, vide autem, ne divino iudicio inde exhaurias maledicta, irrisiones et censuras.

53) Mart. Hostes Christi et papae sunt hi, qui propter venias praedicandas verbum Dei in aliis ecclesiis penitus silere iubent.

Sil. Raris crebra cedere consueverunt, sic celebrius colitur annalis solennitas sanctorum, quam sabbatina Dei matris, aut pene quotidiana trinitatis. Sic ex causa Pontifex cuique declamatori pro loco et tempore indulget, ut aliis silentium indicat, quo populum habeat frequentiorem, ut inquisitori, utque ordinario, quod potest commendari. Astruere vero papae hostes esse, qui cum sua gratia et beneplacito operantur, aut etiam Dei, stultum et ridiculum est.

54) Mart. Iniuria fit verbo Dei, dum in eodem sermone aequale vel longius tempus impenditur veniis quam illi.

Sil. Dico ut supra proxime, et ulterius, quod ita loqueris, ac si publicatio veniarum cum his, quae illam comitantur declaratoria et hortatoria, non sit seminatio verbi Dei, quod nego.

55) Mart. Mens papae necessario est, quod, si veniae (quod minimum est) una campana, unis pompis et ceremoniis celebrantur, evangelium (quod maximum est) centum campanis, centum pompis, centum ceremoniis praedicetur.

Sil. Dico ut supra proxime, et ulterius, quod consimiles conclusiones non decent gravem theologum, sunt enim pueriles, et videntur esse viri stomachati, et inferentis os in coelum, et contra stimulum calcitrantis.

56) Mart. Thesauri ecclesiae, unde papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christianum *).

Sil. Non est mirum, si vulgus ista non novit, cum tu, qui cum orbe universo te disputaturum obtulisti, ista aut non intellexeris, aut fingas, ut patebit. Sunt enim isti thesauri noti et nominati, non quidem lumine nostrae rationis, sed spiritus sancti, qui per sanctos suos nos edocet, quibus tu non assentiens autoritate tua, aut tui similium alios thesauros effingis. Veniae ergo, sive indulgentiae autoritate Scripturae nobis non innotuere, sed autoritate ecclesiae Romanae, Romanorumque pontificum, quae maior est, inter quos sanctus Gregorius primus (teste divo Thoma) indulgentias dedit Romae in stationibus, ceterique sunt sequuti. Thesaurus ergo iste secundum sanctos, cum theologos, tum etiam canonistas, sunt merita Christi et sanctorum, non ea ratione, qua merita, sed qua satisfactiones.

57) Mart. Thesauros certe, unde indulgentiae dantur, non esse temporales patet, quia non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi concionatorum.

Sil. Non doces, Martine, sed detrahis, non con-

---

*) In edit. Jen.: Christi.

cionatoribus tantum, quos scis rem suam non promovere, sed innocentissimo pontifici, et quidem iniuste, quippe qui nil vellet aut inique aut etiam indecenter agi, maxime vero praetextu suae autoritatis.

58) Mart. Nec sunt isti thesauri merita Christi et sanctorum, quia haec semper sine papa operantur gratiam hominis interioris, et crucem, mortem, infernumque exterioris.

Sil. Imo secundum sanctos, tam theologos quam canonistas celebriores sunt praedicta merita Christi et sanctorum, non ea ratione, qua merita, sed qua satisfactiones Christo supervacaneae, sanctis autem superabundantes. Quarum satisfactionum valorem verum est quidem in nobis operari, et nobis applicari, sed non sic, ut plene per eas liberemur ab omni reatu, nisi in casu duplici, primo quidem, si nos per satisfactionem plenam eis coniungamur, secundo vero, si pontifex eas nobis plene per indulgentias applicet. Si aliter sentis, aberras a fide, nec indulgentiarum thesaurum intelligis.

59) Mart. Thesauros ecclesiae sanctus Laurentius dixit esse pauperes ecclesiae, sed loquutus est usu vocabuli suo tempore.

Sil. Etiam nunc latenter mordes potius quam doces*), quasi temporibus nostris pauperes non sint pontificis hominumque thesauri. Puto autem quod licet Romanus clerus a perfectione primaeva declinarit, quod non infitior, tu tamen non sis talis, qui possis irreprehensibiliter reprehendere, et qui a primaeva patrum religiositate non declinaris, quod equidem vel hinc coniicio, quia nullus sapiens est (ut reor), qui te esse detractorem iniustum non astruxerit, quamquam etiam utinam sic Romae essent bona cetera, sicut eleemosynae piae, quod, ut reliqua taceam, etiam pauperum numerus sine numero indicio sit, maxime vero in pio pontifice, qui nulli quantumvis extero aut ingrato viro scit petita denegare.

*) In edit. princ.: doceas.

60) Mart. Sine temeritate dicimus, claves ecclesiae, merito Christi donatas, esse thesaurum istum.

61) Clarum est enim, quod ad remissionem poenarum et casuum sola sufficit potestas papae.

Sil. Si cuiusquam sancti testimonium citaveris, tecum in hoc sentientis, temere te sic docuisse negabo, quod puto non facies. Et quidem fateor, ad id sufficere potestatem pontificis maximi eo modo, quo potestas regis ad arcem fabricandam, videlicet mediante thesauro, qui non sit potestas, sed materia potestatis. Cum enim ecclesia ex thesauro isto faciat indulgentias plenarias, si thesaurus iste sit claves ecclesiae, aut claves admotae peccatoribus, operabuntur cum electione, sic, quod in sacramentali poenitentia non operabuntur, quantum possunt absolvendo ab omni poena, sicut ab omni culpa, aut semper poenam totaliter abolebunt, quorum utrumque falsum est. Primum quidem, quia nullus sacerdos sic absolvendo intendit, sed intendit peccatori benefacere, quantum potest, secundo vero, quia purgatorium tollit, unde Doctor Angelicus docet per clavem remitti partem poenae, non totam. Iste ergo thesaurus materialiter est satisfactio Christi et sanctorum, effective autem est clavis iurisdictionis, qua dispensatur. Igitur potestas pontificis per clavem ordinis, omnem culpam, et per clavem iurisdictionis, cuius est indulgere, omnem poenam ex causa potest abolere.

62) Mart. Verus thesaurus ecclesiae est sacrosanctum evangelium. *)

Sil. Verum quidem, Martine, dicis, sed tamen aequivoce loqueris de thesauro, et hoc ipsum verum quod dixisti ad malum finem ordinas, ut videtur, ut etiam statim patebit.

63) Mart. Thesaurus evangelii est merito odiosissimus, quia ex primis facit novissimos.

64) Thesaurus indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex novissimis facit primos.

65) Igitur thesauri evangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros divitiarum.

---

*) In edit. Jenensi additum est: gloriae et gratiae Dei.

66) Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur divitias virorum.

Sil. Si mordere canum est proprium, vereor, ne tibi pater canis fuerit, qui ad hoc videris natus, ut mordeas, vereor*) insuper, ne propter tuam dicacitatem et illationem tui oris in coelum aliquid mali tibi contingat, nec video, quomodo venias excusandus ab anathemate ex capite multiplici, nec puto, quod vir sis mentis compositae, qui talia characteribus formanda tradideris.

67) Mart. Indulgentiae, quas concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales quoad quaestum promovendum.

Sil. Iam pontifice deserto Spiritus sancti muneribus detrahis, quasi ipsae**) indulgentiae non animae, sed bursae perutiles sint, quod blasphemiam dixerim.

68) Mart. Sunt tamen revera minimae ad gratiam Dei et crucis pietatem comparatae.

Sil. Hi, qui venias gratias maximas astruunt, nulli comparantes, excusandi veniunt per hyperbolen, tu vero, qui eas comparas gratiae Christi, vide, quonam pacto excusabere, dicens eas minimas, cum etiam sint gratiae aliae, et alia dona minora, puta ipsa bona***) fortunae, nec reor poteris aliquam excusationem praetendere, quae veniarum declamatoribus aeque non congruat, consequenter autem iniuste mordes.

69. 70) Mart. Tenentur episcopi et curati, veniarum apostolicarum commissarios cum omni reverentia admittere, sed magis tenentur omnibus oculis intendere****), ne pro commissione papae sua illi somnia praedicent.

Sil. Si tibi talia dicenti animus inesset aequus et bonus, tacendum esset, sed sicut diabolus in omni suo opere suam superbiam, ita tu quoque

---

*) Ibid.: ut vereor insuper. **) Ibid.: ipsi. ***) Ibid.: dona. ****) Ibid. additum est: omnibus auribus *advertere*.

in omni pene tua conclusione tuam malevolentiam redoles.

71) Mart. Contra veniarum apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema et maledictus.

Sil. Effigiem geris eius, qui consignare se putans, in lumen proprium impingit. Veritati enim veniarum aut ignorantia aut malitia multum detraxisti, ut liquet ex dictis.

72) Mart. Qui vere contra libidinem et licentiam verborum concionatoris veniaram curam agit, sit ille benedictus.

Sil. Sit, inquam, benedictus, si caritate, si iustitia, si pietate movetur, qui vero contra licentiosum in dicendo licentiosior est in scribendo, a Deo quidem bonus efficiatur, ab hominibus vero ad aliorum monimentum castigetur.

73. 74) Mart. Sicut papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negotii indulgentiarum quacunque arte machinantur, multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum praetextum in fraudem sanctae caritatis et veritatis machinantur.

Sil. Dominus noster papa tantae virtutis creditur, ut per suos ministros nil indecens fieri velit, an vero in eos delinquentes intendat animadvertere per anathema, ut dicis, puto nescias.

75) Mart. Opinari venias papales tantas esse, ut solvere possint hominem, etiam si quis per impossibile Dei genitricem violasset, est insanire.

Sil. Astruere, quod habens plenitudinem potestatis a papa ad venias possit absolvere a culpa in dicto casu per ordinis clavem, et a poena per clavem iurisdictionis, non est insanire, sed sane sentire, cum etiam idem posset in Judam, et in eos, qui aut virginem aut Christum interemissent, modo essent viatores. Videris autem loqui tragoedice.

76) Mart. Dicimus contra, quod veniae papales nec minimum peccatorum venialium tollere possunt, quoad culpam.

Sil. Imo tibi tollere non possunt veniale, etiam quoad poenam, quippe quoniam secundum te sunt solum signa et non causa remissionis. Quod vero

per venias culpa remittatur, praedicatorem veniarum docuisse credo nullum, quippe cum etiam rudioribus liqueat, assecutionem veniarum praeexigere culparum abolitionem, cum huius rei gratia etiam rustici sua crimina fateantur.

77) Mart. Quod dicitur, Nec si sanctus Petrus modo papa esset, maiores gratias dare posset, est blasphemia in sanctum Petrum et papam.

Sil. Etsi sanctus Petrus credatur sanctior fuisse omni post futuro pontifice et in gratiis personalibus copiosior, quantum tamen attinet ad clavem iurisdictionis et ordinis, erroneum est, ne haereticum dicam, dicere Leonem X. Petro primo minorem, et non posse de iure quaecunque ille potuit.

78) Mart. Dicimus contra, quod etiam iste, et quilibet papa maiores habet, scilicet evangelium, virtutes, gratias curationum etc. ut 1. Corinth. 12.

Sil. Timeo, ne Dei iudicium super tuum caput portes, qui per ironiam ita irrisorie loqueris universo orbi de tanto pontifice. Utinam autem tibi sint illae virtutes, quae in domino nostro praedicantur.

79) Mart. Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam cruci Christi aequivalere, blasphemia est.

Sil. Tibi non credere quoniam iam coepi, neque hoc puto ab aliquo veniarum declamatore praedicatum ita nude, ut recitas, quamquam quaelibet crux in qualibet materia aeque repraesentet imaginem Christi, et aeque adoranda sit, seclusa ratione contatus, de qua ad praesens brevitatis gratia supersedeo.

80) Mart. Rationem reddent episcopi, curati et theologi, qui tales sermones in populum licere sinunt.

Sil. Videris, Martine, velle te per haec iustificare, quasi recte feceris, detrahendo veniis contra praeceptum domini nostri papae, et detrahendo veniarum concionatoribus, et pontifici contra praeceptum Dei, sed nequaquam propterea, quod theologus *sis*, venis in praedictis excusandus, sed arguendus,

plectendus, et ad omnem haeresim abiurandam cogendus.

81) Mart. Facit haec licentiosa veniarum praedicatio, ut nec reverentiam papae facile sit etiam doctis viris redimere a calumniis, aut certe argutis quaestionibus laicorum.

Sil. Pulchre sub colore excessuum eorum, qui declamant, iterum impingere vis pontificem, quaestionis secularibus ascribens, sed age, en reverentia et amor ad pontificem docebit me solvere insolubilia tua, incipe:

82) Mart. Scilicet cur papa non evacuat purgatorium propter sanctissimam caritatem et summam animarum necessitatem, ut causam omnium iustissimam, si*) infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram basilicae, ut causam levissimam.

Sil. Deus, qui tanquam agens supremum, omnia vertit ac dirigit in finem postremum, unde et omnes homines vult salvos fieri, nulli voluit gratiam, qua in finem illum dirigatur et salvetur, elargiri, nisi ex parte eius, qui gratiam erat accepturus, esset praeparatio quaedam, et meritum congruitatis, quem apparatum qui habere nequeunt, ut infantes, his vult suffragari per alios. Christus quoque qui pro nobis infinitae satisfactionis passionem tulit, non vult illam nobis suffragari, nisi nos per nostram satisfactionem insufficientem eius satisfactioni sufficienti et superabundanti iungamur. Cum ergo Deus post poenam animae ex contritione et clavibus misericorditer abolitam**) ex sua simul misericordia et iustitia talem animam addixerit tali poenae exsolvendae, puta annorum centum, qua ratione debet pontifex totam illam poenam, vel etiam partem relaxare cum tanto praeiudicio iustitiae divinae, nisi ex parte talis animae aliquod meritum afferatur, puta eleemosyna, aut ieiunium, aut oratio a se, aut ab alio pro se oblatum? Inde est, quod clamant

---

*) In edit. Jen. deest: si. **) Ibid.: obolitam.

omnes sancti, cum theologi, tum canonistae, in veniarum largitione causam aliquam oportere intervenire, quae causa est, quicquid est in Dei gloriam, vel promotionem boni communis, et huiusmodi. Patuerit ergo cur papa purgatorium non evacuat, quia videlicet non subest rationabilis causa relaxandi rigorem iustitiae divinae in omnibus animabus purgatorii. Quae si subesset, utique posset illud evacuare, puta si daretur plena indulgentia, etiam defunctis porrigentibus adiutrices manus ad expeditionem in Turcas, et quaelibet anima purgatorii amicum haberet, sibi debite et complete suffragantem. Caritas autem pontificis et necessitas animarum non est ratio efficax sic relaxandi iustitiam divinam, quam Deus talis necessitatis conscius et infinitae caritatis ac misericordiae visceribus plenus sanxit et inviolabiliter servat. Age nunc, Martine, et alia quaesita multiplica.

83) Mart. Cur permanent exsequiae et anniversaria defunctorum, et non reddit aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum iam sit iniuria pro redemptis orare.

Sil. Duae huius causae sunt. Prima quidem, quod incertum sit, an is, qui porrigit manus adiutrices, ut animae cuipiam plenam veniam obtineat, secundum propriam facultatem porrexerit, quod necesse est; potest enim aliquando porrigere nimium parce, quo casu anima non assequitur indulgentiam plenam, sed secundum proportionem exhibiti ad id totum, quod fuerat exhibendum, ut docuit divus Thomas. Alia vero causa est, quia, etsi suffragia non prosint iam redemptis, aliis tamen prosunt, et hoc ipsum morituri intendebant, qui sibi anniversaria perpetua ordinarunt, cum non sit verisimile, quod crederent se in purgatorio perpetuo futuros, donec coeli cum terra movendi forent.

84) Mart. Item, quae nova illa pietas Dei et papae, quod impio et inimico propter pecuniam concedunt animam piam et amicam Dei redimere, et tamen propter necessitatem ipsiusmet piae et dilectae animae non redimunt eam gratuita caritate.

Sil. Quae est ista nova ignorantia tua (ut cum stomacho loquar), ut putes, quod Deus infinita caritate sua (iustitia sic exigente) animam conscius in tali necessitate constituerit, et deinde nulla facta mutatione ex parte Dei vel animae debeat eam ex tali necessitate educere? Interveniat ergo causa aliqua necesse est, ut clamant sancti universi, si Dei iustitia aut relaxanda penitus, aut certe mitiganda est, quae causa non ex parte Dei (invariabilis enim est), sed ex parte animae pensanda est.

85) Mart. Item, cur canones poenitentiales re ipsa, et non usu*) in semet abrogati et mortui, adhuc tamen pecuniis redimuntur per concessionem indulgentiarum tanquam vivacissimi.

Sil. Visis conclusionibus tuis, Martine, doctus mihi primo aspectu visus es, dicta vero tua exactius perscrutanti mihi videris satis grossus, quippe qui non videas, quod, licet canones eiusmodi quoad id sint abrogati, quod secundum illos poenitentiae non sunt necessario imponendae peccatoribus, cum hodie sint omnes arbitrariae, non tamen abrogati sunt quantum ad hoc, ut reatus ad poenam iuxta eos taxandam non maneat, nisi forte alicubi divinae iustitiae mensuram excedant plus iusto imponentes, et quantum ad istum reatum poenae viventem et ligantem redimuntur. Unde tibi pro regula observandum est, quod ecclesia Romana sicut in dicto, ita et in facto suo non fallitur in fide, aut moribus, alioqui a via salutis aberras.

86) Mart. Item, cur papa, cuius opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium struit unam tantum basilicam sancti Petri?**)

Sil. Ubi multae divitiae, ibi (divina scriptura teste) multi sunt, qui comedunt illas, et forte S. Dominus noster pro suo gradu et maiestate est pauperior te, cui si census esset exiguus, forte non

---

*) In edit. Jen. additum est: iam diu. **) Ibid.: unam basilicam S. Petri tantummodo.

vacaret ista conscribere. Quid vero latenter reprehendis ex laicorum persona pontificem, qui pecunias excipiat a sponte offerentibus, qui pro hoc communi et quidem celeberrimo bono iuste tanquam summus in mundo gemina potestate rex imperare eas et indicere posset?

87) Mart. Item, quid remittit aut participat papa iis, qui per contritionem perfectam ius habent plenariae remissionis et participationis.

Sil. Si quis tanta contritione torquetur, ut omnium peccatorum suorum reatum aboleat, huic papa nihil poenarum remittit, sed si reris omnes contritos esse eiusmodi, evertis purgatorium, et non modo haereticus, verum haeresiarcha es, quantum ego sentio, qui hactenus nullum relegerim ista nefanda docuisse.

88) Mart. Item, quid adderetur ecclesiae boni maioris, si papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones et participationes tribueret?

Sil. Duo bona addicerentur *), unum, quod necesse esset fideles toties repetere causam, gratia cuius dantur veniae, puta eleemosynam, aut orationem; aliud, quia remitteretur omnis novus poenarum reatus, si quis post veniam incidisset.

89) Mart. Ex quo papa salutem quaerit animarum per venias magis, quam pecunias, cur suspendit venias et literas iam olim concessas, cum sint aeque efficaces?

Sil. Ideo facit, ut sicut olim praedecessores sui venias dederunt pro structuris minoris momenti, et quae iam forte vel ex toto, vel ex parte expletae sunt, ita ipse pro ista structura largiatur omnium praeclara et in hanc fidelium pia vota colligantur.

90) Mart. Haec scrupulosissima laicorum argumenta sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est ecclesiam et papam hostibus ridendos exponere et infelices Christianos facere.

Sil. Ecclesia Romana, quae in Romano ponti-

*) In edit. Jen.; adiicerentur.

fice virtualiter inclusa est, temporalis et spiritualis potestatis summum in papa apicem tenet, et seculari brachio (prout iura decernunt) potest eos, qui fide primo suscepta, deinde male sentiunt, compescere, nec tenetur rationibus certare ad vincendos protervientes: etsi*) maxime veritas in aperto est, ego tamen volo tecum rationibus agere et experiri, quid scribendo possis, hostes autem se irridentes et corporales et spirituales solet ecclesia ad nihilum (deo iuvante) deducere.

91) Mart. Si ergo veniae secundum spiritum et mentem papae praedicarentur, facile omnia illa solverentur, imo non essent.

Sil. Si mens pontificis esset illa, quam tu scripsisti, esset mens male docta, et longe a veritate aberrans, ut patuit et clarius patebit, cum iam non conclusionibus, sed argotizationibus agemus.

92) Mart. Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per poenas, mortes, infernosque sequi studeant, ac sic magis per multas tribulationes intrare coelum, quam pro securitate pacis**) confidant.

Sil. Exhortandi etiam sunt, ut caveant a doctrina tua tuique similium, quae nec sana, nec caritativa est, sed detractoria et sugillativa. Tribulationes vero in hac quidem vita a viris perfectis eliguntur, quando sunt alicuius boni allativae, in futuro autem secus, ut supra ex divo Thoma deductum est. Haec ergo sunt, Martine, quae ad conclusiones tuas respondenda occurrerunt, posthabitis in fine quibusdam vanis, quae loqueris. Eia, nunc age, aut improba mea, aut tua proba. Ego quoque imposterum itidem faciam. Et ut latior tibi campus certaminis adsit, etiam ea, quae in Silvestrina scripsi, sustinenda propono.***)

---

*) In edit. princ. legitur: nisi. **) In ed. Jen.: per securitatem pacis. ***) Ibid. additum: Finis.

Disputationes D. M. Lutheri.

1518.

Pro veritate inquirenda et timoratis[1]) conscientiis consolandis haec sub R. P. Martino Luthero Augustiniano disputabuntur, per vices circulares, pro nostro more.

Haec disputatio circularis anno 1518 instituta, quae cum dogmatibus, in quibus imprimis doctrinae christianae restauratio vertitur, arctissime cohaeret, legitur latine in collect. Opp. Luth. Jen. I, p. 25. Wittenb. I, 53. (Loesch. Reform. Act. II, 580 sqq.) et in editionibus Propositionum theologicarum Lutheri, germanice in ed. Halensi p. 133, in Lips. XVII, p. 155, ap. Walch. XIX, 952 sqq.

Nos textum repetivimus ex editione Propositionum Lutheri a. 1530, ratione habita editionum a. 1538 et 1558.

1) Inter duas ecclesiasticas illas remissiones poenae et culpae praecellit remissio culpae.

2) Remissio culpae quietat cor, et maximam omnium poenarum scilicet conscientiam peccati tollit.

3) Remissio poenae quandoque auget conscientiam malam, quandoque peiorem nutrit praesumptionem.

4) Remissio culpae reconciliat hominem Deo,

---

1) In ed. 1558: oneratis.

remissio poenae reconciliat hominem homini, id est ecclesiae.

5) Remissa culpa et conscientia nulla poena est in poena, sed gaudium in tribulationibus.

6) Sine remissione poenae potest homo salvus fieri, sed nequaquam sine remissione culpae.

7) Magis prodest ad salutem, si absolutus a culpa omittat redemptionem poenarum.

8) Remissio culpae non innititur contritioni peccatoris, nec officio aut potestati sacerdotis.

9) Innititur potius fidei[1]), id est, quae est in verbum Christi dicentis, Quodcunque solveris etc.

10) Verum est enim, quod non sacramentum fidei, sed fides sacramenti, id est, non quia fit, sed quia creditur, iustificat.

11) Non voluit Christus in manu vel arbitrio hominis consistere salutem hominum.

12) Sed sicut scriptum est: Portans omnia verbo virtutis suae, et: Fide purificans corda eorum.

13) Usque ad infidelitatem errant, qui remissionem culpae incertam asserunt, propter incertitudinem contritionis.

14) Quantumlibet incertus sit tam sacerdos, quam peccator de contritione, rata est absolutio; si credit sese absolutum.

15) Certum est ergo, remissa esse peccata, si credis remissa, quia certa est Christi salvatoris promissio.

16) Absolutus per clavem potius debet mori, et omnem creaturam negare, quam de sua absolutione dubitare.

17) Dubitans absolutionem suam Deo gratam esse, dubitat simul Christum fuisse veracem dicendo, Quodcunque etc.

18) Super contritionem aedificantes remissionem super arenam, id est, super opus hominis, fidem Dei aedificant.

19) Iniuria est sacramenti, et desperationis

---

1) In ed. 1530: fide.

machina, non credere absolutionem, donec certa sit contritio.

20) Imo sic velle fiduciam conscientiae aedificare super contritionem, est Deum mendacem, se veracem constituere.

21) Tales non de misericordia et verbo Christi, sed de suis operibus et viribus perditissime praesumunt.

22) Imo perversissime volunt verbum et fidem firmare ipsi, et non potius firmari verbo et fide.

23) Sacerdotes non sunt autores remissionis, sed ministratores verbi in[1]) fidem remissionis.

24) Potestas clavium operatur verbo et mandato Dei firmum et infallibile opus, nisi sis dolosus.

25) Evidentia contritionis signa satis habet sacerdos, si peccatorem sentit petere et credere absolutionem.

26) Imo longe magis exquirendum est ab eo, an credat sese absolvi, quam an digne doleat.

27) Cavendum quoque sacerdoti, ne adeo exploret solam contritionem, ut homo credat propter ipsam sese absolvendum.

28) Illud Christi potius est inculcandum ei: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, quam dignitas eius exquirenda.

29) Consequens est, quod verbum illud Christi: Quorum remiseritis peccata etc. non de poenis, sed culpa intelligitur.

30) Sicut sacerdos docet, baptisat[2]), communicat vere, et tamen haec solius sunt spiritus intus operantis,

31) Ita vere peccata remittit, et absolvit a culpa, et tamen hoc solius est spiritus intus operantis.

32) In iis omnibus, dum ministrat verbum Christi, simul fidem exercet, qua intus iustificatur peccator.

---

1) In ed. 1538 et 1558 legitur: ad. 2) Ibid. ubique scribitur: baptizat etc.

33) Nihil enim iustificat, nisi sola fides Christi, ad quam necessaria est verbi per sacerdotem ministratio.

34) Sine qua fide contritio peccatorum est desperationis operatio, et plus Deum offendens quam reconcilians.

35) Potest sacerdos abuti clave et peccare, absolvendo quem non debuit, utpote restrictus.

36) Sed non ideo absolutio est nulla, nisi fides simul absoluti esset nulla.

37) Sicut in baptismo et synaxi, etiam restricta clavis et probibita, vere baptisat et communicat,

38) Ita in poenitentia, quantumlibet probibita, vere absolvit, modo absit dolus absoluti.

39) Sacerdos etiam levis ac ludens, seu scienter contra restrictionem agens, vere tamen baptisat et absolvit.

40) Finge casum per impossibile, sit absolvendus non contritus, credens tamen sese absolvi, hic est vere absolutus.

41) Nec potest hic obstare ulla reservatio casuum aut restrictio, si tamen fuerit et manserit ignorata.

42) Sacramenta novae legis non sic sunt efficacia gratiae signa, quod satis sit in percipiendis non ponere obicem.

43) Quin, qui[1]) sine fide ad quodcunque accedit, ficte, ac per hoc in iudicium suum accedit.

44) Sacramenta veteris legis et novae sic differunt, quod illa erant carnis, ista vero sunt spiritus iustificationes.

45) In novis adest, in veteribus defuit verbum promittens, ideoque et fides recipientis remissionem,

46) Sicut venialia peccata non pertinent ad confessionem et absolutionem clavium, ita nec omnia mortalia.

47) Si homo teneretur omnia mortalia confiteri, et ab eis absolvi, teneretur ad simpliciter impossibile.

---

1) In ed. 1558: Quisquis.

48) Nullus hominum novit, quoties peccet mortaliter, etiam in bonis operibus, propter vanam gloriam.

49) Ea tantum debet confiteri, quae vel sibi vel aliis certa sunt esse mortalia, id est, crimina.

50) De reliquis desperando, se ipsum cum fiducia in abyssum misericordiae Dei fideliter promittentis proiicere.

Summa summarum:

Justus non ex operibus, neque ex lege, sed ex fide vivet, Rom. 1.

Disputatio D. Martini Lutheri de circumcisione.

(1518.)

Haec disputatio, P. Lombardi de circumcisione opinionibus opposita, in ed. Propositionum Lutheri a. 1530 adnumeratur anno 1520, post disputationem Heidelbergensem ponitur, ibique haec leguntur subscripta: D. Marti. Luth. M. D. XX; in edit. a. 1558 autem verba subscripta leguntur nulla et disputatio ipsa interseritur inter superiorem, quae incipit: Inter duas ecclesiasticas illas remissiones etc., et sequentem, cuius exordium hoc est: Diffidentes nobis ipsis prorsus etc.; in ed. denique a. 1538 distinctis signis adnumeratur anno M. D. XVIII et ponitur post disputationem Heidelbergensem. Nos secuti loci ordinem, qui est in collectionibus Opp. Luth., et Wittenb. et Jenensi, huius disputationis textum repetivimus ex ed. Propositionum Luth. a. 1530, ratione habita editionum a. 1538 et 1558.

Latine legitur haec disputatio in ed. Jen. I, p. 26. Wittenb. I, 58; germanice in ed. Halensi p. 135., Lipsiensi XVII, 191, ap. Walch. XIX, 1720 sq.

1) Circumcisionem valuisse in remissionem peccati originalis, propter institutioem Dei et fidem *Abrahae* in Christum, libenter concedimus.

2) Circumcisio sine fide vel propria vel aliena adeo non profuit, ut nec Abrahae principi eius sine fide profuisset.

3) Rectius per fidem circumcisio, sicut et omnia, profuisse dicitur, non autem fides per circumcisionem, aut ullum aliud opus.

4) Consentaneum est, feminas in lege sine circumcisione per fidem Abrahae circumcisi fuisse iustificatas.

5) Et parvulos eiusdem pacti fide aliena, non autem propria circumcisione fuisse iustificatos.

6) Non ergo circumcisio aliquid valuit, sed communicatio fidei Abrahae in Christum sibi promissum iustificavit.

7) Circumcisio fuit signum seu monitorium, quod accipiens ad fidem Abrahae in Christum futurum, spiritu sancto exercebatur.

8) Idem signum erat ante Legem patribus, sive in oblationibus, sive orationibus.

9) Non ergo virtute sacrificiorum, ut Magister ait, quam intelligebant spiritualiter, sunt iustificati, nisi intelligentiam istam dicas fuisse fidem Christi futuri.

D. Mart. Luth. M D. XX.

Lutheri disputatio

Heidelbergae habita

a. 1518. VI. Cal. Maii.

et

Probationes Conclusionum,

quae in capitulo Heidelbergensi disputatae sunt anno salutis nostrae 1518. VI. Cal. Maii.

Quae causa fuerit Disputationis Heidelbergensis et quomodo illa instituta sit, luculentissime con-

scripsit Henr. Altingius in Historia ecclesiastica de Ecclesiis Palatinis (cf. Seckendorfii Hist. Luth. lib. I §. 13 p. 29). Is haec narrat: „Lutherus, qui a. 1517 adsertione ac defensione thematum XCV contra indulgentias papales implacabile bellum indixit sedi et ecclesiae romanae et reformationi per Germaniam causam dedit, anno sequente Heidelbergam licet alio fine venit, istic quoque initium pii operis facturus. Erat Lutherus monachus Augustinianus, ordini illi initiatus et in eo celebris, cuius cucullum nondum deposuerat. Cum igitur conventus Augustinianorum indiceretur Heidelbergae anno 1518 negotii alicuius causa, quod eum Ordinem spectabat, etsi dissuaderent profectionem amici ob pericula, quae in itinere facile ipsi possent obtingere, ipse tamen perstitit in proposito, obedientiae Ordini debitae satisfacturus, atque eo se contulit (Luth. Epp. ed. Aurif. I. p. 54. de Wette I, p. 98). Delatus fuit Heidelbergam mense Aprili anni eiusdem et honorifice exceptus a Wolfgango Principe, Electoris Palatini fratre, discipulo Johannis Oecolampadii, a quo cum aliis fratribus minoribus bonis literis et pietate imbutus fuerat, hospitium autem ei assignatum in claustro Augustinianorum, quod postea Sapientiae collegium appellatum est. Dum istic moratur, et quae Ordinis erant tractat, ipse actus zelo propagandae veritatis conscripsit et proposuit conclusiones (paradoxa vocat ipse) mixti generis quadraginta, ex Theologia XXVIII, et XII ex Philosophia, quibus taxavit Romanae Ecclesiae errores receptos, de libero arbitrio post peccatum, de gratia, fide, iustificatione, operibus bonis, inprimis autem de iustificatione per fidem absque operibus doctrinam Pauli et Augustini repraesentare ac demonstratam dare voluit. Respondentem sibi delegit Leonhardum Bejerum, eiusdem ordinis monachum, et themata pro more affixa publice die 26. Aprilis in disceptationem vocavit; sed apud Augustinianos, et in acroaterio illorum, non in Academia, quod Professores Theologi non satis probarent disputationem, et tamen in Augustinianos

nullam omnino Academia iurisdictionem habeuret. Quandoquidem autem hoc est principium eorum, quae deinde successerunt, operae pretium erit illa paradoxa recensere, prout tunc proposita et in Tomis Lutheri relata fuerunt. (Theses, quas inseruit, praetermittere visum est, cum in Tomis allegato loco habeantur.) Haec igitur themata seu paradoxa tum proposita fuerunt. Factus autem est magnus ad disputationem concursus, non tantum studiosorum, sed etiam civium et aulicorum, atque omnium Theologorum Heidelbergae tum docentium: ac disputarunt non solum monachi eruditi, verum etiam Professores Theologi, qui illo tempore erant, Marcus Ries, Laurentius Wolfius, Johannes Hosserus, Petrus Scheibenhardt, Georgius Niger. Disputatum acute et graviter, nec minus modeste, ipsomet Luthero teste in epistola ac Spalatinum (cf. Luth. Epist. ed. Aurif. I, p. 62 sqq. de Wette I, p. 110 sqq.), nisi quod quintus et iunior Theologiae doctor lineas has transibat, qui in fervore disputationis risum movit toti auditorio, cum iactitaret: si rustici haec audirent, certe lapidibus nos obruerent et interficerent. Ex auditoribus etiam aderant Martinus Bucerus, Johannes Brentius, Erhardus Snepfius, Theobaldus Billicanus, et alii magni post nominis Theologi, qui mirati acumen, promtitudinem et mansuetudinem Lutheri, a disputatione privatim eum adierunt, et de nonnullis, quae non satis assecuti erant, plenius erudiri voluerunt. Prae ceteris Martinus Bucerus, qui iam discentium ordine exemtus, commendatione Francisci a Sickingen, Friderico Palatino Heidelbergae a sacris erat, id sibi faciendum esse putavit, et cum, qua valebat scribendi celeritate, pleraque Lutheri notasset, operosius cum ipso egit, et multa ex ipso est sciscitatus, de quibus respondit aperte, ac plene satisfecit: quae responsa quoque Bucerus in sua adversaria retulit. — Sed ipse Lutherus easdem conclusiones peculiari scripto confirmavit et obscura illustravit, et a cavillis adversariorum vindicavit, quod exstat tomo primo operum Lutheri latinorum". (Cf. Walchii introduct. in

T. XVIII p. 15 sqq. Loescheri Reform. Act. T. II p. 40 sqq.)

Separata propositionum Heidelbergensium editio nobis non innotuit neque ab ullo scriptore indicatur; theses ipsae, et theologicae et philosophicae, latine leguntur in ed. Jen. Opp. Luth. Latinorum I, p. 26 sqq., Wittenb. I, p. 54 sq. et in collectionibus Propositionum Lutheri omnibus. Probationes, quas Lutherus ex more illorum temporum in propositiones Heidelbergenses, quippe quae plurimis maioris momenti esse viderentur, conscripsit, tantummodo theologicas tractant theses atque in ed. Opp. Luth. lat. Jen. I, p. 27 sqq. et Wittenb. I, p. 141 sqq. leguntur, in collectionibus Propositionum Lutheri non item. Germanice leguntur et Propositiones et Probationes earum in Edit. Halensi T. I, p. 120 sqq., in Lipsiensi T. XVII p. 146, ap. Walch. XVIII, 57 sqq. Lutherum philosophicas quoque propositiones illustrasse, non satis liquet. D. Buddeus in Supplementis suis Epist. Luth. p. 297 ex codice MSo, qui in bibliotheca Jenensi servatur, resolutiones duarum conclusionum edidit, quas Lutherus, quod magis theologicae quam philosophicae essent, ipse confecisse dicitur. In reliquas conclusiones philosophicas in bibliotheca Gothensi resolutiones manu scriptae inveniri dicuntur, quas M. Stifelium conscripsisse opinari licet (cf. Walchii introd. in T. XVIII p. 16 sq. et Loescheri Reform. Act. II p. 59.)

Nos Disputationis Heidelbergensis textum recudendum curavimus secundum editionem Propositionum L. a. 1530, ratione habita editionum a. 1538 et 1558; Probationum, quarum editionem originalem investigare non potuimus, textum repetivimus ex ed. Opp. lat. Luth. Jenensi ratione habita textus, quem Loescher in Reform. Actis T. II p. 47 reddidit. Sub finem adiecimus Resolutiones duarum conclusionum in disput. Heidelberg. D. Martini Lutheri, quas primus Buddeus in Supplem. Epp. Luth. p. 297 edidit.

F. Martinus Lutherus

S. Theologiae Magister Praesidebit, F. Leonardus Beier artium et philosophiae Magister respondebit, apud Augustinianos huius inclytae civitatis Heidelbergensis, loco solito, VI. Cal. Maii

A. M. D. XVIII[1]).

Ex Theologia.

Diffidentes nobis ipsis prorsus, iuxta illud spiritus consilium: Ne innitaris prudentiae tuae, humiliter offerimus omnium, qui adesse voluerint, iudicio haec theologica paradoxa, ut vel sic appareat, bene an male elicita sint ex divo Paulo, vase et organo Christi electissimo, deinde et ex S. Augustino interprete eiusdem fidelissimo.

1) Lex Dei saluberrima vitae doctrina non potest hominem ad iustitiam promovere, sed magis obest.

2) Multo minus opera hominum, naturalis dictaminis auxilio, frequenter, ut dicitur, iterata possunt promovere.

3) Opera hominum, ut semper sint speciosa bonaque videantur, probabile tamen est ea esse peccata mortalia.

4) Opera Dei, ut semper sint deformia malaque videantur, vere tamen sunt merita immortalia.

5) Non sic sunt opera hominum mortalia, de bonis, ut apparent, loquimur, ut eadem sint crimina.

6) Non sic sunt opera Dei merita, de iis,

---

1) In ed. Propositionum L. 1530 haec inscriptio non legitur, sed in fine haec subscripta inveniuntur: F. Martinus Luther S. T. Magister praesidebit, F. Leonardus Bayer artium et philosophiae Magister respondebit. MDXVIII; in ed. 1538 haec inscriptio omnino deest et ne in fine quidem quidquam additum legitur, ex quo coniici possit, ubi et quando de his propositionibus disputatum sit; in ed. 1558 inscriptio est, qualis supra.

quae per hominem fiunt, loquimur, ut eadem non sint peccata.

7) Iustorum opera essent mortalia, nisi pio Dei timore ab ipsismet iustis ut mortalia timerentur.

8) Multo magis hominum opera sunt mortalia, cum et sine timore fiant, in mera et mala securitate.

9) Dicere, quod opera sine Christo sint quidem mortua, sed non mortalia, videtur periculosa timoris Dei remissio.

10) Imo difficillimum est intelligere, quonam modo sit opus mortuum, nec tamen noxium mortaleve peccatum.

11) Non potest vitari praesumptio, nec adesse vera spes, nisi in omni opere timeatur iudicium damnationis.

12) Tunc vere sunt peccata apud Deum venialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia.

13) Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

14) Liberum arbitrium post peccatum potest in bonum potentia subiectiva, in malum vero activa semper.

15) Nec in statu innocentiae potuit stare activa, sed subiectiva potentia, nedum in bonum proficere.

16) Homo putans se ad gratiam velle pervenire faciendo, quod est in se, peccatum addit peccato, ut duplo reus fiat.

17) Nec sic dicere est desperandi causam dare, sed humiliandi, et quaerendae gratiae Christi studium excitare.

18) Certum est, hominem de se penitus oportere desperare, ut aptus fiat ad consequendam gratiam Christi.

19) Non ille digne theologus dicitur, qui invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspicit.

20) Sed qui visibilia et posteriora Dei per passiones et crucem conspecta intelligit.

21) Theologus gloriae dicit malum bonum, et bonum malum, theologus crucis dicit id quod res est.

22) Sapientia illa, quae invisibilia Dei ex operibus intellecta conspicit, omnino inflat, excaecat et indurat.

23) Et lex iram Dei operatur, occidit, maledicit, reum facit, iudicat, damnat, quicquid non est in Christo.

24) Non tamen sapientia illa mala, nec lex fugienda, sed homo sine theologia crucis optimis pessime abutitur.

25) Non ille iustus est, qui multum operatur, sed qui sine opere multum credit in Christum.

26) Lex dicit, Fac hoc, et nunquam fit, gratia dicit, Credo in hunc, et iam facta sunt omnia.

27) Recte opus Christi diceretur[1]) operans, et nostrum operatum, ac sic operatum placere Deo gratia operis operantis.

28) Amor Dei non invenit, sed creat suum diligibile, amor hominis fit a suo diligibili.

Ex Philosophia.

29) Qui sine periculo volet in Aristotele philosophari, necesse est, ut ante bene stultificetur in Christo.

30) Sicut libidinis malo non utitur bene, nisi coniugatus, ita nemo philosophatur bene, nisi stultus, id est, Christianus.

31) Facile fuit Aristoteli mundum aeternum opinari, quando anima humana mortalis est eius sententia.

32) Postquam receptum est, tot esse formas substantiales, quot composita, necessario et tot esse materias fuerat recipiendum.

33) Ex nulla re mundi aliquid fit necessario, ex materia tamen necessario fit, quicquid fit naturaliter.

34) Si Aristoteles absolutam cognovisset po-

---

1) In ed. 1538: dicerentur.

tentiam Dei, adhuc impossibile asseruisset materiam stare nudam.

35) Infinitum actu nullum est, potentia tamen et materia tot sunt, quot in rebus composita, iuxta Aristotelem.

36) Aristoteles male reprehendit ac ridet Platonicarum idearum meliorem sua philosophiam.

37) Imitatio numerorum in rebus ingeniose asseritur a Pythagora, sed ingeniosius participatio idearum a Platone.

38) Disputatio Aristotelis adversus unum illud Parmenidis verberat, Christiano venia sit, aera pugnis.

39) Si Anaxagoras infinitum forma posuit, ut videtur, optimus philosophorum fuit invito etiam Aristotele.

40) Apud Aristotelem videtur[1]) idem esse privatio, materia, forma, mobile, immobile, actus, potentia etc.

Probationes Conclusionum,

quae in Capitulo Heidelbergensi disputatae sunt, Anno salutis nostrae M. D. XVIII. VI. Calendas Maii.

Conclusio I.

Lex Dei saluberrima vitae doctrina non potest hominem ad iustitiam promovere, sed magis obest.

Patet per Apostolum ad Romanos 3: Sine Lege iustitia Dei manifestata est. Quod B. Augustinus libro de spiritu et litera exponit: Sine Lege, scilicet adiuvante. Et Roma. 5: Lex subintravit, ut peccatum abundaret, et 7: Cum venisset mandatum, revixit peccatum, unde capite 8 appellat Legem legem mortis et legem peccati; imo 2. Co-

1) In ed. 1538 et 1558: videntur.

rinth. 3: Litera occidit. Quod B. Augustinus per totum Librum de spiritu et litera intelligit de qualibet etiam sanctissima lege Dei.

II.

Multo minus opera hominum, naturalis dictaminis auxilio frequenter (ut dicitur) iterata, possunt promovere.

Quia cum lex Dei sancta et immaculata, vera, iusta etc. homini sit in auxilium a Deo data, ultra vires suas naturales, ut illuminet ac moneat[1]) ad bonum, et tamen contrarium fit, ut magis fiat malus, quomodo suis relictus viribus sine tali auxilio ad bonum potest promoveri? Minus facit ex suo proprio, qui non facit bonum alterius auxilio. Unde Apostolus ad Rom. 3: Omnes homines corruptos et inutiles, nec Deum intelligentes, nec requirentes, sed omnes dicit declinantes.

III.

Opera hominum, ut semper speciosa sint, bonaque videantur, probabile tamen est, ea esse peccata mortalia.

Opera hominum videntur speciosa, sed intus sunt foeda, ut Christus de Pharisaeis Matth. 23 dicit. Videntur enim sibi et aliis bona et pulchra, sed Deus est, qui non iudicat secundum faciem, sed scrutatur renes et corda.*) At sine gratia et fide impossibile est mundum haberi cor, Acto. 15: Fide purificans corda eorum.

Probatur itaque Conclusio, Si ópera hominum iustorum sunt peccata, ut Conclusio 7 dicit, multo magis hominum nondum iustorum. At iusti pro suis operibus dicunt**): Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item Apostolus Galat. 3: Qui sunt ex operibus Legis, sub maledicto sunt. Sed opera hominum sunt opera Legis, et

---

[1]) Loesch.: moveat.

*) Psalm. 7. **) Psalm. 143.

maledictio non venialibus attribuitur peccatis, ergo mortalia sunt. Tertio Rom. 2: Quid doces non furandum, furaris. Quod B. Augustinus exponit, scilicet rea[1]) voluntate sunt fures, etsi foris iudicent ac doceant alios fures.

IV.

Opera Dei, ut semper sint deformia, malaque videantur, vere tamen sunt merita immortalia.

Opera Dei esse deformia, patet per illud Esai. 53: Non est ei species neque decor, et 1. Reg. 2: Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Hoc sic intelligitur, quod Dominus humiliat et perterrefacit nos Lege et conspectu peccatorum nostrorum, ut tam coram hominibus, quam coram nobis videamur esse nihil, stulti, mali, imo vere tales sumus. Quod cum agnoscimus atque confitemur, nulla in nobis est species neque decor, sed vivimus in abscondito Dei (id est, in nuda fiducia misericordiae eius), in nobis habentes responsum peccati, stultitiae, mortis et inferni, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 6: Quasi tristes, semper autem gaudentes, quasi mortui, et ecce vivimus. Et hoc est, quod Esaias Cap. 28. vocat opus alienum Dei, ut operetur opus suum (id est, nos humiliat in nobis, desperantes faciens, ut exaltet in sua misericordia, sperantes faciens), sicut Habac. 3: Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Talis ergo homo sibi displicet in omnibus operibus suis, nullum decorem, sed solam suam deformitatem videt. Imo iam foris facit, quae aliis stulta et deformia videntur.

Fit autem deformitas illa in nobis, vel a Deo flagellante, vel a nobis ipsis accusando, iuxta illud 1. Corinth. 2: Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur a Domino. Hoc est, quod Deut. 32: Iudicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur. Sic itaque opera deformia, quae Deus in nobis operatur (id est, humilia et timorata sunt

1) Loesch.: rei.

vere immortalia), quia humilitas et timor Dei est totum meritum.

V.

Non sic sunt opera hominum mortalia (de bonis, ut apparent, loquimur), ut eadem sint crimina.

Crimina enim sunt, quae accusari possunt etiam coram hominibus, ut adulteria, furta, homicidia, obloquutiones etc. Sed mortalia sunt, quae apparent bona, et tamen intus sunt malae radicis et malae arboris fructus. Augustinus libro. 4. contra Julianum.

VI.

Non sic sunt opera Dei merita (de his, quae per hominem fiunt, loquimur), ut eadem non sint peccata.

Ecclesiastes 7: Non est iustus in terra, qui faciat bene, et non peccet. Hic autem ab aliis dicitur, quod iustus quidem peccet, sed non quando benefacit Quibus respondetur: Si id vellet haec autoritas, quid superfluit verbis? An Spiritus sanctus delèctatur multiloquio et nugatione? Nam iste sensus fuisset abunde sic expressus: Non est iustus in terra, qui non peccet, ut quid addit, qui benefacit? Quasi alius sit iustus, qui faciat male. Non enim nisi iustus facit bene. At ubi de peccatis extra benefacta loquitur, sic dicit: Septies in die cadit iustus. Hic non dicit: Septies in die cadit iustus, quando benefacit. Est enim simile, sicut si quis cum securi corrosa et dentata secet, licet operator sit bonus faber, tamen securis facit malas et difficiles ac deformes incisiones, sic Deus per nos operans.

VII.

Justorum opera essent mortalia, nisi pio Dei timore ab ipsismet iustis ut mortalia timerentur.

Patet ex 4. Conclusione, Quia confidere in opus, de quo debuit timere, est sibi gloriam dare, et Deo auferre, cui timor debetur in omni opere.

Haec autem tota est perversitas, scilicet, sibi placere, fruique se ipso, in operibus suis, seque idolum adorare. Taliter autem omnino facit, qui securus et sine timore Dei est, si enim timeret, non esset securus, ideoque nec sibi placeret, sed in Deo sibi placeret.

Secundo, Ex illo Psalmi dicto*): Non intres in iudicium cum servo tuo, et Psal. 32: Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino etc. Quod autem haec non sint venialia, patet, quia illi dicunt, pro venialibus non necessariam confessionem et poenitentiam. Si ergo sunt mortalia, et omnes Sancti pro eis orant, ut ibidem dicit, ergo Sanctorum opera sunt peccata mortalia, sed Sanctorum opera sunt bona opera, quare non nisi per timorem humilis confessionis sunt eis meritoria.

Tertio, Ex oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra. Haec est oratio Sanctorum, ergo debita illa sunt bona opera, pro quibus orant. At quod illa sint mortalia, patet ex sequentibus: Si non remiseritis peccata hominibus, nec pater vester coelestis remittet[1]) vobis peccata vestra. Ecce talia sunt, quae damnarent non remissa, nisi orarent vere hanc orationem et remitterent aliis.

Quarto, Apoc. 21: Nihil inquinatum intrabit in regnum coelorum, sed omne impediens introitum regni est mortale (aut aliter definiendum est mortale), peccatum autem veniale impedit, quia inquinat animam, et non stat in regno coelorum, ergo etc.

VIII.

Multo magis hominum opera sunt mortalia, cum et sine timore fiant, in mera et mala securitate.

Patet necessaria consequentia ex praecedente, nam ubi non est timor, ibi nulla humilitas, ubi nulla humilitas, ibi superbia, ibi ira et iudicium

---

*) Psalm. 143.

1) Loesch.: remittit.

Dei, Deus enim superbis resistit, imo cesset superbia, et nullum peccatum uspiam erit.

IX.

Dicere, quod opera extra Christum sint quidem mortua, sed non mortalia, videtur periculosa timoris Dei remissio.

Quia sic homines fiunt securi, ac per hoc superbi, quod est periculosum; quia sic Deo assidue aufertur et differtur sibi debita gloria, cum omni studio sit eo festinandum, ut quantocius ei sua reddatur gloria. Ideo consulit Scriptura: Ne[1]) tardes converti ad Dominum. Si enim offendit, qui subtrahit gloriam, quanto magis offendit, qui subtractam continuat, et in hoc ipso securus agit. At qui non est in Christo, aut recedit ab eo, subtrahit ei gloriam, ut notum est.

X.

Imo difficillimum est intelligere, quonam modo sit opus mortuum, nec tamen noxium mortaleve peccatum.

Probo, Quia Scriptura non habet istum de mortuis loquendi modum, quod aliquid sit non mortale, quod tamen sit mortuum, imo nec grammatica, quae mortuum plus esse dicit, quam mortale. Mortale enim opus, quod occidit, ipsi dicunt, mortuum vero non occisum, sed non vivum. At non vivum Deo displicet, ut Proverb. 15 scribitur: Victimae impiorum abominabiles.

Secundo, Oportet omnino circa talem actum mortuum voluntatem aliquid agere, scilicet vel amando vel odiendo eum, odisse non potest, cum sit mala. Amat ergo, ergo amat mortuum. Ac sic in eo ipso elicit malum actum voluntatis contra Deum, quem amare debuit, et glorificare in eo, et in omni opere.

XI.

Non potest vitari praesumptio, nec adesse vera

1) Loesch.: nec.

spes, nisi in omni opere timeatur iudicium damnationis.

Patet supra ex 4. Conclusione, quia impossibile est in Deum sperare, nisi de omnibus creaturis desperetur, sciatque sibi nihil prodesse citra Deum posse. At cum nullus sit, qui hanc puram spem habeat, ut supra diximus, ac sic non nihil in creaturam confidamus, patet, quod propter immunditiam in omnibus timendum est Dei iudicium. Et sic praesumptio vitetur, non re, sed affectu, id est, quod displicet nobis adhuc esse in fiducia creaturae.

XII.

Tunc vere sunt peccata apud Deum venialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia.

Patet satis ex dictis, quia quantum nos accusamus, tantum Deus excusat, iuxta illud: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris, et illud: Ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.

XIII.

Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.

Prima pars patet, quia est captivum et servum peccato, non quod sit nihil, sed quod non sit liberum, nisi ad malum, Johan. 8: Qui facit peccatum, servus est peccati; si Filius vos liberaverit, vere liberi estis. Inde B. August. Libro de spiritu et litera dicit: Liberum arbitrium sine gratia non nisi ad peccandum valet. Et libro 2. contra Julianum: Liberum vos vocatis, imo servum arbitrium etc. Et innumeris aliis locis.

Secunda pars patet ex supradictis, et illo Hose. 13: Perditio tua ex te Israel, ex me tantummodo auxilium tuum etc.

XIV.

Liberum arbitrium post peecatum potest in bonum potentia subiectiva, in malum vero semper activa.

Quia sicut homo mortuus potest in vitam solum subiective, in mortem vero etiam active, dum vivit. Liberum autem arbitrium est mortuum, significatum per mortuos illos, quos Dominus suscitavit, ut dicunt Doctores sancti. Probat insuper B. Augustinus in diversis locis contra Pelagianos eandem conclusionem.

XV.

Nec in statu innocentiae potuit stare activa, sed subiectiva potentia, nedum in bonum proficere.

Magister Sententiarum, lib. 2. dist. 24. Cap. 1. allegans Augustinum, in fine sic dicit: His testimoniis evidenter monstratur, quod homo rectitudinem et bonam voluntatem in creatione accepit, atque auxilium, quo stare poterat, alioqui non sua culpa videretur cecidisse. Loquitur de potentia activa, quod aperte est contra Augustinum in Libro de cor. et gra., ubi sic dicit: Acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle, quo posset: per posse intelligens potentiam subiectivam, et per velle, quo posset, potentiam activam.

Secunda autem pars satis patet ex Magistro in eadem distinctione.

XVI.

Homo putans se ad gratiam velle pervenire, faciendo quod in se est, peccatum addit peccato, ut duplo reus fiat.

Quia ex dictis patet, dum facit quod est in se, peccat, et sua quaerit omnino. At si per peccatum putet se dignum fieri gratia, aut aptum ad gratiam, iam superbam addit praesumptionem, et peccatum non peccatum, et malum non malum credit, quod est nimis grande peccatum. Sic Jerem. 2: Peccatum duplex peccavit populus meus, me dereliquerunt fontem vivum, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae non valent aquas continere, id est, per peccatum sunt longe a me, et tamen praesumunt bonum facere ex se.

Dicis ergo: Quid igitur faciemus? Vacabimus

otio, quia nihil nisi peccatum facimus? Respondeo: Non, sed his auditis, procide, et ora gratiam, spemque tuam in Christum transfer, in quo est salus, vita et resurrectio nostra. Quia ideo haec docemur, ideo Lex notum facit peccatum, ut cognito peccato gratia quaeratur et impetretur. Sic sic humilibus dat gratiam, et qui humiliatur exaltatur. Lex humiliat, gratia exaltat. Lex timorem et iram, gratia spem et misericordiam operatur. Per Legem enim cognitio peccati, per cognitionem autem peccati humilitas, per humilitatem gratia acquiritur. Sic opus alienum Dei inducit tandem opus eius proprium, dum facit peccatorem, ut iustum faciat.

XVII.

Nec sic dicere est desperandi causam dare, sed humiliandi et quaerendae gratiae Christi studium excitare.

Patet ex dictis, quia, cum secundum Evangelium parvulis et humilibus datum sit regnum coelorum, et Christus eos amet, humiles autem esse non possunt, qui non intelligunt se peccatores damnabiles et foetidos. Peccatum autem non agnoscitur, nisi per Legem; patet quod non desperatio, sed spes potius praedicatur, quando nos esse peccatores praedicatur. Illa enim praedicatio peccati est praeparatio ad gratiam, seu potius agnitio peccati, et fides talis praedicationis. Tunc enim surgit desiderium gratiae, quando orta est peccati cognitio, tunc aeger quaerit medicinam, quando intelligit malum sui morbi. Sicut itaque non est causam desperationis vel mortis dare, quando aegroto dicitur periculum sui morbi, sed potius est eum provocare ad curam medicinae quaerendae; ita dicere quod nihil sumus et semper peccamus, quando facimus quod in nobis est non est desperatos (nisi sint stulti), sed sollicitos ad gratiam Domini nostri Iesu Christi facere.

XVIII.

Certum est, hominem de se penitus oportere

desperare, ut aptus fiat ad consequendam gratiam Christi.

Id enim Lex vult, ut homo de se desperet, dum eum deducit ad inferos, et pauperem facit, et peccatorem ostendit in omnibus suis operibus, ut Roma. 2. et 3. facit Apostolus, dicens: Causati sumus omnes esse sub peccato. Qui autem facit, quod in se est, et credit se aliquid boni facere, non omnino sibi nihil videtur, nec de suis viribus desperat, imo tantum praesumit, quod ad gratiam suis viribus nititur.

XIX.

Non ille digne theologus dicitur, qui invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspicit.

Patet per eos, qui tales fuerunt, et tamen ab apostolo Roma. 1. stulti vocantur. Porro invisibilia Dei sunt virtus, divinitas, sapientia, iustitia, bonitas etc.; haec omnia cognita non faciunt dignum nec sapientem.

XX.

Sed qui visibilia et posteriora Dei per passiones et crucem conspecta intelligit.

Posteriora et visibilia Dei sunt opposita invisibilium, id est, humanitas, infirmitas, stultitia. Sicut 1 Corinth. 1. vocat infirmum et stultum Dei, quia enim homines cognitione Dei ex operibus abusi sunt, voluit rursus Deus ex passionibus cognosci et reprobare illam sapientiam invisibilium per sapientiam visibilium, ut sic, qui Deum non coluerunt manifestum ex operibus, colerent absconditum in passionibus. Sicut ait 1 Corinth. 1: Quia in Dei sapientia non cognovit mundus Deum per sapientiam, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes: ita, ut nulli iam satis sit ac prosit, qui cognoscit Deum in gloria et maiestate, nisi cognoscat eundem in humilitate et ignominia crucis. Sic perdit sapientiam sapientum etc., sicut Esaias dicit: Vere absconditus tu es Deus.

Sic Johan. 14, cum Philippus iuxta theologiam gloriae diceret: Ostende nobis patrem, mox Chri-

stus retraxit et in se ipsum reduxit eius volatilem cogitatum quaerendi Deum alibi, dicens: Philippe, qui videt me videt et Patrem meum, ergo in Christo crucifixo est vera theologia et cognitio Dei. Et Johan. 10: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum ostium etc.

XXI.

Theologus gloriae dicit malum bonum et bonum malum, theologus crucis dicit, id quod res est.

Patet, quia, dum ignorat Christum, ignorat Deum absconditum in passionibus, ideo praefert opera passionibus, et gloriam cruci, potentiam infirmitati, sapientiam stultitiae, et universaliter bonum malo. Tales sunt, quos apostolus vocat inimicos crucis Christi.*) Utique quia odiunt crucem et passiones, amant vero opera et gloriam illorum, ac sic bonum crucis dicunt malum, et malum operis dicunt bonum. At Deum non inveniri, nisi in passionibus et cruce, iam dictum est. Ideo amici crucis dicunt crucem esse bonam, et opera mala, quia per crucem destruuntur opera, et crucifigitur Adam, qui per opera potius aedificatur. Imposibile est enim, ut non infletur operibus suis bonis, qui non prius exinanitus et destructus est passionibus et malis, donec sciat se ipsum esse nihil, et opera non sua, sed Dei esse.

XXII.

Sapientia illa, quae invisibilia Dei operibus intellecta conspicit, omnino inflat, excaecat et indurat.

Id iam dictum est, quia, ex quo crucem ignorant atque odiunt, necessario contraria diligunt, scilicet, sapientiam, gloriam et potentiam etc. Ideo tali amore magis excaecantur et indurantur. Impossibile est enim, quod cupiditas satietur his, quae cupit, acquisitis. Sicut enim crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sic hydropisis ani-

---

*) Philipp. 3.

mae, quo plus bibit, plus sitit, ut poeta: Quo plus potantur, plus sitiuntur aquae. Sic Eccles. 1. Cap.: Non saturatur oculus visu, nec auditu auris. Sic de omnibus cupiditatibus.

Quare et curiositas sciendi non saturatur acquisita sapientia, sed magis accenditur. Sic cupiditas gloriae non saturatur acquisita gloria, nec cupido dominandi saturatur potestate et imperio, nec cupido laudis saturatur laude etc., ut Johan. 7. Christus significat dicens: Qui bibet ex aqua hac, sitiet iterum.

Restat ergo remedium, ut non explendo curetur, sed exstinguendo, id est, ut qui vult fieri sapiens, non quaerat sapientiam procedendo, sed fiat stultus quaerendo stultitiam retrocedendo. Sic qui vult fieri potens, gloriosus, voluptuosus, satur omnium rerum, fugiat potius, quam quaerat potentiam, gloriam, voluptatem, omniumque rerum saturitatem. Haec sapientia illa est, quae mundo est stultitia.

XXIII.

Et Lex iram Dei operatur, occidit, maledicit, reum facit, iudicat, damnat, quicquid non est in Christo.

Sic ad Galatas 3: Christus liberavit nos de maledicto Legis. Et ibidem: Qui sunt ex operibus Legis, sub maledicto sunt. Et Roma. 4: Lex iram operatur. Et Rom. 7: Quod erat ad vitam, inventum est mihi esse ad mortem. Roma. 2: Qui in Lege peccaverunt, per Legem iudicabuntur. Igitur qui gloriatur in Lege, tanquam sapiens et doctus, gloriatur in confusione sua, in maledicto suo, in ira Dei, in morte, ut illi Roma. 2: Quid gloriaris in Lege?

XXIV.

Non tamen sapientia illa mala, nec Lex fugienda, sed homo sine theologia crucis optimis pessime abutitur.

Quia Lex sancta, et omne donum Dei bonum, omnis creatura bona valde, Gene. 1. Sed sicut supra dictum est, qui nondum est destructus, ad nihilum re-

dactus per crucem et passionem, sibi tribuit opera et sapientiam, non autem Deo, et sic abutitur donis Dei, eaque polluit.

Qui vero est per passiones exinanitus, iam non operatur, sed Deum in se operari et omnia agere novit. Ideo sive operetur, sive non, idem sibi est, nec gloriatur si operetur, nec confunditur, si non operetur Deus in eo, sibi scit satis esse si patitur et destruitur per crucem, ut magis annihiletur, sed hoc est, quod Christus ait Johan. 3: Oportet vos renasci denuo, si renasci, ergo prius mori, et exaltari cum filio hominis, mori inquam, id est, mortem praesentem sentire.

XXV.

Non ille iustus est, qui multum operatur, sed qui sine opere multum credit in Christum.

Quia iustitia Dei non acquiritur ex actibus frequenter iteratis, ut Aristoteles docuit, sed infunditur per fidem. Iustus enim ex fide vivit, Roma. 1. et 10: Corde creditur ad iustitiam. Unde illud (sine opere) sic volo intelligi: non quod iustus nihil operetur, sed quod opera eius non faciunt eius iustitiam, sed potius iustitia eius facit opera. Sine[1]) enim opere nostro gratia et fides infunditur, qua infusa iam sequuntur opera. Sic Rom. 3. dicitur: Ex operibus Legis non iustificabitur omnis homo; et iterum: Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus Legis, id est, ad iustificationem nihil faciunt opera. Deinde, quia opera, quae ex tali fide facit, non sua, sed Dei esse novit. Ideo non se per illa iustificari aut glorificari quaerit sed Deum quaerit, sua sibi sufficit iustitia ex fide Christi, id est, ut Christus sit eius sapientia, iustitia etc., ut 1 Cor. 1 dicitur, ipse vero sit Christi operatio seu instrumentum.

XXVI.

Lex dicit: Fac hoc, et nunquam fit, Gratia dicit: Crede in hunc, et iam facta sunt omnia.

Primum patet per apostolum et interpretem

---

1) Loesch.: si.

eius B. Augustinum, in multis locis, et supra satis dictum est, quod Lex potius iram operatur, et sub maledicto tenet omnes. Secundum patet per eosdem, quia fides iustificat. Et Lex (ait B. Augustinus) imperat quod fides impetrat. Sic enim per fidem Christus in nobis, imo unum cum nobis est. At Christus est iustus et omnia implens Dei mandata, quare et nos per ipsum omnia implemus, dum noster factus est per fidem.

XXVII.

Recte, opus Christi diceretur operans, et nostrum operatum, ac sic operatum placere Deo gratia operis operantis.

Quia, dum Christus in nobis habitat per fidem, iam movet nos ad opera per vivam illam fidem operum suorum. Opera enim, quae ipse facit, sunt impletiones mandatorum Dei, nobis data per fidem, quae cum intuemur, movemur ad imitationem eorum. Ideo ait apostolus: Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi. Quare misericordiae opera excitantur ab operibus eius, quibus salvavit nos. Sicut ait B. Gregorius: Omnis Christi actio est nostra instructio, imo commotio. Sic[1]) actio eius in nobis vivit per fidem, vehementer enim allicit, iuxta illud*): Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum currimus, id est, operum tuorum.

XXVIII.

Amor Dei non invenit, sed creat suum diligibile, amor hominis fit a suo diligibili.

Secunda pars patet, et est omnium philosophorum et theologorum, quia obiectum est causa amoris, ponendo iuxta Aristotelem omnem potentiam animae esse passivam et materiam, et recipiendo agere, ut sic etiam suam philosophiam testetur contrariam esse theologiae, dum in omnibus quaerit quae sua sunt, et accipit potius bonum quam tribuit. Prima pars patet, quia amor Dei in homine vivens diligit peccatores, malos, stul-

1) In edit. Jen.: Si.
*) Cant. 1.

tos, infirmos, ut faciat iustos, bonos, sapientes, robustos, et sic effluit potius, et bonum tribuit. Ideo enim peccatores sunt pulchri, quia diliguntur, non ideo diliguntur, quia sunt pulchri, ideo amor hominis fugit peccatores, malos, sic Christus*): Non veni vocare iustos, sed peccatores. Et iste est amor crucis ex cruce natus, qui illuc sese transfert, non ubi invenit bonum, quo fruatur, sed ubi bonum conferat malo et egeno. Beatius est enim dare, quam accipere, ait apostolus**). Unde Psalm. 41: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Cum tamen obiectum intellectus naturaliter esse non possit, id quod nihil est, id est, pauper, vel egenum, sed entis, veri, boni, ideo iudicat secundum faciem, et accipit personam hominum, et iudicat secundum ea quae patent etc.

Resolutiones duarum conclusionum in disputatione

Heidelbergensi D. Mart. Lutheri, 1518.[1])

Duae sequentes conclusiones magis sunt theologicae quam philosophicae, ideoque ipse eas Lutherus solas (prae philosophicis) illustravit resolutionibus. Itaque harum duarum conclusionum resolutiones sunt D. Martini Luth.

Undecima conclusio.

Qui sine periculo volet in Aristotele philosophari, necesse est ut ante bene stultificetur in Christo.

Huius ratio prima 1 Cor. 1. dicitur: Si quis inter vos vult sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat,

---

*) Matth. 9. **) Acto. 20.
1) Buddeus, Suppl. Epp. Luth. p. 297.

ut sit sapiens. Secunda ratio est, quod scilicet scientia inflat, ideo nisi sciatur, quod omnis scientia est de numero eorum, quae non prosunt ad salutem nisi iis qui sunt in gratia, omnino inflatur animus scientis. Sicut enim istis omnia cooperantur in bonum, ita illis omnia in malum. Tertia ratio est, quod hominis tota fiducia, vita, gloria, virtus, sapientia non est nisi Christus. Christus autem in Deo est absconditus. Quare omne, quod apparet, non est id de quo homini sit praesumendum. Unde stultificari hoc loco id dico, scire scilicet, quod omnia praeter Christum scire sit nihil scire, ideoque talem scientiam habendam ac si non habeatur, non in ea placere, neque prae ceteris se aliquid esse putare. Hieremiae 9: Non glorietur sapiens in sapientia sua, sed glorietur nosse me.

Duodecima conclusio.

Sicut libidinis malo non utitur bene, nisi coniugatus, ita nemo philosophatur bene, nisi stultus, id est, Christianus.

Ratio. Quia sicut libido est perversa cupiditas voluptatis, ita philosophia est perversus amor sciendi, nisi assit gratia Christi. Non quod philosophia sit mala, sed quod cupiditas hucusque non potest esse mala nisi Christianis. Imo omnes corporis et animae vires tales sunt, ut sine gratia bonam creaturam Dei perverse rapiant. Multo magis in [1]) sine obedientia, scilicet verum cupit perverse, vel in gloriam suam vel in odium.

---

1) Haec, cum tota pagina atramento esset perfusa, legi non poterant. Budd.

Asterisci Lutheri

adversus Obeliscos Eccii.

Lutheri de indulgentiis propositionibus Eccius anno 1518 ineunte opposuit theses triginta, quas episcopi Aichstetensis jussu, ut ipse indicat, conscriptas obeliscos nominavit. Ji obelisci initio quidem typis non sunt evulgati, at crebro manibus descripti et passim ab aliis traditi aliis. Postea, cum Carlstadius et Lutherus singularibus eos refutare conarentur scriptis, illi saepius typis sunt repetiti, namque Lutherus singulis Eccii obeliscis, quos ad verbum affert, singulos opposuit asteriscos. Obelisci erant pleni conviciorum atque contumeliarum et Lutheri animum, quippe qui ab amico per Christophorum Scheuerlium, Patricium illum Cl. Norimbergensem, nuper conciliato (cf. Seckendorf. Hist. Luth. I §. XV. Add.) essent profecti, magnopere offenderunt. Lutherus scribit de iis amico suo Johanni Sylvio Egraho, ecclesiastae Zuicaviensi (Ecclesiastae Cygneo), d. 24. m. Martii 1518 non sine dolore animi his verbis: „Scripsit nuper adversus meas propositiones obeliscos aliquot insignis veraeque ingeniosae eruditionis et eruditi ingenii homo, et, quod magis urit, antea mihi magna recenterque contracta amicitia coniunctus, Johannes Eccius ille, theologiae doctor, procancellarius Ingolstadiensis studii, canonicus Aistetensis, nunc denique Augustensis aedis concionator, vir iam celebris, etiam libris invulgatus: et nisi cogitationes

Satanae scirem, mirarer quo furore ille amicitias recentissimas et iucundissimas solveret, nihil monens, neque scribens, neque valedicens. Scripsit vero obeliscos, in quibus me appellat virulentum, (Aurif.: vinolentum), Bohemum, haereticum, seditiosum, procacem, temerarium: iam leviores contumelias omitto, quod dormitantem, ineptum, indoctum, tandem summi Pontificis contemtorem: breviter nihil aliud, nisi teterrimas contumelias, expresso nomine meo et signatis positionibus meis: ita ut in obeliscis illis nihil sit, nisi livor et ferrugo animi furiosissimi (Luth. epp. ed Aurif. p. 57, de Wette I p. 100). Nec minus de eorum obeliscorum contumeliis Lutherus una cum Carlstadio postea queritur Friderico Saxoniae duci et electori in ep. d. 18. mens. Aug. a. 1519 data (vid. Loescheri Acta Reform. T. III, p. 612 sqq; quacum epistola conferas Lutheri epistolam ad Christophorum Scheuerlium d. 15. m. Junii 1518 missam (de Wette I p. 125.)

Eccius ipse, quum Carlstadium disputationem adversus se instruere audivissit, tumultuarie obeliscos effudisse se confessus est atque praecavere studuit, ne quid Carlstadius vel Lutherus adversus se ederent, quippe cui non fuerit animus Lutherum laedere; scribit enim d. 28. m. Maii Carlstadio (v. Loescheri Act. Reform. II., p. 64.) haec: „Venerando Viro Andreae Carlostatino, Artium et Theologiae Doctori non poenitendo, Archidiacono Wittenbergensi, amico suo, si ita patiatur, non vulgari Tuissimus Eckius S. P. D. Accepi, Andrea Celeberrime, te tuosque Wittenbergios in Eckium esse commotiores, quod contra Martini Lutheri, communis amici, sententiam Episcopo meo privatim aliqua conscripsi, arbitratus, doctorum hominum iudicium nenias illas nunquam subituras. At quomodo elapsae sint e manibus Episcopi mei et ad vos delatae, suspicor quidem, at non certe scio. Jam si hoc futurum scivissem, non extemporarie sine omni librorum opitulatione, utut ingenium suppetebat, confestim et tumultuarie illas effudissem. Et, ut nosti, liberiores sumus omnes in scribendis privatim, quam cum

quid edimus in publicum. Ideo miror plurimum, cur tantopere Eckio vestro deditissimo succenseatis. Adulationis aiunt te Eckium insimulare. At ignoras, quam Eckius homo sit inadulabilis. Percontare omnes, qui Eckium noverunt, quam ingenue fateantur Eckium nescire verba dare. Neque darem, si scirem maxime coram eo Episcopo, apud quem indulgentiae aliquae (quantum ego opinor) parum efficaces ex caussa videbantur accidenti. Ceterum aiunt te monomachiam contra Eckium instruere. Ego id vix credam. Quod si facere proponis, miror cur non contra vicinos Franckfordianos et haereticae pravitatis inquisitorem te succingas, qui centiesMartinum errasse, interdum desipere, furere, ac insanire innuunt schedis editis et publicatis. Verum amicitia nuper inita si frui liceat, amice quidem actum putabo, et quae contra insontem Eckium meditamini, in spongiam cadere permittatis. Non enim fuit animus meus Martinum laedere. At ubi amicitiam Eckii parvi facitis et eum excessisse arbitramini, legem vobis imponere nec possum nec volo, sed tamen vestri fuit officii Eckio quam primum intimare, si vultis quid edere. Ego ubi sensero me errasse, libere erratum fatebor postposito rubore; ubi contra vos concitatiores videro aut aculeatos, bonorum praeceptorum et amicorum auxilio quantum veritas suaserit, in studiis Christiano orbe famosioribus me tueri conabor. At malo carere hoc negotio. Tuum vero fuerit, quid opus facto sit perpendere, et omnibus perpensis negotium adgredi. Vale, quem vere salvere opto. Ex Jngolstat, plusquam raptim, 28. Maii. Anno Gratiae MDXVIII. Parce veloci stilo et barbaro ob subitam tabellionis abitionem."

Sero haec rogavit Eccius. Carlstadius enim iam d. IX. m. Maii a. 1518 Eccii obeliscis propositiones opposuerat apologeticas pro R. P. D. Martino Luthero atque virorum doctorum more affixerat, de quibus publice disputaretur. Die XIV. m. Maii eas Spalatino misit Carlstadius, id quod ex epistola apparet, quae Spalatino data in Olearii Scrinio Antiquar. p. 27 legitur (v. Loescheri A. Reform.

P. II. p. 65). Hae propositiones postea auctae atque typis evulgatae sunt Wittenbergae forma quartanaria sub hoc titulo: „D. Andreae Carolostadini, doctoris et archidiaconi, CCCLXX apologeticae conclusiones pro sacris literis et Wittenbergensibus ita editae, ut et lectoribus profuturae sint. (v. Loescheri Acta Reform. T. II. p. 77 sqq.). Pars earum (CCIX) tripartita legitur in collectione scriptorum Lutheri Basiliensi, quae anno 1520 mense Julio apud Adam Petri prodiit. Titulus earum est: Contra D. Io. Eccium Ingolstadiensem Sophistam Apologeticae Propositiones D. Andreae Bodenstein, Archidiaconi Vuittenbergensis, et subscripta haec leguntur: Ex Vuittenberga cursim, VII. die mensis Julii anno Domini M. D. XVIII. Lutherus autem ipse initio contumelias sibi illatas patienter ferre neque controversias inire cum Eccio in animum induxit, sed ab amicis commotus est, ut impugnanti responderet, id quod fecit in Asteriscis adversus Eccii obeliscos compositis, scribit enim in epistola ad Joh. Sylvium Egranum d. 24. m. Martii a. 1518 data, quam supra laudavimus, ita: „Volui hanc offam Cerbero dignam absorbere patientia, sed amici coegerunt, illi ut responderem, sed privata manu (Luth. epp. ed. Aurifab. p. 57, de Wette I. p. 101)“, quo sensu etiam Christophoro Scheurlio, qui animos Eccii atque Wittenbergensium placare studebat, d. 15. m. Junii 1518 scribit: „Mihi, credo, cum privatim dederim asteriscos meos, non fit ei respondendi necessitas, si desit libido: sin malit reddere, ego utrumque exspecto, licet pacem praeeligam (Luth. epp. ed. de Wette I p. 126)“. Hi igitur asterisci, cum iam mense Junio a. 1518 et prius quidem quam Resolutiones disputationum de indulgentiarum virtute essent conscripti, id quod ex Asteriscis ipsis, qui alteri appositi sunt Eccii obelisco, cernere licet, atque die X mensis Augusti a. 1518 haud dubie Lipsiae apud Melchiorem Lottherum, apud quem etiam Resolutiones disputationum de idulgentiarum virtute tum excudebantur, typis essent confecti, tamen quum privatim dati ideoque amicis tantum initio missi essent, paullo serius

ac tardius evulgati esse videntur. Et haec ipsa res, quod privata manu sunt scripti et privatim dati, in causa esse videtur, cur Asterisci separatim editi iam nusquam in bibliothecis inveniri videantur. Neque in collectione principe scriptorum Lutheri, quae anno 1519 (Basileae) prodiit, illi redduntur, neque leguntur in collectione Basiliensi anni 1520, neque commemorantur in libro rarissimo, cuius titulus est: Catalogus oder Register aller Bücher und Schriften D. Mart. Luth. durch jn ausgelassen vom jar MDXVIII bis ins XXXIII. Mit einer Vorrhede*). Wittenberg. In fine: Gedruckt zu Wittenberg durch Hans Lufft. M.D.XXXIII. 8.**); neque quisquam, quod equidem viderim, qui scriptorum Lutheri editiones enumerare studuit universas, de separata horum Asteriscorum editione mentionem facit, nec Fabricius in Centifolio Lutherano, nec Panzer, vir diligentissimus, in Annalibus typographicis ab anno MDI ad annum MDXXXVI etc., nec Rotermundius in libro suo: Verzeichniss von den verschiedenen Ausgaben der sämmtlichen Schriften Luthers. Bremae 1813, nec Walchius in introd. histor. ad Tom. XVIII Opp. Luth., in quo Asterisci in germanicum sermonem translati redduntur; in bibliothecis denique nec civitatis Norimbergensis, nec Scheurliana, nec regia Monacensi, nec Erlangensi separata Asteriscorum reperitur editio.

Nos textum reddidimus ex edit. opp. Luth. Jenensi, collata cum Loescheri Actis Reform. et edit. Wittembergensi. Latine leguntur Asterisci in ed. Jen. T. I p. 32 sqq. et edit. Wittemb. T. I p. 145 sqq. et Germanice apud Walchium T. XVIII p. 796 sqq.

Asterisci Lutheri

adversus obeliscos Eccii***).

Martinus Lutherus Vencilao Linco Ecclesiasti Nurnberg. Ecclesiae, vere Theologo, suo in Domino fratri.

Quos vero ad me dedisti obeliscos Eccii nostri,

---

*) Ea praefatio a Luthero ipso est composita. **) Hic libellus exstat in bibliotheca Scheurliana Norimberg. ***) Nota

adversus meas disputationes fabrefactos, visum est singulatim percurrere, et meis disputationibus vel obscuriusculis asteriscos addere, quibus tum clare lucentibus, tu si voles eum participem facere, etiam ipse facile intelliget, quam temerarium sit, aliena, praesertim non intellecta, damnare, tum longe insidiosissimum iniquissimumque felle tanto amaricare amici non praemoniti omniaque meliora praesumentis de amico placita, imo quaesita. Sed vera est scriptura: Omnis homo mendax. Homines sumus, homines manemus. Dicit itaque:

Eccius.

Nolo minuta prosequi, aut ea quae scholastice oppugnari possunt, in praesenti disputationis materia de indulgentiis, quoniam sic primam oppugnarem conclusionem.

Lutherus.

Ut generoso (non enim dicam superbo) rem aggreditur prooemio, nisi quod modeste oppugnare potius, quam expugnare dixit, scilicet minuta et scholastica, nam maiora fortassis expugnabit. Quis non timeat a crepitu istius buccae? Ego vero recordatus illius Horatiani: Quid feret hic dignum tanto promissor hiatu? Vix risum tenui, non vult scholastice disputare et pugnare, ex quo verbo satis intelligo, Eccium nostrum istos obeliscos in diebus (quos vocant)Carnisprivii, larva indutus ingenium, conflasse, nam per totum illud obeliscorum chaos[1]) nihil sacrarum literarum, nihil ecclesiasticorum Patrum, nihil canonum, sed omnia scholasticissima, opiniosissima, meraque somnia comminiscitur, et prorsus ea ipsa, contra quae ego disputo, ita ut si vellem et ego peripateticari, uno flatu hos omnes eius pappos dispergerem, diceremque illud magistri sui decretum: Peti-

---

edit. Ienensis: Hos scripsit Lutherus ante Resolutiones suarum Propositionum de virtute Indulgentiarum, contra Eccii obeliscos, ut ipse infra(Ob.II sub fin.)testatur, ubi inquit: Quid autem de hac re sentiam in probationibus meis declarabo.

1) In et Jen: cahos.

tio principii vitium est disputationis seu argumentationis. Sperabam enim, quod ex bibliis, vel ecclesiasticis Patribus, aut canonibus contra me pugnaret, at ipse furfures et siliquas Scoti, Gabrielis, ceterorumque Scholasticorum (quibus est ventrem refertissimus) mihi nunc demum neganti opponit. Sed audiamus tamen, quomodo homo rhetoricus dissimulans oppugnare primam conclusionem nihilo minus tamen oppugnat. Dicit enim:

Ec. Cum enim regnum coelorum in verbis Christi praesentem significare videatur ecclesiam, ac tempus plenitudinis evangelicae tunc adventantis, non videtur, quomodo poenitentia omnium fidelium vitam exprimat.

Luth. Hoc est scholasticum, id est, ludicrum et se ipsum illudens argumentum. Hanc consequentiam an ex logica rationis vel logica fidei didicerit, nescio, videlicet, quia nunc est regnum coelorum, ergo non omnis vita fidelium est poenitentia, quasi ullus sit hominum in isto regno, qui non assidue peccet, ac sic non assidue poenitentia opus habeat. De hac enim poenitentia me loqui sequens docet conclusio. Eccius vero de sacramentali vel solemni forte fabulas agit. Dicere autem, esse hominem aliquando sine peccato et sic non egere ponitentia (licet id B. Bonaventura aliquando lapsus scripserit), ad partem Donati haeretici B. Augustinus in multis locis dicit pertinere, quin poenitentiam non agunt nisi fideles. Sed omitto illa. Infra latius:

Ec. At huic similia nolumus prosequi, solum subitaneo motu, sine librorum adminiculo, pauca adnotabimus, et ut dici solet obelisco signabimus.

Luth. Quam arrogans ingenii ostentatio, sed ubi fuerit librorum copia instructus et morose praemeditatus, tum non obeliscos, sed phalaricas, arietes et bombardas quoque, nihil forte bellici apparatus omittens, instituet. Quid mihi reliquum est quaeso, nisi pavor et horror? Sed bene mihi interim[1]) obeliscos scribit non ferreos, non ligneos,

2) Loesch. et edit. Witt.: interea.

sed papyraceos et pictos. Simul id admiror, cur non asteriscos maluerit? nisi forte lux et candor asteriscorum displicuit, sed livor et ferrugo obeliscorum placuit, quippe non ea fraternae pietatis cura subiit, ut fratris errorem velletm onere et illustrare, melioraque addere candidus, sed invidia incessit, ut vellet fraterna studia calumniari, obscurare, bonaque detrahere lividus.

I. Obeliscus.*)

Ec. Interiorem poenitentiam magnam esse Christus et omnes Christiani docuerunt, siquidem Christus cor aspicit et voluntatem. Vidua hoc docet, quae aera minuta duo in gazophylacium posuit, et plus omnibus misit, Jesu teste, est etenim voluntas in anima, sicut rex in regno.

Luth. Iste est obeliscus, confossor tertiae meae Propositionis, qui quid velit, aut quomodo contra me sit, ego non intelligo, divinabo tamen (licet invitus), quia timeo novorum obeliscorum occasionem dare.

Id fortassis homini displicuit, quod ego dixi, interiorem poenitentiam esse nullam nisi foris operetur etc. Cui obeliscus contradicit, imo inquit, non modo aliquam, sed magnam esse omnes docuerunt. Hic ego addo dicoque quod sit maxima, maximamque ab eis doctam. Verum si solam et sine opere foris eam esse vult Eccius, spero, quod suis scholasticis magistris satis erit invisus. Non enim est magna nec vera, nisi efficaciter velit in opus foris, ut omnes dicunt, sed Eccius, cum nollet tacere, nihil tamen haberet quod diceret, hoc saltem dixit.

Deinde illud: est enim voluntas in anima, sicut rex in regno, sic puto intelligendum sicut lena in prostibulo. Christus est in anima per fidem, ut rex, voluntas ut serva, voluntas vero se sola semper est meretrix, et omnes vires habet meretricis, atque etiam, si id suum figmentum ita esset, non video, quid hoc ad rem facit, ut interior poenitentia sit magna, quia voluntas est maxima, et regina virium.

*) Contra 3. conclus. Lutheri.

II. Obeliscus.*)

Ec. Erronea apparet propositio, nam si canonum poenas solum accumulative vult ad poenas a Deo impositas concurrere, iam laqueus esset, non salus in canonibus poenitentialibus, aut si vult eos esse declaratorios (sicut in veritate sunt, quod Martin. Luth. non attendit), profecto remittendo poenam canonum, aliquas poenas remittit.

Luth. Primum Eccius noster nihil scholastici[1]) dicit (sic enim promisit supra), ideo mihi grandis stupor est, tantum ingenium, tantumque studium esse posse, ut istas res (id est apud me nugas) in sacris literis, in ecclesiasticis Patribus et canonibus invenerit, quas ibidem nullus homo totius mundi adhuc invenit.

Secundo, quamvis verba ista vaniloqui nostri sonent, ac si me intelligat negasse, ullas poenas remitti, dum dicit, remittendo poenas canonum, aliquas poenas remittit. Tamen volo credere, mihi non id falso ab eo imponi: sed hunc eius sensum esse, quod papa remittendo poenam canonum remittit utique poenas a Deo impositas, quia remittit poenas a se declaratas, a Deo autem impositas (quod Martinus Lutherus non attendit, Eccius autem, ultra quam verum est, attendit), ac per hoc non remittit accumulatas ad poenas a Deo impositas, hoc est, simplices et non duplas poenas remittit.

Tertio, ego quidem in ista conclusione, sicut in omnibus aliis, nihil statuo, sed disputo, quamquam apud me vera esse credo plurima, tamen homo sum, et nihil habens in hac re potestatis, praeter disputandi facultatem. Ideo ad istum obeliscum dico, Me non velle poenas canonum esse accumulatas, sed solas, quae pro peccatis imponuntur. Deum autem imponere poenas peccatori confitenti[2]) nego nec potest probari a nostro obeliscographo

---

*) Adversus 5. Conclus. Lutheri.

1) Loesch. et ed. Witt.: scholastice. 2 Ed. Jen.: confitendi.

nec ab universis suis theologastris scholasticis; imo Deus remittens peccatum simul culpam et poenam remittit, sciens sat poenarum esse peccatori, si bene vivat, ac cum vitiis pravisque moribus, praesertim inolitis, pugnet. Unde Ezech. 18: Si conversus fuerit impius ab impietate sua, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur, peccatorum eius non recordabor. Hic nulla poena, nisi opus iudicii et iustitiae requiritur, impium autem est plus impositum fingere, quam Deus imponit. Imo in Joele*) dicit: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Et illud Psal. 51: Peccatum meum contra me est semper. Quibus verbis probatur, Deum esse contentum odio peccati et amore iustitiae.[1]) Et talis per omnem vitam debet esse fidelis. Quare sibi suum scholasticum sit illud commentum, quod canones declarent poenas divinae sententiae, nolo illud acceptare, donec non scholastice, sed ecclesiastice (sicut promisit) docuerit.

Quod vero canones sint laquei, et non salus, si accumulatas (ut vocat) poenas imponunt, iterum nescio quid dicat, ipsum quoque nescire quid dicat credo. Nam si etiam ultra quam Deus requirit, imponat sacerdos, certe ferendum est, et salutare ferenti, propter reverentiam et obedientiam clavium. Si autem ita vult, quod remittens poenas canonicas fallit absolutum, si non simul remittantur poenae a Deo impositae, et sic illaqueetur poenis divinis, dum solvitur ab humanis: hoc certe eatenus est verum, quatenus verum est, poenas a Deo imponi, id est, falsissimum. Ideo non canones sunt laquei, sed indocti et insulsi theologi, qui somniant poenas a Deo imponi, aut per canones declarari a Deo impositas.

Quod si obeliscophrastus noster tam esset theologus, quam est (philosophus pene dixissem) sophista, non debuit mirari, canones esse laqueos mortis, quando etiam lex Dei est mortis, irae, peccatique ministra, et plane rete illud, quo Deus omnia con-

*) Joel 2.
1) In ed. Wittenb, et apud Loesch. additum est: in credente.

clusit sub peccato. Atque ut meam sententiam revelem, in hac propositione id volui, quod cum Deus semper affligat suos, ut ad poenitentiam humiliet, sicut in Jeremia dicit: Castigabo te in iudicio, ne tibi videaris innocens, et illud Psal. 89: Si dereliquerint filii eius legem meam, visitabo in virga etc. Hanc praecedentem poenam ego volui non posse a papa remitti, sed sequentem et satisfactoriam, id est, ab ecclesia impositam, nam sequentem Deus nunquam imponit, contentus quod hominem eo perduxerit, ut se ipsum iudicet, ne a Deo iudicetur, iuxta Paulum 1. Corinth. 2. dicatque: Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum. Imo ut dicam quod Aristotelicotatos Eccius miretur forsan, nec ecclesia requirit ullam poenam sequentem et satisfactoriam post absolutionem ut Propositio 12. nostra dicit, licet enim nunc usus sit, poenas ferre post absolutionem, tamen olim non ita erat moris, cuius vel id unicum adhuc restat vestigium, quod nullus absolvitur nisi prius imposita et acceptata poena, evidenti scilicet argumento, quod remissio peccatorum ad imitationem Dei etiam ab ecclesia post poenam impenditur, hoc est, ut etsi non re, tamen voto iam sit soluta. An autem iste mos nostri seculi sit salutaris, iudicent alii, meum est solum disputative dicere, scilicet quod sit pessimus, meliusque esse, si quis etiam in die Paschae omittat communionem, priusquam omni modo satisfecerit re ipsa, et in effectu, sicut olim fiebat.

Addit huic Obelisco:

Ec. Quod si obturaveris, iam nulla poena vi clavium remitteretur, quod dignitati sacramenti poenitentiae repugnat.

Luth. Hoc quid sit, iterum non capio, nec mirum, veniam enim mereor, quod non claros et lucidos asteriscos, sed ferrugineos, nigros, tenebrisque simillimos cogor obeliscos legere. Divinandum est ergo et hoc loco, scilicet, videri Eccio nostro nullam poenam remitti, nisi divina iustitia (ut vocant) inflictam remitti concedam, siquidem canones abrogati sunt cum suis poenis.

Hic dico, remitti vel arbitrio impositas, ut hodie fit, vel canones nondum esse sub praecepto abrogatos. Quod si id nimis vile videtur, respondeo: Melius est in re non necessaria ad salutem vile, quam mendacium, exspectoque vel contrarium probari, vel ecclesiam determinare, interim[1]) opinionibus hominum volo uti et abuti, pro mea libertate, siquidem Eccio quoque non cogor credere, nisi ecclesiastice, non autem scholastice, loquatur.

Ad illud vero, repugnare dignitati sacramenti poenitentiae nullas remitti poenas, dico: Quamquam nec canonistae nec theologi certi sint (praeter solum Eccium), quid remittant claves in forma consueta, mihi tamen fuit huius positionis ea vel prima causa, quod nimis vilis sit clavium dignitas, si non nisi temporales poenas remittant, cum sint non ad salutem seu pacem temporalem, sed aeternam acquirendam donatae. Poena enim temporalis res est vilissima, longeque inferior, quam ut digna sit clavibus remitti, meo saltem iudicio, ut dicam infra. Vanissimum itaque mihi hoc obelisci verbum videtur, quod sacramenti sit indignitas non remittere poenas, cum id sit potius eius indignitas, si remittat poenas saltem principaliter. Sed audiamus quomodo probet indignitatem illam, non scholastice, sed theologice disputans.

Ec. Nam sacramenta novae legis efficiunt quod figurant, in quo a veteris Testamenti sacramentis separantur.

Luth. Vide, haec non sunt scholastica. Quis haec dicit, nisi qui in scholasticis nugis sic mortuus? quis dicit, quod sacramenta novae legis efficiunt, quod figurant, nisi Magister Sententiarum in 4. cum Hugonis definitione, et qui eos sequuntur. Latior est haec materia, quam sinat temporis angustia prosequi. Id solum queror, quod Eccius non tacuerit primo, quando promisit se non scholastice acturum.

Dico tamen brevissime, sacramenta novae legis non efficiunt gratiam, quam signant, sed requiritur fides ante omne sacramentum. Fides autem est gra-

---

1) Loesch. et ed. Wittenb.: intera.

tia. Ideo gratia semper praecedit sacramentum, iuxta dictum illud communissimum: Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat, et B. Augustinus: Non quia fit, sed quia creditur.

Eccius vero obelisticus theologus ex illo Scotico procedit somnio, quod sacramenta efficiunt gratiam sine opere hominis accipientis, modo non ponat obicem. Quae sententia horrendissima est haeresis, ac iam non Bohemicum virus, sed infernale aconitum est, omnia sacramenta ecclesiae illudens et subvertens, ut suo tempore ostendemus.

Quod vero dicit, novae legis sacramenta eo separari a veteris legis sacramentis, quod haec non efficiebant gratiam, aeque est scholasticum, ac prope haereticum. Hoc potius differebant, quod nostra sunt pauciora et faciliora, illa vero plurima et gravissima; vel certe, quod illa solum carnis erant[1]) baptismata et iustificationes in cibis, potibus, vestibus, festis, sacrificiis, purificationibus leprae etc.[2]), quae figurabant baptisma unum et unam iustificationem fidei, quae nunc impletur. Sic enim non Scholastici, sed ecclesiastici, imo coelestis Paulus loquitur.

Ec. Et quoniam poenitentia[3]) non potest in culpam apud te, per conclusionem 6. dabis ergo, quod possit in poenam et reatum.

Luth. Per poenitentiam hic intelligit sacramentum poenitentiae, et officium clavium (sic enim loquitur, ut semper sit divinandum de sua sententia), alioqui poenitentia nec in culpam, nec in poenam potest. Quid autem de hac re sentiam, in Probationibus meis declarabo.*) Nam hanc sextam meam positionem non ex animo posui, sed propter usum aliorum. Nam sicut dixi, vilissimum[4]) mihi videtur, si claves remittant poenas solas. Ideo quomodo remittant culpas, ut est omnibus dubitatum, ita et ego meum ponam dubium in probationibus.

---

1) Ibid.: erant carnis. 2) In ed. Jen.: et. 3) Ibid.: poenitentiam. 4) Ibid.: utilissimum.

*) Nota edit. Jen.: Vides hic, Lector, asteriscos a Luthero scriptos ante Resolutiones propositionum de *virtute* Indulgentiarum.

Interim[1]) id ab obelisco nostro peto. Si dignitati sacramenti repugnat nullius poenae remissio, convenit autem poenae remissio, maxime ea causa, quia sacramenta novae legis efficiunt quod figurant, ergo figurant remissionem poenarum duntaxat, quod non solum in ecclesiasticos, sed etiam in scholasticos doctores haereticum est, ac semel omnium sacramentorum ecclesiae eversio. Quod rursus non Bohemicum virus tantum (ut mihi imponit), sed plus quam omnium haereticorum, qui unquam fuerunt, aut futuri sunt, pestilentia est. Non enim poenarum, sed culparum remissionem figurant. Quod si culparum figurant remissionem, et sacerdos id non facit declarando, rogo Eccium meum, dignetur interim[1]) mecum esse discipulus et disputator, donec in hac re ambo inveniamus magistrum et declaratorem. Videsne tandem, quid sit alienum ingenium sine timore atque cum invidia damnare.

III. Obeliscus.*)

Ec. Male incusantur sacerdotes et episcopi, quoniam sicut in 6. conclusione voluit papam remittere culpam, declarando remissam a Deo et approbando (quamvis frivolum videatur inferiorem approbare facta superioris), ita sacerdos potest declarare morituro poenas canonicas divinae sententiae conformes in purgatorium reservari, non quidem satis agendo, sed satis faciendo. Quod si norunt Episcopi, non dormitasse, sed ultra Lutherum vigilasse dicendi sunt.

Luth. Frivolum est, inquit, inferiorem approbare facta superioris. At in priore obelisco, imo basilisco, non erat frivolum, sed religiosissimum (ita ut et Martinus Lutherus id non attenderet, impius videlicet et rudis), papam per canones declarare poenitentias a Deo impositas. Et in hoc sacerdotem declarare poenas divinae iustitiae conformes reservari in purgatorium. Nisi forte obeliscographus id habet liber-

1) Apud Loesch. et in ed. Wittenb.: interea.
*) Adversus 10. et 11. Conclus. Lutheri.

tatis, ut, cum pro se loquitur, Deus sit[1]) inferior papa et sacerdote, sine haeresis ulla suspicione; cum autem contra me loquitur, tum primum Deus est superior, et declarationem suae sententiae ab inferiori non patitur, ac sic iniquitas mentiatur sibi, vera autem loquatur mihi.

Omitto hic, quod omnium sententia apostoli in extremo etiam iudicio dicantur approbare iudicium Christi, nisi Christum Eccius neget eis superiorem, aut eos dicat frivolos esse.

Primum autem quaero (quia nihil scholastice loquitur), ex quibusnam Ecclesiasticis probetur, sacerdotem posse declarare poenas reservari in purgatorium? Nonne id est, quod ego impugnavi, et mihi plane redditur per petitionem principii a tanto dialectico, et quod amplius non Stoico, sed peripatetico dialectico? Iam supra dixi, nullas esse poenas divinae sententiae, multo minus ei conformes. Non enim dixit: Quodcunque vel quantum ego ligavero in coelis, ligatum erit et in terra, sed econtra: Quodcunque tu ligaveris etc. quae verba potius significant Deum approbare facta inferioris, et ideo dixi me 6. conclusionem non ex animo posuisse, sed ut audirem alios.

Secundo quaero, quomodo verum sit omnem sacerdotem esse papam in articulo mortis, si non remittit aut remittere potest omnem poenam? Si[2]) potest et non facit, quomodo manet caritas in eo? Justitia divina, inquis, non sinit. Cur ergo sinet in papa, quoties voluerit papa, cuius tunc sacerdos omnis vices plenissime gerit?

Jam illud pulcherrimum (quia scotisticum, non tamen scholasticum) quod animae non satis agendo, sed satis patiendo solvunt poenas in purgatorio. Gratias Scoto, qui etsi[3]) scholasticissimus, nihilque sapiat ecclesiasticum, Eccium tamen fecit (mirum dictu) ecclesiasticissimum. Quasi ullus tam rudis esse possit rusticus, qui non sciat poenas non ferri nisi a volente (modo sint non infernales et impio-

---

1) In ed. Wittenb. et apud Loesch. est. 2) Ibid.: sin. 3) *Ibid.* additum legitur: est.

rum), ac sic non tantum satis patiendo, sed satis volendo solvere dici possent poenas.

Verum ego tutius astinuerim a disputando cum subtilitatibus scoticis vereque scotinis, ne mihi aliqua formalitate nove conficta elabantur. Gloria tamen[1]) est episcoporum (ait obeliscus ille), quod episcopi haec non ignorarint.[2]) Ideo non dormitasse, sed ultra Lutherum vigilasse dicendi sunt. Felicem ecclesiam certe, cuius episcopi sunt omnes Scotistae, aut (quod magis ad rem facit) Eccianistae, per cuius Scotum fit, ut nunquam dormitasse defendantur, forte quod Eccius semper pro eis dormitare voluit.

Ec. Addo, quod mortuus ab excommunicatione absolvi non posset, de quo sunt vulgata iura.

Luth. Hui quam sobrie, et strenue vigilat hic Eccius. Fateor, sunt vulgata iura. Sed desunt Ecciani novi apparatus, ideo credimus interim[3]) receptis et usitatis, donec ille conflet meliores. Est lib. 5. de sen. excom. ca. A nobis, ubi papa decernit excommunicatos etiam mortuos absolvendos. Quod Panormitanus et alii intelligunt, quoad nos seu in facie ecclesiae, cum ille, quoad se, de facto per mortem sit absolutus, citra ecclesiae absolutionem, nec aliquid ei obest excommunicatio post mortem relicta, nisi quod non publice pro eo oratur in ecclesia, privatim autem orent qui volent, ut ex his intelligatur omnem ligationem ecclesiae cessare in morte, solumque in hac vita valere, quare et poenas canonum quoque huius vitae poenas esse dixi.

Verum dialectici nostri syllogismum vide. Nisi sacerdos posset poenas in purgatorium declarare reservatas morituro, non posset etiam excommunicatus absolvi mortuus. Quis non dico scholasticorum doctorum, sed primi anni discipulus scholasticorum, hanc non rideat consequentiam? Quasi idem sit absolvi ab opinione hominum in ecclesia, et relegare poenas in purgatorium, cum illic culpae et poenae remissio declaretur ecclesiae, non autem

1) Ibid. additur: haec. 2) Ibid.: ignorarunt. 3) Ibid.: interea.

ipse[1]) absolvatur proprie, hic vero ligetur ad poenas vere et proprie, denique quasi idem sit indulgentia, et absolutio ab excommunicatione.

IV. Obeliscus.*)

Ec. Relaxari legum canones morte, non apparet ex cauda prioris.

Luth. An prioris dicat sui obelisci, aut[2]) positionis meae, incertum est. Sed quia velut e tripode pronunciat, sine rationibus adductis relinquo et ego eum ex praecedentibus satis confutatum, donec probet ex ecclesiasticis iuxta suum promissum.

V. Obeliscus.**)

Ec. Frivola apparet illa propositio, nam infans baptizatus (cum alieno tamen gaudeat merito) minorem habet caritatem, adulto rationis capace decedente, et tamen imperfecta caritas pueri non immittit ei horrorem, qui se solo faceret purgatorium. Quis enim sanae mentis diceret S. Severinum minorem habere gratiam, quam bimum puerum? Unde perfectior aut imperfectior gratia nihil facit ad purgatorium, sed poena pro peccatis debita nondum soluta.

Luth. Hic tandem non scholastice, nec tumultuarie, sed e coelo forsan sonat oraculum. Primum, valde erat decorum Eccio hanc meam propositionem cum sex sequentibus intactam relinquere, profundiores sunt enim, quam ut ex scholasticis opinionibus ullo modo capiantur, sapiunt enim experientiam illius verbi, deducit ad inferos et reducit, de quo latius in probationibus, interim[3]) fabulas huius obelisci videamus.

Infans gaudet alieno merito, esto sane. At quis gaudet proprio? Adultus, inquit, in gratia. At cur

---

1) Ibid.: ipsi. 2) In ed. Wittenb. et apud Loesch.: an. 3) Ibid.: interea.

*) Adversus 13. Conclus. Lutheri. **) Adversus 14. Conclus. Lutheri.

dicit*): Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens? Sed haec sunt ecclesiastica, et per bis diapason ab Eccio remota. Deinde quia gaudere hoc loco (ut est elegans) pro possidere dixisse videri potest, omitto.

Id magis est curandum, quod infans minorem habet caritatem, et tamen non habet horrorem purgatorii, fateor, sed quid hic, rogo, dicemus? Adultus maiori tentatione urgetur ac vehementius turbatur timore mortis atque iudicii, quam parvulus, qui nihil sentit nec capax est. Adulto autem addita scientia, additur et dolor. Ideo non est mirum, quod adultus, magna caritate indutus, potest citius ac facilius cadere in peccatum ac magis dolere, quam parvulus cum parva caritate. Potest ergo etiam dicere Eccius, quod sicut parvulus minoris caritatis non timet neque horret ignem, aquam, ferrum, denique mortem, ita multo minus adultus maximae caritatis timet talia, cuius contrarium quis est qui non videat? Atque utinam adultus eo perveniat, ut sicut parvulus neque cognosceret poenas, neque timeret, tum ego quoque dicerem, quod statim sicut parvulus evolaret. Nunc vero, quando cognoscit et horret, opus est ei non illa parva, sed perfecta caritate, quae foras mittit timorem**) atque triumphet, nec [1]) Deum offendat rebellione sua, dum magis timet mortem quam Deum, imo magis diligit vitam quam Deum.

Deinde incertissimum est, an parvulus minorem habeat caritatem, quam adultus? nisi adultus sit perfectae caritatis, qui conversus, factus ut parvulus iuxta evangelium***), ipse quoque mortem nesciat timere.

Ultimo dicit caritatis perfectionem vel imperfectionem non facere purgatorium, sed poenam nondum solutam. Hoc ex praedictis somniis dicit, quod poena satisfactionis requiritur a Deo iuxta scholasticos, cum tamen sacerdotum quemlibet as-

---

*) Psal. 143. **) 1. Johan. 4. ***) Matth. 18.
1) In ed. Jen.: ne.

serant in morituro totum posse et facere, quod papa potest et facit. Amplius, si sacerdotem habere non potest, votum habendi dicunt sufficere. Quid ergo tali restat solvendum, cum sit ab omnibus absolutus.

Dicam latius, quod sententia communis est, purgatorium deberi peccatis, non poenis, scilicet, venialibus, ut expresse habet Canon distin. 35. cap.: Qualis. Et ad id multa similiter exempla habentur. Quale peccatum ego quoque dico esse illam imperfectam caritatem, qua inviti moriuntur, nimio vitae affectu immundi, ac per hoc Deum non super omnia diligentes. De his in probationibus.

VI. Obeliscus.*)

Ec. Procax propositio, Soluti enim corpore, purgandi amici Dei, certe sciunt se salvandos, sed quasi per ignem.

Luth. Unde sciunt certo? quia Eccius dicit. Et tenet consequentia iuxta suum Magistrum ab autoritate affirmative. Adeo ignarus est theologiae crucis, ut credat ideo illis certum esse, an sint salvandi, quia amici Dei sunt et corpore soluti.

Ego etsi insignes viros legerim (non Scotum aut Thomam loquor, neque Eccium), qui asserant, animas quasdam ita suspendi usque ad diem iudicii, ut nesciant, an sint salvandae vel damnandae. Et quia expertis et exemplis in hac re plus est credendum, quam omnibus obeliscis omnium fabrorum, non magni refert, quid Ecciana temeritas blateret, aut procacitatem nominet. Legimus de multis, qui apparuerunt tanquam ducti ad iudicium et diu suspensi. Et quidquid sit, liberum saltem est disputare propter unum exemplum et unum dictum, et contradicere nudis inermibusque theologorum opinionibus. Addo, quod horror animae natura sua facit incertum hominem, quem iam dixi inesse animabus defectu caritatis, et mox magis dicam.

Ec. Unde cum probabile sit, eos angelorum

---

*) Adversus 16. conclus. Lutheri.

habere commercia, quomodo prope desperationem (quod perfidorum est) locari possunt?

Luth. Iterum olet suum hircum Aristotelem, vel hircocervum potius nihilque nisi probabile, id est, petitionis principii effutit. Sciebam ista omnia et legeram, sciensque ac prudens contra ea posui, quae me nunc docet optimus Polydoxus. Totus est Eccius opinio, et hanc tamen velut cortinam Phoebi ubique statuit.

Causa meae huius positionis fuit haec, quia cum omnes doctores dicant eandem esse poenam purgatorii cum inferno, excepta desperatione, horror autem sit vel una summarum poenarum inferni, horror denique sit vel frater vel similis et proximus desperationi, ut patet experientia, Qui timet, incipit diffidere, veresimile visum est, purgatorium prae nimio horrore prope esse et iuxta esse desperationem. Nec video, quid Eccius contra haec nisi inania verba vomat. Non ergo perfidorum est, prope desperare, alioqui qui tentantur in fide et spe (de quibus ut Scholasticus merito nihil novit obeliscographus) essent perfidi, cum sibi videantur omnino, desperati, quod non esset aliud quam spiriticidia (ut sic dicam) facere et docere.

VII. Obeliscus.*)

Ec. Priori non est dissimilis, Lignum enim, ubi ceciderit, ibi erit, quoad meritum et demeritum, et hoc est in hominibus mors, quod in angelis casus.

Luth. Rogo te, mi Ecci, si deinceps adversus me voles scribere, tantum prudentiae tibi pares, ut satis sit tibi ter aut quater in uno opere, non autem per singulas ferme orationes, te ridiculum facere, sicut in hoc facis. Id autem praestabis, si certa fida credideris me legisse examina illa quaestionum et opinionum, quibus frustra et cum larvis pugnas. Nolo, inquam (ut sis sciens), scholasticam theologam audire, nisi fultam ecclesiastica, et iam non scholasticam. An nihil aliud vis me facere, quam ut te

*) Adversus 17. conclus. Lutheri.

rideam, dum nihil aliud affers, quam quod ego legens dubitabam esse verum, et nunc disputans impugno?

Tale nunc est festiva tua glossa (quoad meritum et demeritum), scilicet, ne cum Pighardis, Bohemis, illa Ecclesiastis autoritas cogeret ad negandum purgatorium, fingis, imo fictum ex tuis deblateras, esse casum ligni, ut nec mereatur, nec demereatur.

Omitto quidem hoc loco negotium illud meriti et demeriti, quae an intelligant scholastici, vehementer dubito, cum non possint negare hominem impium post mortem statim in odium et blasphemiam Dei ruere, ac sic peiorem fieri, quam fuit. Sed omitto, inquam, quia cum sophistis callosisque ac inveteratis Vitilitigatoribus res ista tractari non potest, cum stultus non recipiat verba, nisi dixeris ea, quae in corde suo sunt. Et iterum: Melius expedit occurrere ursae raptis catulis, quam stulto confidenti in stultitia sua.

Id interim[1]) dico, ac peto erudiri (ideo enim quaesivi ac disputavi), cum B. Gregorius distin. 35: Qualis, asserat, peccata venialia in purgatorio deleri, quomodo intelligam non fieri purgatum meliorem? Quod si meliorem, quomodo non proficere ac mereri? Nisi peccata venialia adeo sint nihil aestimanda, ut scholastici aestimant, Deus autem in tantum aestimat,ut tam intolerabilem poenam ad eorum purgationem inferat.

Si ergo illa autoritas Ecclesiastis*) non tollit purgatorium, quod vehementer impugnat, quanto minus tollit, ne sit augmentum boni vel mali in purgatorio? Potest fieri, ut ubi ceciderint, ibi sint, ita ut non peccent amplius mortaliter, vel alio modo fiat nobis ignoto.

Quod vero Johannes Damascenus ait, quod in hominibus mors, in angelis est casus, spero quod non de omnium hominum morte loquatur, cum multi sint mortui, et denuo revocati. Ubi illorum

---

1) In ed. Witt. et ap. Loesch.: interea.
*) Eccles. 11.

ergo animae fuerunt? Ceciderunt, sed non sicut angeli, nec manserunt, ubi ceciderunt. Quis ergo scit, an ita cum animabus in purgatorio agatur. Nos autem, quidquid vel per febrem somniamus, statim oraculum iactamus, tam audaces rerum obstrusissimarum censores sumus, nec vel contra dubitare permittimus.

VIII. Obeliscus.*)

Ec. Par temeritas, ut ex prioribus liquet, quoniam sic dicere esset terminum viae confundere, poenitentiae et omnium aliorum, nam in statu sunt solvendi, non merendi. Ideo caritas, qua datur unicuique secundum quod gessit in corpore, in vita, non in purgatorio est merenda, alioqui supplendus esset Apostolus**), unumquemque recipere, prout gessit in corpore, vel purgatorio.

Luth. Vinum semper bibere, tandem est molestum, et omnis voluptas assiduitate parit sui fastidium. Quanto magis molestissimum est, semper audire has male olentes et temerarias hominum opiniones, quas tamen ita garriunt, ut non nisi temeritatem pronuncient, quidquid non eiusdem faecis fuerit, toties mihi Eccio scilicet dicendum est, quod non ecclesiastice loquitur, sed scholastice, id est, futiliter et inutiliter fabulatur.

Ego disputavi, et posse teneri dixi, animas esse in statu merendi (quamquam in his, ut dixi, nihil uspiam statuo). Hanc disputationem sic solvit, ut dicat: Non sunt in statu merendi: plane illud idem inerme figmentum allegans, quod ipse impugnavi. Talis est disputatio, imo contentio muliercularum et puerorum. Est. Non est. Ita, Non. Ita, non, et sunt tamen in his acutissimi theologi, sed sat supra, et in probationibus.

Illud apostoli, quod inducit, quam docte ad rem applicat. Apostolus ibi loquitur de tribunali novissimi iudicii, ubi cessabit mors et purgatorium, at ipse trahit ad purgatorium et mortem hominis in tempore, ut quod apostolus dicit recepturos in iu-

*) Adversus 18. conclus. Lutheri. **) 2. Cor. 5.

dicio, hic intelligat[1]) recepturos in morte. Iste est enim mos interpretandi sacram scripturam apud Scholasticos (paene illusores dixissem) celeberrimus ac laudatissimus, si mos vocari posset tàm evidens furor. Hos Psal. 1. describit: Et in cathedra pestilentiae non sedit. Loco pestilentiae in Ebraeo est Lezim, id est, derisorum, illusorum interpretum, id est, qui verba scripturae sic docent et interpretantur, ut illudant animas sitientes veritatem. Ideo nomen eorum tam prope consonat ad nomen, quam ipsi non sunt longe a re. Quid enim Scholasticus nisi lusorius vocatur?

Terminum viae, inquit, confundit. Utinam principium, medium, finem, atque omnia tam viae, quam erroris Scholasticorum possum confundere, sperarem enim et Eccio quoque placiturum, qui se non scholasticam theologiam promisit tractaturum, nisi quod haec obiter parerga, nescio quo numine correptus, dilata paululum re ipsa depinxit.

IX. Obeliscus. *)

Ec. Falsitas huius ex prioribus proditur, nam non pauciora, imo plura sciunt, quam nos in corpore, quod aggravat animam, exsistente; sciunt ergo se mortuos, et non desperare, nec frui Deo, ergo sciunt se esse in purgatorio, quo cognito, sciunt se iam esse de salvandis.

Luth. Dulcis ille Jesus, mi Ecci, misereatur tui, ne aliquando prae invidia mei insanias, vel pro tuorum studiorum affectu moriaris. Quid tandem dicam miser? Indignor rei, et misereor hominis.

Ego in 19. positione dixi, esse posse, ut non omnes sint certi in purgatorio de sua beatitudine, et ad id exemplum habeo ut supra dixi, deinde quorundam opinionem. Et ideo id solum volui (non quod mea positio esset certa), sed quod nec opinionem Scholasticorum necesse sit ut certam haberi.[2]) Temeritatem solum arguo eorum, qui

---

1) In edit. Witt. et ap. Loesch.: intelliget. 2) Ibid.: habere.
*) Adversus 19. conclus. Lutheri.

certa esse clamant, quae sunt dubiosissima, unde non nego aliquos esse certos, sed non omnes esse.

Sicut in tentatione fidei tentatus est incertus, an credat, sed is qui consulit ei, certus est, quod credit, si modo sit spirituum discretio in illo. Si enim non crederet, non doleret, non querularetur, non ploraret suam infidelitatem; at is sensus infidelitatis et dolor evidens est argumentum fidei viventis in eo. Mortuus in fide non dolet se non credere, ita in desperatione et in omni tentatione agitur.

Ita dixi posse animas esse incertas aliquas (ut sunt exempla multa), cum tamen nos simus certissimi, quod purgandae sint salvandae. Sic ego, inquam, disputavi, et dubitavi.

At obeliscus noster nihil novi adducens, nisi a me impugnatum, non disputat, sed ex oraculo pronunciat praerancidas peripateticorum theologorum opiniones, dicens eos plura scire, quam nos. Deinde quae sunt[1]) illa plura, quae sciunt, subiungit: Sciunt se mortuos, non desperare etc. Hic ego subinfero: Ergo nos non scimus eos esse mortuos, non scimus eos non desperare, non scimus eos non frui Deo, non scimus eos esse in purgatorio, non scimus eos esse salvandos, non scimus, inquam, haec, corpore videlicet aggravati. Hoc est nihil aliud dicere, quam nos omnes sumus haeretici, autore Eccio nostro. Non quod ignorem sensum eius non esse istum, aliterque posse verba eius (si tamen vim feceris) intelligi.

Sed ut videret obeliscophrastus aliquando, quam facile sit aliena depravare, nedum vitia aperta notare, et quam difficile sit alios confodere, sine sua ipsius maiore ignominia. Invidia ut semper est imprudens et insipiens, ita, dum mendacia conatur imponere, se ipsam potius mendacissimam cum ignominia ostendit. Disce ergo, mi Ecci, aliud esse scripta iudicare, et iudicanda scribere; illud et Moriones, hoc ne Socrates quidem satis possit. Tu vero ne sis, rogo, Morio.

---

1) Ibid.: **sint.**

X. Obeliscus.*)

Ec. Illatio propositionis est nulla, illatum tamen non admittimus, cum vi clavium datarum poenam remittat sacerdos, etiam Deo debitam, ne nobile legis evangelicae sacramentum sit de vento.

Luth. Antecedens negavit nec improbavit, ideo eadem prudentia et consequentiam negat, tantum est autoritatis huius scholasticae tripodis. Negant, negandum est, affirmant, affirmandum est, idem quoque rursus si negant, negandum est. Non tamen ideo credas, lector, eos esse Gnatones quosdam Terentianos, theologi sunt, id est, Deum loquentes, eum scilicet, qui magnum inspirat vatibus furorem, ut nosti ex Virgilio.

Age vero, hanc meam conclusionem illatam ideo non admittit speciosus hic obeliscus, ne sit sacramentum de vento. Gratias agimus. Tum scilicet non est de vento, tum est nobile sacramentum, plane[1]) evangelicum, quando non culpam et conscientiam, sed poenam, id est, vilissimam et omnibus Christianis contemptibilem rem, remittit. O theologos, qui ita magnificant poenas, ut facient[2]) pusillanimes Christianos, feliciores gentis, qui suos ad mortem solebant animare. Nos per horrorem poenarum nostros usque ad puerilem formidinem perducimus. Sed supra satis dictum est, non esse verum, remitti poenam debitam Deo per sacramentum.

Doleo autem Sacramenta novae legis eo venisse, ut sint ministeria rerum temporalium, scilicet poenarum, cum sint data in acquisitionem rerum aeternarum. Sed sicut theologi non sunt nisi ventosi, et ventis opinionum sicut vesica suilla distenti. Ita non de vento sed in ventum transmutant nobile sacramentum evangelii. Siquidem omnium etiam ipsorum iudicio sacramenta vocantur vasa gratiae, excepto uno Eccio, qui vocat vasa poenarum non

---

*) Adversus 20. conclus. Lutheri.

1) In ed. Witt. et apud Loesch.: tum plane. 2) Ibid.: *faciant*.

effundendarum, sed auferendarum. Quod tamen ideo credo eum facere meritoque eis dissentire, quia in his obeliscis nihil scholasticum voluit ponere.

XI. Obeliscus.*)

Ec. Frivola propositio, totum ordinem hierarchiae ecclesiasticae confundens, quae ex multis fundamentis reprobari posset.

Luth. Sic tamen, ut fundamenta sint Ecciana, id est, non scholastica. Quis vero tam pertinacem et assiduam temeritatem ferat tam insignis inertiae et inscitiae? Vincit patientiam diuturna insolentia et praesumptio. Omnia iudicat, intelligit nulla. Ego cum universa ecclesia nego esse clavibus in purgatorium potestatem, sicut ex praecedentibus et clare ex proxima sequenti positione patet, quod debuit obeliscus ille advertere. Quomodo ergo fieri posset, ut mihi ipsi contradicerem in tam propinquis, imo proximis conclusionibus, praesertim in re tam diligenter cogitata apud me. Nisi essem, iuxta Cratyli philosophiam, equus ille non potens eundem fluvium nisi semel ingredi, ita nunc[1]) non solum papae, sed infimo curato quoque eam tribuerem potestatem omnibus conclusionibus antea et postea a me negatam.

Sed Eccius furiosa mente mihi malum cogitans vellet, ut totam ecclesiam in odium mei concitare posset, atque id non nisi falsis et a se conceptis mendaciis. Quis crederet esse tantam[2]) virulentiam in theologo. Igitur ego dixi similem esse potestatem, non dixi tantam[3]) episcopo et curato cum papa in purgatorium. Non quod iurisdictionem clavium ibi habeant[4]) aut potestatem iurium, sed potestatem virium potius, non imperandi, sed operandi, hoc est, quod papa potest generali totius ecclesiae suffragio et oratione pro eis intercedere, hoc episcopus potest speciali suae diocoesis, et curatus

1) Ibid.: ita ut nunc. 2) In ed. Jen.: tantum. 3) Ibid.: tantum. 4) Ibid. haberent.

*) Adversus 25. Conclus. Lutheri.

suae parochiae, sicut fit in die animarum, in diebus communibus, et in depositionibus.[1]) Et non erat quidem votum meum, ut isto verbo, potestas, in hac positione mea illi luderentur, placet tamen ita contigisse temerariis iudicibus, ut se ipsos irriserint, ut discant deinceps cum timore ac sine supercilio aliena tractare, et discere antequam docere, audire, antequam iudicent.

XII. Obeliscus.*)

Ec. Propositio ista videtur declarare, ponentem non intelligere, quid in bullis apostolicis velit haec particula (per modum suffragii), cum illa non diminuat (ut vult positor), sed potius addat, et modum communicandi explanet, ut haec pulchre declarari possunt, et dati apostolici interpretes exposuerunt.

Luth. Fateor ingenue, me non intelligere modum illum suffragii, ideoque disputavi, ut docerer. Verba illa et ego recitare novi, quae Eccius recitat, scilicet, Non diminuit, sed addit, non autem intelligo.

Quod vero dicit esse declarata ab apostolicis interpretibus, ego praeter Gabrielem Biel nullum legi, et nunc audio hunc Eccium eadem posse pulchre declarare? Sed quod amborum declarationem ne flocci quidem facio, autor mihi est ipse Eccius, qui supra in quodam obelisco dixit, frivolum esse, facta superioris declarari et approbari ab inferiore. Cum autem Gabriel et Eccius sint inferiores papa, ut frivolos declaratores oportet vilipendere. Addo, quod iuristae omnes dicunt, eiusdem esse declarare, cuius fuit condere. Sed exspecto Eccium pulchrum declaratorem, qui omnia intelligit, forte docebit et me intelligere modum suffragii, modo non loquatur mihi scholastice. Sed plura in probationibus.

---

1) Ibid.: in parentationibus.
*) Adversus 26. Conclus. Lutheri.

XIII. Obeliscus.*)

Ec. Procax propositio, et quae tumultum et seditionem ac schismata in ecclesia Dei facere posset, non caritatem augere.

Luth. Vide, quaeso, theologum, quam anhelet in meam perniciem, sua solummodo augent caritatem, videtur et mihi Eccius de numero eorum esse qui sua vitia ne tangi quidem volunt, et mera tyrannide regnare volunt super populum Christi. Omnia licent, nisi ut abstineas, ne ulcus hoc tangas, id est, avaritiam pontificum, sacerdotum, monachorum.

Miror tamen, cum non tantum Eccius, sed omnes Scholastici non solum avaritiam, sed etiam Simoniam in suis Positionibus aliquando mordeant. Deinde plena sunt omnia decreta et libri vitiis[1]) pontificum, et tot tamen libri tot vitia mordentes nondum fecerunt seditiones et schismata. Mea unica et parvula unius vitii nota has tragoedias miscebit? Aut Eccius mercenarius est, et subornatus quorundam Melaniorum Mandatarius, sicut aliquando adversus Johannem Reuchlin factum meminimus, aut totus abiit in palingenesiam[2]) Pythagorae. Adeo ne incircumspecte et impudenter (ne dicam malitiose) loqui decet theologum.

Ec. Attamen cauda mixta veneno, si enim suffragium ecclesiae esset in solo Dei arbitrio, adeo quod applicationem sacerdotalem negligere vellet et improbare, iam nullus sacerdotum peculiariter posset missam applicare uni plus quam alteri, nullus esset fundandus anniversarius, nulla peculiaris missa procuranda, cum aeque aut plus alteri prodesset pro Dei arbitrio, neque in canone opus esset facere vivorum vel mortuorum memoriam.

Luth. Fateor, tota est venenata cauda, non sua nativitate, sed arte Ecciana intoxicata, nec iam mea est, sed Ecciani obelisci, imo Basilisci. Quidquid enim ille intuetur, statim mors est.

---

*) Adversus Conclus. Luth. 27. et 28.

1) In ed. Witt. et apud Loesch.: de vitiis. 2) In ed. Witt. et Jen.: palyngenesiam.

De applicatione sacerdotali omitto hic loqui, alii viderint, quam recte fiat. Neque enim de ea locutus sum in positionibus meis usquam, sed Eccius, qui omnia in omnibus, id est, nihil intelligit, etiam sic meas voluit venenare puras et innoxias sententias. Dico tamen unum: Si Eccius ex animo diceret, applicationes sacerdotales non esse in arbitrio solius Dei, ut ipse distribuat eas meritis, sicut B. Augustinus de defunctis docet, iam non cauda eius, sed caput, pedes et totus quidquid est, venenum est. Horror mihi est audire, non a Judaeo, non a Turco, non a Bohemo haeretico, sed a theologo catholico, suffragia ecclesiae non esse in arbitrio Dei solius, tu si sic doces populum, non concionator, sed vastator es ecclesiae.

Ergo vero libere contra talem tam impurum haereticum clamo et dico: Maledicta sit omnis applicatio cuiuscunque sacerdotis, si non eam prius pure et reverenter in arbitrium Dei solius reposuerit, et applicationem Dei suae longissime praetulerit, suamque conditionaliter apposuerit. Itane tandem theologi Deum captivum reddent, ut non faciat quod vult?

Sed omitto ista, non enim de applicatione ego locutus sum, sed de acceptatione, quod Eccius ex praecedentibus, si ullum haberet nasum, olfacere potuisset. Nam adversus eos posui, qui per illum suffragii modum dicunt animam evolare, cum tamen suffragium sit intercessio. Intercessionis autem valor non in offerentis, sed accipientis arbitrio consistit. Ideo cum indulgentia non ut indulgentia per clavem, sed ut suffragium pro illis offeratur, negavi, per ipsum animam redimi, nisi Deo sic placuerit, quae res a me quidem disputatur, non asseritur. Exspecto declarationem, sed non illam frivolam, id est, inferiorum. Quid autem ad dictum Sixti quarti dicam, in probationibus videbitur.

XIV. Obeliscus.*)

imus per scripturam, clamantibus ad

*) Adversus 29. Conclus. Lutheri.

nos animabus: Misereminі mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me, et cum caritatem Dei habeant et amorem, vellent quam primum copulari et uniri Deo, ultimo fini ordinate. Hoc non fit nisi poena soluta aut compensata.

Luth. Ego nisi hic legissem, non scivissem animas ad nos clamare, et cupere ad Deum venire, adeo novas et inauditas profert Eccius sacer doctor doctrinas, et ideo mirum mihi est, contra quosnam posuerim, facessat ironia, miseratione potius opus est.

Peto itaque quomodo intelligat Eccius sua verba? Quid est enim Deo velle copulari ordinate? An non est ita, ut non quae sua sunt quaerant, nec propter se, sed propter Dei gloriam et voluntatem velint Deo copulari? Quid si nunc Deus velit eas non cito sibi copulari? an non et ipsae velint idem?

Sed quid tam ecclesiastica cum Scholastico loquor? Mea ergo causa disputandi fuit haec, quod non videretur impossibile aliquas animas nolle de poenis redimi, sicut legitur in sermonibus Tauleri exemplum insigne de quadam virgine, etiam ad inferni poenas sese tradente, pro voluntate Dei. Et Moses atque apostolus*) voluerunt Deo carere in aeternum, pro voluntate eius. Sicut et sponsa in canticis**) audet et dicit, Fortis ut mors dilectio, et dura sicut infernus aemulatio. Et illud 1. Samuelis 2: Deducit ad inferos et reducit. Verum scholastici doctores fabulantur non de forti, sed de molli caritate, non quae mala ferat, sed bona tantum quaerat, id est, concupiscentiam sui commodi; ideo sic nugantur.

Ec. De Severino iuxta hoc ultimum dicendum est. Historia mihi non occurrit, sed puellus adhuc undecim annorum memini legisse, patruo Severinum apparuisse, et purgationem suam cum causa revelasse, ac sacellani sui preces implorasse. Quod conclusioni Lutheranae repugnat. At si ita, debe-

---

*) Exod. 32. Roma. 9. **) Cantic. 8.

bat scire bonus vir, facta sanctorum praeter communem legem non trahenda in consequentiam.

Luth. Omitto fastidia huius rhetoris, et velut lusum suum securum in meas contumelias, mendacia solum persequor. Nunquam dixi, omnes animas nolle redimi, nec feci legem et consequentiam ex uno exemplo, sat autem feci, quod illorum universalem redegi in particularem, ut audacem temeritatem ostenderem.

Deinde illud exemplum Severini, quod falsum reprehendit ducto ex pueritia sua argumento, ut omnibus stultitiam forte suam testatam faceret. Ego autem non secundum quod legitur, sed, sicut audivi narrantes quosdam doctos viros, posui. Horum enim erat sermo, S. Paschalem fuisse in purgatorio, et tamen facta esse miracula ad eius sepulcrum, potuisseque se suis meritis liberare, sed noluit sibi sua minui praemia, ideo maluit ardere. Simile de Severino recitabant.

Ego autem hos sermones, sicut non improbo, ita nec ut autoritatem sequor, sed causa disputandi aliosque audiendi produxi. Unde signanter dixi: Narratur. Minus habent apud me fidei tales libri, quam talium virorum sermones, magis autem quae supra iam dixi de Paulo et Mose.

Ec. Augustinus contra orabat: Domine, hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas.

Luth. Quasi ego prohibuerim, ne ullus oret pro redemptione poenarum, aut non possit alius velle poenam, quam alius deprecetur. Sed valeat contentiosus sophista.

XV. Obeliscus.*)

Ec. Cum communis ferat opinio, posse aliquem satisfacere in peccato mortali, puta sacerdos in quadragesima imponit huic emendam, usque ad festum pentecostes, ut oret quotidie quinquies orationem dominicam, et sextis feriis ieiunet. Sacerdos veri-

---

*) *Adversus* 30. et 31. Conclus. Lutheri.

similiter scit illum non tam diu futurum in gratia. Si non perficit emendam iniunctam, peccat; si perficit, cur in nihilo satisfaceret? modo indulgentiae solum sunt satisfactoriae etc. Ergo in peccatis posse consequi, non esse improbabile, sicut ego de facto teneo et tenui.

Luth. Hunc obeliscum oblitus in fine omnium apposuit Eccius necessarium ratus, ut ego agnoscerem, quam tenebricosis scoticisque[1]) ipse versaretur in tenebris.

Multis modis mihi displicet corrosus hic et inutilis obeliscus. Breviter facerem, si totum, quod allat, negarem, ex media scilicet faece scholarium opinionum has profert nebulas.

Dico itaque, quod existens in peccato mortali, si orat orationem Dominicam, non orat, sed maledicit sibi ipsi, eo quod talis in animo sit aversus ab omnibus quae petit, imo contrariatur omnibus petitis. Non ergo satisfacit Deo, sed magis reus fit.

Si Eccius vel unicum illum de spiritu et litera libellum B. Augustini legisset, fortiter mihi persuaderem, quod non solum hunc, sed omnes obeliscos, imo studium suum scholasticum totum damnaret et deploraret.

Id sane admitto, quod sic orans satisfacit ecclesiae, quae ei imposuit, non autem Deo. Imo firmiter credo, non esse mentem ecclesiae, quod poenitentia iniuncta debeat durare ultra quam ille sit aptus implere, scilicet donec fuerit in gratia. Nam non est praesumendum de pia Matre, quod velit inutilia praecipere aut imponere non salutaria. Imo ipsa praesupponit omnino esse et actum primum, antequam imponat actum secundum. Sic igitur sapio, nihil curans, quicquid contra opinentur Scholastici, quicquid contra nitatur usus, imo abusus indoctorum, in quo si erro, cupio doceri.

Et aliquando latius ista agam. Infinitos enim conscientiarum laqueos nobis indocti opinatores, et

1) In ed. Witt. et ap. Loesch.: scotinisque.

humanarum legum ponderatores in Ecclesiam introduxerunt. Ideo relapso in peccatum remittendae sunt omnes iniunctae poenitentiae, nec longius iniungendae, quam donec sit in gratia. Si enim corporis laborem non potes imponere, nisi donec valeat corpus, quanto magis animae labor non longius intelligitur impositus, quam sit valetudo animae? Mortuis nihil imponendum est.

Porro ego non dissentio, quod indulgentiae possunt dari etiam non contritis, non necessario fundamento Eccii, sed quod remissio poenae, ut est vilissimum donum ecclesiae, potest etiam indignis donari, dignis enim potius etiam imponitur a Deo. Quae omnia ex eo fundamento dico, quod nullae sunt satisfactoriae poenae, nisi per ecclesiam libere institutae, et olim ante absolutionem imponi solitae, nunc quare imponantur post absolutionem, ignoro.

XVI. Obeliscus.*)

Ec. Appendicem conclusionis non recipimus, alioqui absoluturus post poenitentiam iniunctam deberet dicere, quod minus iniunxi, suppleat voluntas papae, cum dicat, quod minus iniunxi, suppleat amara passio Christi, neque aliquis sacerdos esset dicendus vicarius Dei, sed papae, et episcopi.

Luth. Et ista fabula est eadem, qua supra dixit, per sacramentum remitti poenas a Deo impositas. Quod negavi et nego, nec ipse probare potest. Deinde iterum inculcat,[1]) quod passio Christi seu sacramentum solum remittat poenas, sic enim solet dignificare saramentum et passionem Christi in sacramento operantis, ut non culpas, sed poenas remittat, nec has nisi temporales tantum. Vere grandis gloria passionis Christi, quod poenas temporales remittit, quas etiam gentes contemnunt.

Porro illud acutissimum acumen admiror, quo ex trivio etiam invenit adversus me argumentum,

---

*) Adversus 34. Conclus. Lutheri.

1) *In ed. Witt. et ap. Loesch.: reculcat.*

scilicet, quod sacerdos absolvens dicit: Quod minus est, suppleat amara passio Christi. Hoc [1]) forte non fuerit mihi tutum dicere, quod iste usus sacerdotum mihi non placeat, ne iterum dicat, Bohemicum virus me seminare. Verum uror tam indigne passionem Christi haberi, ut ipsa sit suplementum, et velut cauda nostrarum operationum. Denique, cum ipsa ad poenas potius inflammet quam remittat, ad remissionem vero poenarum sufficiat voluntas hominis papae. Sed haec latius suo tempore.

Id ridiculum debere dici: suppleat voluntas papae. Semper somniat necesse est supplere et satisfieri Deo per poenas, ac remissionem non posse fieri nisi per aliam compensationem, ut sic nulla sit remissio vera, sed solum permutatio legitimaque satisfactio per alium, quod et canonistae damnant, et vocabulo indulgentiae repugnat. Si enim est vera remissio, nihil oportet compensare alibi. Si fit compensatio, non est remissio, sed satisfactio. Quid ergo nos ludunt simulatis verbis et rem non appellant suo nomine, ut indulgentias non indulgentias, sed compensationes vocent. Imo veriores sunt satisfactiones, si Christi passio supplet, quam si nos ipsi satisfactiones solvamus. Quis enim tam horrenda haeresi laboret, ut passionem Christi non praeferat suis poenis et operibus? Sed hoc in probationibus diffuse.

XVII. Obeliscus. *)

Ec. Erronea prorsus propositio, cum stet plures esse vere compunctos sine plenaria remissione, accipio enim morientem purgandum, ille est vere compunctus, alioqui sacramenti gratiam et remissionem peccatorum non acciperet, et tamen non habet remissionem plenariam poenae, alioqui non esset purgandus. Unde multum periculose posuit universalem, quod particulariter probatum nullam haberet difficultatem.

---

1) Ibid.: Hic.
*) Adversus 36. Conclus. Lutheri.

Luth. Si Eccius tam promptus esset quaerere et audire, quam est iudicare et condemnare, non tam insulsus fieret tot deliriis et nugis. Ecce unum adverbium, scilicet vere, fecit eum tam pudendo errore labi. Ego compunctum vere accipio plene compunctum, quem etiam evolare sine sacramentis dicunt omnes, et qui negat, est haereticus et in Deum blasphemus, ideo universalis mea stat firmiter.

Ultra dico, etiam semiplene compunctum, et quem ipse accipit similiter habere remissionem plenariam, a poenis ecclesiasticis sibi debitam, quia sacerdos debet ei remittere, quando vidit compunctum. Nec requiritur poena satisfactoria, ex cuius somnio omnia Ecciana ista procedunt.

XVIII. Obeliscus.*)

Ec. Vera propositio. Ac (ut ex sequentibus patet) cum varia sit sanctorum communio, bonorum et meritorum participatio, Lutherus mirabiliter illas ubique confundit. Alioqui si similis esset, et solum generalis participatio existentium in caritate (sicut ait David: Particeps ego sum omnium timentium te), iam frustra essent omnes fraternitates, omnes congregationes, quod nihil aliud est, quam Bohemicum virus effundere.

Luth. Duas istas insignes contumelias, quod me et haereticum et virulentum vocat, mea quidem ex causa propter evangelium ferendas puto, solum illud Christi exemplum secutus, dicendo: Daemonium non habeo, tamen quia in insigni academia, in approbata religione, in illustrissimo ducatu Saxoniae, in amplissimo episcopatu, et his omnibus catholicis: deinde ego ipse nihil asserens, sed disputans, ac catholicus esse quaerens, cum haereticum non faciat nisi pertinacia erroris in fide, hic autem error solus est, si tamen est error: deinde non in fide, sed in opinionibus scholasticis, opus erit, ut super hac re Eccium iniuriarum conveniam, et os eius mendaciis et blasphemiis abundans eo ali-

*) Adversus 37. Conclus. Lutheri.

quando perducam, ut mendaciis suis fidem faciat, aut probet simplicem errorem esse virulentam haeresim.

Si disputare est haereticum sapere, iam Eccius omnium, quos vidit ecclesia, est haereticissimus, quippe qui in quatuor illustrissimis academiis, venenis, id est, disputationibus, omnia intoxicavit. Miror hominem, quod non ad ungues pedum usque friget, quando ad sacramentum altaris accedit, si tamen memor est tantae in fratrem suum crudelitatis. Per omnia mihi Eccius facit, sicut Johanni Reuchlin fecit ille suus Satan; uterque id studii habet, ut si posset omnes lernas, omnes sentinas, omnia barathra errorum, haeresium, malorum irrivare[1]), tum suo uterque frueretur gaudio.

Sed ad positionem, omitto variam illam participationem bonorum, de qua gloriatur Eccius; quid illa sit aut faciat, iudicent alii, mihi multum videtur in ea foveri carnalitatis, quin libere proclamo, eam esse noxiam multis modis, nisi generalem illam, veram, germanam, ecclesiasticam, tum evangelio, tum oratione Dominica commendatam, longe sibi praetulerit. Nec est haereticus, qui eas contempserit, multoque melius facit, qui eas in unum confundit, quam qui eas distinguit. Sic enim apostoli docent, quantumvis scholastici Morphei aliter sapiant.

Tamen utcunque illa sint, ego dico de generali illa et vera participatione bonorum ecclesiae, hanc, inquam, habet quilibet Christianus, sine literis veniarum, quae sola sibi sufficit, de qua toties B. Augustinus loquitur contra Donatistas, unitati ecclesiae prorsus omnia tribuens. Nec credo aliam conferri per literas veniarum, aut probetur. Latret ergo Hecuba ista, donec canis fiat, opinionibus hominum nihil moveor.

XIX. Obeliscus.*)

Ec. Non apparet adeo difficile, cum contritio

1) Apud Loesch.: irritare.
*) Adversus 39. Conclus. Lutheri.

respiciat culpam, et indulgentia poenam pro culpa debitam. Et iuxta haec emendetur sequens, scilicet, quoniam contritionis veritas poenas quaerit, ut satisfaciat in se vel aequivalenti, quoad satisfactionem.

Luth. Fateor haec omnia esse vera, si scholastica sunt vera, quod Eccius asserit, ego nego. Et sic est petitio principii.

XX. Obeliscus.*)

Ec. Vera propositio, quoad merendum, falsa, si intelligatur ad satis faciendum.

Luth. Iterum illud figmentum prodit, quod poenae sint satisfactoriae tantum, non autem meritoriae, cum tamen Paulus dicat**), Omnia electis cooperari in bonum. Et ipsimet scholastici fatentur, satisfactiones simul esse et meritorias. Ex quo aeque sequitur, indulgentias esse viliores, quam satisfactiones, melius est enim satisfacere simul et mereri, quam otiosa satisfactione tantummodo gaudere. Ultra sequitur, quae[1]) indulgentiae sunt noxiae, quia remissiones et omissiones meritorum, sic enim ex eorum proprio sequitur commento.

Ego autem, ut supra, nego istam duplicem poenam, quia Johannes Baptista, qui certe missus ad hoc ipsum fuit, ut poenitentiam doceret, nihil prorsus imposuit satisfactionis, sed militibus aliisque non nisi praecepta vitae praescripsit. Detestanda autem sit blasphemia, si quis dicat, eum non docuisse plenam et integram poenitentiam, ut necesse sit, a scholasticis satisfactionem velut tertiam partem addere (quam Johannes ignoraverit), et id iuxta divinam sententiam volentibus requiri, non tantum ecclesiastica potestate, tunc certe Johannes Baptista in laqueum et seductionem venisset, cum nullos docuerit satisfacere.

At dicunt: Johannes docuit: Facite dignos fructus poenitentiae; ergo satisfactionem voluit. Respondeo: Vera est glossa, si licet, scripturam nostris

*) Adversus 42. Conclus. Lutheri. **) Rom. 8.
1) In ed. Witt. et apud Loesch.: quod.

somniis contaminare. Fructus istos poenitentiae dignos ipsemet exposuit, quando turbae quaerenti, quid facerent, respondit: Qui habet duas tunicas etc., id est, ut bene viverent. Sic enim satisfit Deo.

Ego tamen hic scholasticis doctoribus simul et Eccio consuluerim, ut omisso Christo et Johanne Baptista (quia non sunt scholastici) ad patrem suum Aristotelem confugiant, et eo doctore freti mihi oggannìant illud sacerrimum oraculum: Ab autoritate negative non valet consequentia. Sed mittamus scholastica illa nugacissima, Eccius non loquitur scholastice.

XXI. Obeliscus.*)

Ec. Melius facit meritorie, non satisfactorie, ut ipse declarat conclusione sequenti.

Luth. Iterum ex Caho[1]) opinionum somniat aliud satisfactionem, aliud meritum, quod supra satis est improbatum.

XXII. Obeliscus.**)

Ec. Scimus omnes, quoniam egeno in extremis vel quasi constituto sit subveniendum sub praecepto, eodem modo intelligatur de habente solum necessaria domi.

Luth. Haec est illa felix theologia scholastica, ob quam vel solam omnes scholastici digni essent favore, quem olim Romani philosophis, et Plato poetis in Repub. decernebant. O non theologi, sed plutologi, scilicet necessitatem nobis interpretantur extremam, vel quasi, Obsecro te, quis angelorum permitteretur hanc seminare glossam.

Ergo non est mutuandum egenti, nec commodandum utenti, nec vestiendus nudus, nec visitandus infirmus. Denique nullum opus pietatis aut caritatis faciendum, nisi dum eo pervenerit proxi-

---

*) Adversus 43. Conclus. Lutheri. **) Adversus 45. Conclus. Lutheri.

1) Apud Loesch.: ex chao.

mus, ut iam sit spiritum exhalaturus, alias quando erit necessitas extrema? Videlicet, quasi spiritus sanctus sit adeo indoctus, ut, cum simpliciter necessitatem dixerit, non intellexit, seu oblitus est addere extremam, vel quasi, quod nostris scholasticis erat relinquendum, ne frustra ipsi quoque vixissent aut docuissent, cur, quaeso, ipsa humanitas naturalis tantam[1]) habet bonitatem, ut gratis se offerat, nullam exspectet necessitatem, imo sollicita est, ne sit necessitas; et caritas Dei incomparabiliter[2]) benignior nullum illorum facit? Videsne iterum, contaminatores esse scripturae doctores scholasticos?

Ec. Plura possent dici de sequentibus propositionibus, quarum plures sunt incoctae et insipidae, nisi dicas, quod Bohemiam sapiant.

Luth. Ecce os effrene et plenum maledictione et amaritudine. Propositiones illae, quia non nisi caritatem et pietatem proximi fructuosam continent, adeo sterilium indulgentiarum, et nulli nisi suo commodo utilium amator Bohemicas vocat. Et quomodo potest invidia aliud nomen dare caritati, quam pessimum? Ego, etiamsi Eccius esset angelus, in medio Seraphim, adhuc dico ipsum esse impiissimum hostem caritatis seductoremque simplicis populi, dum docet steriles indulgentias populo bonas esse, ac caritatis praedicationem esse Bohemicum saporem.

Ec. At irreverentia in eis ponderanda est summi pontificis sancta.

Luth. Prius fui haereticus, Bohemus, virulentus, denique quid non? Nunc ne nihil mali non fecerim, irreverens sum summo pontifici. Eccius, iuratus, ut me obruat maledictione, Timon aliquis factus est, aut dignus, qui Lyndio Herculi summo fungeretur sacerdotio. Deus bone, nihilne aliud novit homo iste, quam maledicere, contumeliari, calumniari, blasphemare? et interim[3]) tamen est reverendissi-

1) In ed. Jen.: tantum. 2) Ibid.: comparabiliter. 3) In ed. Witt. et apud Loesch.: interea.

mus summo pontifici, et, Theologus, id est, Deum loquens, si Deus est blasphemia et maledictio.

Egone irreverens sum summo Pontifici, qui homini, eo miseriore quo maiore, necessarias assero multorum orationes, plus quam pecunias? An potius ille in Deum et pontificem est contumeliosus, qui id falsum asserit, volens potius pecunias esse necessarias, quam orationes? Si contumelia id duntaxat est, ac non potius impiissima perfidia? Verum adulatoribus nullum vitium, nullum crimen est magnum, quin adeo sibi fingunt Christum abesse ab ecclesia et pontifice, ut velut hominem purum ac solum citissime posse circumveniri suis pestiferis adulationibus confidant, ac ego magis severa dicere, quo insidiosius adulantur, imo non advertunt, per Dei admirabilem sapientiam id relictum (sit sane unicum) ecclesiae praesidium, ut, etsi papa cum universa Roma vellet adulatoribus consentire, ac veritati dissentire (quod Deus avertat), non tamen id auderet, tum multitudine eruditorum et ingeniorum (Christo favente) prospere agentium, tum potentia regum ac principum illis impense faventium, tum certe multis in curia proceribus, plus his omnibus sinceram pietatem foventibus territus ac prohibitus. Quid enim audebit vel ipse diabolus, nedum malus homo, cum universis adulatoribus, si biblia et ecclesiasticos doctores, contemptis illis opiniosis sophistis sibi viderint opponi? Adeone praesumit crudelis, sed cicur illa tyrannis adulatio, ut etiam verbis Dei audeat occurrere? Sit Christus mecum, et verbum suum, et non timebo, quid faciat mihi vel totus mundus.

Haec dico, ne illi picti Nerones ac umbrarum imagines suis terroribus, id est, adulationibus sese ideo recte dixisse ac vicisse credant, quia summi pontificis maiestatem suis mendaciis sese corrupturos sperant. Homo est summus pontifex, falli potest, praesertim a tam astutis et speciosis Gnatonibus, sed veritas est Deus, qui falli non potest. Quocirca rogo meos amicissimos hostes, ut dignentur me deinceps non adulatione papae, nec magi-

stris nostris eximiis terrere, sed solidis scripturae et patrum decretis docere, vel vincere, si omnino placet victoria.

XXII. Obeliscus. *)

Ec. Indulgentias esse satisfactorias superius fassus est et cum iniungendo poenitentiam sacerdos dicat: Quod minus iniunxi, suppleat, amara passio Christi etc. Cur recurrit ad illum thesaurum?

Luth. O vena non publica, et ingenium vere peripateticum, scilicet: Sacerdos ita dicit, ergo ita est. Tenet consequentia ex dialectica fidei. At dicit [1]) mihi: Usus ecclesiae est reverentia dignus. Si usus est, meritum passionis Christi et sacramentum ad remissionem poenarum tantummodo institutum credere, ac non potius est insania, concedo. Deinde si id potest probari ecclesiastice, iterum et magis concedo. Et cum toties illud ecclesiastice (licet invitus) repetam, spero Eccium tandem moveri se intelligere, ut deinceps non scholastice contra veritatem latret. Ita quidquid vel barbarissimus ac superstitiosissimus aliquis invenit sacerdos, pia, (ut vocant) intentione, id etiam theologis tam doctis pro usu ecclesiae censetur habendum.

Compatiendum tamen est sacramento poenitentiae, quod autoribus his magistris nostris eximiis eo pervenerit dignitatis, ut inter omnia solum sit, quod poenas relaxet, et non sit vas gratiae, nec signum, nisi poenarum: cum Baptismus non poenas, sed peccata remittat, et gratiam conferat. Ita confirmatio, ita eucharistia, ita ordo, ita matrimonium, ita extrema unctio, peccata haec omnia remittunt, et gratiam conferunt. Solum poenitentiae Sacramentum est, quod poenas remittit ac satisfacit, non autem meretur, nec gratiam infundit, forte adulterum est inter septem et spurium, sicut apud poetas fingitur de Pleiadibus, iuxta Eccium loquor, nam

*) Adversus 58. Conclus. Lutheri.

1) In ed. Witt. et apud Loesch.: dicet.

ceteri forte negabunt, indulgentias pertinere ad poenitentiae sacramentum.

Ec. Porro si omnia mala, poenas, et cruces mundi pateretur homo, merito passionis Christi, frustra diceretur Christus vicisse mortem, redemisse genus humanum, mortem clavis cruci affixisse.

Luth. Nemo mihi persuadebit hanc orationem ab Eccio positam ex animo. Absit, ut homo theologus contra omnium sensum loquatur. Imo etsi verba eius sonant, ac si neget hominem moriturum[1]), eo quod Christus mortem vicit, quod omnem furorem excedit.

Volo tamen, credoque eum id voluisse (ut sic divinem), merita Christi non operari mortem, id est, Christi mors non facit, ut homo moriatur, quae potius vitam operatur, (Veniam mereor, si erro, obscure enim loquitur ferrugo ista obelistica). Si haec ergo est intelligentia Eccii, quid hinc ostendit, nisi insignem suam inscitiam? qui Aristotelica farragine, imo sartagine verborum infartus, modum apostolicae locutionis ad peripateticae transfert nugacitatis logomachiam, exponam tamen me ipsum, ut invido calumniatori beneficus sim.

Volo, quod merita Christi sint non remissiones mortis, crucis, inferni, sed potius exhortationes, id est, quod Christianus vere Christum amans non quaerit remissiones poenarum huiusmodi, sed exemplo et amore Domini sui excitatus optat eum sequi per easdem, contemnitque indulgentias. Hoc volui, quando dixi, passionem Christi esse operatricem poenarum, non autem indulgentiarum, ad quod papa nihil habet potestatis.

Ec. Neque declaratio eius valet, cum a participatione meritorum Christi universali ad particularem decurrit, ut supra diximus. *)

Luth. Bene remittit ad superiora somnia, ne committat hic maiora, vide et tu ibidem illam egre-

---

1) In ed. Jen.: hominum mortuorum.

*) Adversus 57. Conclus. Lutheri.

giam, id est, scholasticam distributionem participationis.

Ec. Unde impudentissimus error apparet, merita Christi non esse infinitum thesaurum, etiam ordinatae dispensationi papae non commissum.

Luth. Ut grammaticam etiam in theologo requiram, si est error, quomodo est impudens, nedum impudentissimus? Error est res digna venia, non enim impudenter asciscitur, sed ignoranter incurritur, non quod magnum existimem in grammatica errare theologum, sed ut videas, quod magis furore, quam ratione movetur.

Tentabo ego aptius (si possum) dicere, Impudentia quaedam est, si quis in philosophia Aristotelis doceat, quod illius autoritate non putetur probari. Concedis? Longe ergo impudentissima omnium temeritas est, aliquid in ecclesia asserere, et inter Christianos, quod non docuit Christus. At hoc est, quod haec[1]) noster Eccius garrit, dum nihil scholastici loquitur, et solus pudentissime[2]) veritatem sequitur, scilicet, quod thesaurus meritorum Christi est in manu papae. Ubi hoc biblia? ubi[3]) patres? ubi canones? (excipe Magistros nostros) ubi in toto mundo?

Atque, ut et ego paululum stomacho indulgeam, furor et indignatio Dei est, atque nihil aliud, quam ianuam et[4]) introitum patefacere omnibus haeresibus, erroribus, totique prorsus tartaro, tam libere quicquid libuerit asserere, cum spiritus dicat: Omnia probate, quod bonum est tenete. Si enim scholastici doctores, infelices Magistri tui, ab hac sibi temperassent licentia asserendi, distinguendi, opinandi, pro pia (ut dicunt) sua intentione, non tot nunc ecclesia scateret erroribus et furoribus, nec tu tam lividos et atros invenisses obeliscos.

Fateor quidem in extravagante[5]) Clementis V narrationem fieri de thesauro meritorum Christi,

---

1) In ed. Witt. et apud Loesch.: hic. 2) Apud Loesch.: prudentissime. 3) Apud Loesch. deest: ubi. 4) Ibid. *deest: et.* 5) Apud Loesch. et in ed. Witt.: extravaganti.

per indulgentias distribuendorum, sed nunquam lego [1]) illud esse approbatum. Aliud est papam narrare, aliud statuere, imo longe aliud papam statuere, et concilium approbare. Denique non sum ego, neque Eccius, neque Magistri nostri, apostolicae sedis declaratores, nisi frivoli esse velimus, ut Eccius dixit, non frivolus.

Ec. Unde quilibet Christianus potius debet in eum thesaurum spem suam reponere, quam ex poenis, crucibus et tormentis remissionem, tanquam ex suis meritis sibi debitam, exponere. Quoniam si omnia fecerimus, congruit ut dicamus: Quoniam servi inutiles sumus.*) Et hoc profunde ponderatum destrueret omne fundamentum quasi dictorum illius boni viri.

Luth. Si Eccius loqueretur de culpae remissione in his verbis, iam totus esset ecclesiasticus, et me omnino haberet, qui pedes eius, imo vestigia oscularer, adeo mihi placent verba. Plane maledictus sit, qui non toto corde confidit in thesaurum meritorum Christi, sicut ait Jeremi. 17: Maledictus, qui confidit in homine. Hoc est quod doceo, scribo, cogito, clamo, et omnibus viribus cupio, et non destrueret fundamentum meum hoc profundeponderatum, sed robustissime statueret.

At vero, cum miser theologus haec verba intelligat de remissione poenae, et, ut est thesaurus ille in manu papae, non solum non profunde ponderat verbum Christi, sed prorsus pessundat. Nam vult hominem confidere in remissionem poenarum, et merita Christi ad tam impiam fiduciam supponere.

Ideo, ut me clarius exponam, Finge, quaeso, vel nugandi gratia, merita Christi esse thesaurum remissionis poenarum, ne id omnino pertinaciter negem. Adhuc dico meritum Christi esse incomparabiliter praestantius, dum operatur cruces et passiones, quam dum remittit. Atque cogor distinguere vel fingere, Meritum Christi potest nobis prodesse tripliciter.

1) Apud Loesch.: puto.
*) Lucae 17.

Primo, ut sit nostrae fiduciae summa, et caput iustitiae, iuxta illud Pauli: *) Qui factus est nobis iustitia a Deo, id est, qui suam iustitiam fecit esse nostram, sicut peccata nostra fecit esse sua.

Secundo, quod eadem nobis causa sint similia faciendi, ut et nos ita tum pro nobis, tum pro aliis faciamus. Haec sunt opera operata meritorum Christi. De his duobus B. Augustinus lib. 3. Tri. ca. 4. dicit, quod vita Christi est simul sacramentum et exemplum: sacramentum primo modo, dum nos iustificat in spiritu, sine nobis; exemplum, dum nos similia facere monet, etiam in carne, et operatur cum nobis.

Tertio, ut remittat (ut vocant) satisfactiones peccatorum. Iste tertius, inquam, modus nullius est autoritatis canonicae vel ecclesiasticae. Quod si esset, adhuc tamen vilior esset, quam secundus, sicut secundus vilior, quam primus. Imo non intelligo, quomodo hic tertius modus sit possibilis, ideo disputare volui.

XXIII. Obeliscus. **)

Ec. Inculta et exoculata propositio omnino, nam qui 1) dicere potest, eandem esse rem, thesaurum et clavem, cum clavis ad aperiendum pro thesauro sit instrumentum aptum. Quin potius hic causa accipitur contra Lutherum. Si Christus claves dedit ecclesiae, ab eo petatur. Ad quid? Quis est iste thesaurus? Quomodo per claves aperiendus? Est ergo propositio ensis Aiacis se ipsum interimens.

Luth. Vides quam cultus, et vel Argo oculatior sit iste obeliscus. Nonne recte dixi in principio, videre Eccium in diebus carnisprivii inter pocula bene potum istos obeliscos fabricasse? Vel certe documento, sit unus Eccius, furorem et rationem non simul posse in eodem cerebro habitare.

Primum ex libro Priorum Aristotelis pugnat, clavis est instrumentum ad aperiendum thesaurum. Miror, eum non dixisse ad aperiendam cistam the-

---

*) 1. Cor. 1. **) Contra 60. Conclus. Lutheri.

1) Apud Loesch.: quis — clavem?

sauri. Si quidem et cistam esse aliud, quam thesaurum necesse est, deinde et seram. Atque si allegoriam vel metaphoram totam persequaris, totam supellectilem urbis Romae forte huc convehi oportet.

Deinde sibi ex eodem syllogismo acutissimo perplexus factus quaerit: Quomodo simul clavis aperiat et aperiatur, dum est simul clavis et[1]) thesaurus? Insulsissimus disputator, qui audit me negare thesaurum eum, quem ipse ponit. Ego enim distribuentem (id est, a Christo claves donatas) dico thesaurum, ipse autem per claves distributum ponit, id est, ipse distributum a papa, ego distributum a Christo.

Ultimo hanc propositionem ensem Aiacis asserit etc. Novus, pro hominum fidem, Aristarchus, imo novus Homerus. Quis enim unquam finxit, quod ensis Aiacis se ipsum, ac non potius, quo se Aiax interemit? Sed dandum est aliquid serotinae potationi. Voluit enim dicere, propositionem esse ensem Aiacis, scilicet qua me ipsum, non qua se interimeret, sicut Aiacis ensis non se, sed Aiacem interemit. Forte somnians illam bestiam, quae se ipsam comesset, et pro eadem in Aiacis ensem raptus.

XXIV. Obeliscus. *)

Ec. Evangelium esse thesaurum doctrinativum et instructivum credendorum, nemo negat, at ex eo thesauro praestari indulgentias, prorsus est ridiculum, cum neque papa largiens, neque sacerdos exsequens absolvendo huius meminerit, neque aliquis doctorum in materia indulgentiarum unquam seminaverit[2]), dempto illo novo propheta, qui egreditur terminos, quos constituerunt patres nostri.

Luth. Patres nostros, credo, Aristotelem, Porphyrium suosque sequaces vocat, qui non sunt novi prophetae, sed patriarchis vetustis, apostolis quoque et (ne nihil omittam honoris) angelis caelestibus sunt digniores, quos Eccius colat. Nam ecclesiasticos patres non ab eo notari hoc loco, etiamsi furat, concedet necessario.

---

1) Ibid. deest: et. 2) Ibid.: somniaverit.

*) Contra 66. Conclus. Lutheri.

Deinde eadem ebrietate mersus spumat me asserere iudulgentias de thesauro evangelii dari, quod nullus, inquit, largiens intendit. Ignosco carnisprivialibus disputationibus, quales nisi essent, poterat vel ex suis verbis supra dictis meminisse, me dicere, indulgentias non ex evangelio, sed ex clavibus donari. Has enim a me thesaurum indulgentiarum positas esse, supra satis intellexit, eumque thesaurum ab evangelico thesauro distinctum, sed clarius infra. Sed voluit ridiculum habere theologus pro festivitate dierum illorum Bacchanalium, quod, cum nusquam esset, finxit in meis positionibus.

XXV. Obeliscus.*)

Ec. Propositio plena veneno, quae seditionem excitare nata esset, non caritatem Christi augere. Quod si Lutherus pio afficiebatur amore, non coram pusillis (qui alioqui facilius scandalisantur), sed coram his, quorum interest, talia proponere debuerat, et forte quis scit, si Deus incrementum dedisset et profectum.

Luth. Gratias monitori tandem aliquando benevolo, sed praemissa rabie, Rogo, cur summus pontifex distin. 5. lib. 6. Cle. de abusionibus quaestorum severissime statuens, tam multis verbis non excitat seditionem, et omnia replet veneno, cum haec faciat asserendo et praecipiendo, quod ego paucis verbis tango, non nisi disputando? An nulli sunt quaestores, qui abutuntur suis facultatibus? aut de abutentibus nec disputare conceditur? An Eccius solus omnium tandem flagitiorum procedit patronus? An non est hoc veneno omnia replere, resistere vitiorum insectatoribus, imo pontificiis decretis? Theologus id docet et facit, si theologus dicendus est, qui tanta daemonia loquitur furibundus et anhelus.

Deinde unum rectissime dicit, me scilicet pusillis scandalum dedisse. Nam cum ego non lingua vulgari ediderim, nec latius quam circum nos emiserim, adde, solum doctioribus obtulerim, et amicis

---

*) Contra 67. Conclus. Lutheri.

eruditioribus, non invenio pusillos, nisi patres nostros, antiquos prophetas, id est, scholasticos magistros nostros eximios. At horum scandalum sciebam futurum, sciensque ac prudens contemsi, non solum in hac, sed in omnibus aliis meis positionibus. Recte, inquam, pusillos vocat, nec ad ullum aliud officium idoneos, quam ut scandalizentnr.

XXVI. Obeliscus.*)

Ec. Si haec vera sunt (papa dicit thesaurum indulgentiarum hauriri ex merito Christi), cur ergo Lutherus superius contradixit?

Luth. Egone, mi Ecci, statim admittere tibi videor, indulgentiarum thesaurum esse merita Christi, quia suadeo indulgentias cum reverentia permitti debere? Adeone idem est, indulgentias admittere, et indulgentias merita Christi appellare? Nonne et excommunicationis et absolutionis decreta, statuta, rursum abrogationes, declarationes, dispensationes papae oportet cum reverentia suscipere, et nullus tamen haec vocat merita Christi? Quomodo ergo tu somnias mihi ex logicissima logica tua me mihi ipsi contradixisse, quod superius negavi, indulgentias esse merita Christi, et hic dico eas esse admittendas? An te tuum Petrum Hispanum docere debeo, de propositionibus utroque termino participantibus? In qua vero bulla invenis papam dicere, indulgentias hauriri ex merito Christi, nisi in illa extravagante Cle. V[1]), de qua supra dixi, et suo tempore latius dicam?

Ec. Omnem poenam debitam relaxandam dicit papa, cur ergo Lutherus invitat ad solas poenas arbitrio papae impositas? Ita per alias pergas conclusiones superiores.

Luth. Non papa, sed Eccius dicit, omnem poenam relaxandam. Cur autem ego id dicam, supra satis dixi, Quia non scholastica, sed ecclesiastica quaesivi, non frivolos superiorum declaratores, sed approbatos ecclesiae autores.

---

*) Contra 69. Conclus. Lutheri.
1) In ed. Witt. et apud Loesch: VI.

XXVII. Obeliscus.*)

Ec. Propositio sonat falsa, et capitis ecclesiastici derogativa. Verum, si personas privatas Petri et papae aspicit, vera est propositio, si vero autoritatem papalem attendit, minime est attendenda.

Luth. Quid audio? Ergo Petrus papa non habet maiores gratias, quam indulgentias? Forte quo Eccius propius accedit fini, eo insanit liberius, et loquitur venenatius.

Ego hanc conclusionem (ut scias, Ecci) ita defendo, ut si tu ex animo contradixeris, non Bohemicum haereticum (hic enim sacramenta omnia admittit), sed communem totius ecclesiae hostem te appellabo et probabo. Quis enim uspiam Christianorum feret, ut papa seu S. Petrus non habeat maiores gratias, quam indulgentias? Ergo indulgentiae sunt plus, quam baptismus, confirmatio, eucharistia, evangelium, potestas iudicandi, et omnia maxima. Vere itaque est blasphemia in S. Petrum et papam dicere, quod indulgentiae sint maximae omnium gratiae.

Quod si hunc sensum Eccius non habuit, debuit temeritatem suam digerere prius, et non tumultuarie, sed theologice contra definire, nec antequam intellexisset. Ego enim contra eos posui, qui indulgentias istas sic ebuccinant, ut audeant statuere, non posse papam maiores dare, cuius sententiae meae contrarium (ut video) Eccius hausit, nihil intelligendo, dum nimis intelligit.

XXVIII. Obeliscus.**)

Ec. Contra facit haec disputatio, et temeraria indulgentiarum vilipensio, ut non a calumniis tantum, sed vix a gladiis argutorum laicorum Ecclesiastici defendi possint.

Luth. Sicut peaecedens, ita et iste obeliscus valet multum, imo totum ab adulatione summi pontificis. Sic enim solent indocti asini (id est scho-

*) Contra 77. Conclus. Lutheri. **) Contra 81. Conclus. Lutheri.

stici)[1]) disputare, ut quod nec scripturis, nec autoritate, nee ratione possunt convellere, id adulatione pontificis impugnent, nihil solliciti, quam vere, sed quam placite dicant, modo triumphi spes vel falsa arrideat.

Id tamen spero, vel scholasticae suae theologiae gratia mihi concedet fabulator noster, quod indulgentiae non sint[2]) meritoriae, nec ad salutem necessariae. Quod si ita est, spero mihi licere eas omittere, nec me cogi, ut redimam. Ideo non esse vilipensionem earum in me temerariam, sed vecordem et contumeliosam Eccii invidiam, quae licentiam pro temeritate interpretetur. Dico denique (etiamsi rumpantur ilia Codro) velle me, ut nullae essent usquam indulgentiae et exspecto declaratorem non frivolum, an sic sim haereticus.

Porro id quod ait, ecclesiasticos vix defendi a gladiis laicorum, iste est alter nervus, et communis locus omnium argumentorum scholasticorum. Ecclesiasticos quidem defendi facillimum est: Christus enim eis praesens est. Scholasticos autem periclitari nihil mirum est, quando solo Aristotele duce tuti sunt. Deinde nihil aliud moliuntur, quam tyrannidem, id est, ut theologia in nova vocabula effusa a populo non intelligatur: deinde negotium indulgentiarum ita abscondatur, ut nec ipsi intelligant, quid valeant, satis habentes, quod populo non licet haec nosse, nec nos quaerere, ne forte lucrum minuatur. Cuius id est evidens argumentum, quod in re non necessaria nec meritoria tantum impenditur studii et laboris, in necessaria vero nihil omnino.

XXIX. Obeliscus.*)

Ec. Respondere in has quaestiones facillimum, verum haec brevitas subitariae scriptionis non patitur: tamen possunt omnes quaestiones hae sufficienter et vere solvi ratione, non sola potestate, ut ille divinat.

Luth. Possunt solvi ratione, Cur ergo solvunt commissarii sola potestate, nil nisi[3]) fulmina et

---

1) In ed. Wittenb. et apud Loesch.: non dico scholastici. 2) Ibid.: non sunt. 3) Loesch.: nisi nil.
*) Contra 82. *Conclus. Lutheri.*

ignes trementi populo intentantes, si quis vel mutierit contra eiusmodi quaestiones, credo solvi posse sufficienter, id est, scholastice, et non frivole, hoc est, verba possunt garriri, et non intelligi. Sed in probationibus latius.

XXX. Obeliscus.*)

Ec. Christum imitari per tribulationes, perfectionis est, at pro pace et tranquillitate orare, illam petere et quaerere, sacra scriptura clamat et docet, quod et docuit Christus, cum orare debeamus: Libera nos a malo, quod mille autoritatibus scripturae possem ostendere, nisi in veteri testamento ubique foret testatissimum.

Luth. Turris, scilicet, David est Eccius, ex qua mille clipei autoritatum pendent, non contra bellum, sed pro pace. Sit ergo finis crucis, et nemo aliquid patiatur, atque cum pace et voluptate, id est, remissione poenarum, intremus in Regnum coelorum securi. Melius forte fuerit, ut mentiatur Deus, quando dixit: Ego quos amo, castigo, quam ut patres nostri Aristotelici non maneant in limitibus suis, quos constituerunt nobis.

Pudet me tam insulsae et ineptae fabulae. Theologus est Eccius, et nescire studio nititur, quod Christianorum pax est gloria conscientiae, quam nullae dare possunt indulgentiae, sed remissio culpae sola per gratiam. Pax vero exterior et illa quoque, quam indulgentiae conferunt, mors est et litera occidens. Verum noster acutissimus obelophrastus persecutiones externas solum somniat, at sit aliquando finis cum temerario, ignaro, inexperto, id est, scholastico theologo loquendi. Finis. X. Augusti Anno M. D. XVIII.[1])

---

*) Contra 92. Conclus. Lutheri.

1) In ed. Wittenb. et apud Loesch.: Anno MDXVIII. X. Augusti. Finis.



D. MARTINI LUTHERI

OPERA LATINA

VARII ARGUMENTI

AD REFORMATIONIS HISTORIAM

IMPRIMIS PERTINENTIA.

CURAVIT

Dr. HENRICUS SCHMIDT,

SCHOLAE LATINAE ERLANGENSIS PRAECEPTOR.

VOLUMEN II.

CONT. SCRIPTA LUTHERI A. 1518 et 1519.

FRANCOFURTI AD M. ET ERLANGAE.

SUMPTIBUS C. HEYDERI ET H. ZIMMERI.

MDCCCLXV.

ERLANGAE TYPIS JUNGE ET FILII.

Index

Scriptorum V. A., quae tomo secundo continentur.



Responsio F. Martini Lutheri,

Augustinensis Vuittenbergae, ad Dialogum Silvestri Prieriatis, Magistri Palatii, de potestate papae.

De ortu huius Responsionis iam in iis locuti sumus, quae de Dialogo Silvestri Prieriatis in M. Lutheri conclusiones de potestate papae disputavimus. Ea velimus huc conferas. In reddendo textu secuti sumus editionis originalis exemplar, quod Lutherus ipse sua manu haec adscribens: „D. Doctori Christophoro Scheurl F. M. L." amico clarissimo Norimbergensi misit, cuius titulus est:

Ad Dialogum Sylvestri Prieratis Magistri Palatii de potestate Papae Responsio F. MARTINI LUTHÆR Augustinensis, Wittenberge. 4.

Quamquam neque quo loco neque quo anno hic liber excusus sit in titulo indicatur, tamen ex signis typographicis, quibus tituli pagina ornata est, certo colligi potest, hunc non minus quam Dialogum Silv. Prieriatis, quem supra reddidimus, Lipsiae in officina Melchioris Lottheri typis excusum esse. In bibliotheca Scheurliana Norimbergensi hoc libri exemplar volumini librorum intersertum est, qui anno 1518 prodierunt.

Reperitur hic liber etiam in antiquissimis scriptorum Lutheri collectionibus, quae a. 1519 et 1520 prodierunt. Separatim bis postea excusus est sub his titulis:

Ad Dialogum Silvestri Prieratis, Magistri Palatii, de potestate Papae Responsio F. Martini Luther Augustinensis. Wittebergae 1520. 4. (v. d. Hardt Autogr. Luth. III, 37. Panz. Ann. typ. IX, 101.)

Ad Dialogum Syluestri Prieratis Mgri Palatij de potestate Pape, Responsio F. Martini Luther Augustinensis, Uuittenbergae. (s. a.).

Latine legitur in collect. Opp. Luth. Jenensi I, p. 45 sqq., Wittemb. I, 170 sqq. (Loescheri Reform. Act. II, 390 sqq.), Germanice apud Walch. T. XVIII, p. 120 sqq.

Haec Lutheri Responsio, primum mense Augusto a. 1518 una cum Dialogo Silv. Prieriatis excusa, et, quum mox esset divendita, iam mense Septembri eiusdem anni typis recusa (Luth. Epp. ed Aurif. I, 81. de Wette I, 141), paulo post in Silvestri manus perlata esse videtur. Is primum ad eam tacere neque quidquam rescribere, et alius quidam Dominicanus, Parisiensis, cui nomen erat Cypriano, pro eo respondendi partes Papae iussu suscipere voluisse dicitur, namque Lutherus d. XIII m. Oct. (die V post Dionysii) anno 1519 Spalatino suo haec scribit: „Silvester Prierias meus tacet (ipso referente), alius autem Cyprianus frater Parisiensis scribit contra me, mandato Papae, sed invitus: dixisse enim eum refert (ut illius verba ponam), Papa vult scribam, sed facio male libenter. Frater ille verbosus est, non tacebit. Dialogus meus durus est illis et Romae bene notus (Luth. Epp. ed. Aurif. I, 211. de Wette I, p. 345.).“ Postea autem consilio mutato Silv. Prierias ea, quae Lutherus in Responsione contra se, ut ait, dixerat, distinxit ab iis, quae contra dicta sua attulerat, atque tunc primum ea, quae ille adversus se dixisset, refutare in animum induxit, reliqua, quae adversus dicta sua attulisset, in aliud tempus procrastinaturus erat refellenda. Mense igitur Novembri anni 1519 ille, ut Walchius censet (Opp. Luth. T. XVIII, p. 23), Romae libellum edidit, qui inscriptus erat: „Replica Silv. Prieriatis ad Martinum Lutherum.“ Eum Lutherus in Germaniam allatum

extemplo typis recudendum curavit praefatiuncula brevi adiecta. Titulus eius editionis hic est:

„Replica. F. Syluestri Prieriatis, sacri Palatij Apostolici Magistri, Ad F. Martinum Luther Ordinis Eremitarum.
Martinus Luther, Optimo Lectori Salutem.

Has Syluestri mei Replicas, tibi: optime lector: enixe commendo. Commendatione enim mirum in modum indigent, vel hoc nomine, quod minas, nescio quas, parturiunt. Ora (quaeso) pro ipsis, ne abortiant. Bene vale et Theologorum eiusmodi miserere." —

Folia sunt quatuor formae quartanariae, sine loco et anno. In bibliotheca Scheurliana hic libellus intersertus est volumini, quo libri complures Lutheri, qui anno 1519 prodierunt, continentur. Nos in reddendo textu secuti sumus hoc Scheurlianae bibliothecae exemplar, quod Wittembergae typis impressum esse videtur.

Aliae editiones originales huius libelli sunt:

Sylv. Prieratis Replica adversus Lutherum. (s. l.) 1520, 4. (Panzer Ann. typ. IX, p. 125.)

Replica F. Sylvestri Prieratis, sacri Palatii Apostolici Magistri, Ad F. Martinum Luther Ordin. Eremitar. Martinus Lutherus optimo Lectori salutem etc. cum praefatione Lutheri. 4. (Wittembergae 1522.) (Panzer Ann. typ. IX, 82.)

Legitur haec Replica etiam in collectione principe scriptorum Lutheri, quae anno 1519 mense Augusto forma quartanaria prodiit, et in collect. Jen. I, 61 sqq. Wittemb. I, 185 sqq., Germanice apud Walch. T. XVIII, p. 200 sqq. Loescherus, cuius in manibus etiam exemplar Germanicum erat, reddidit Replicam Latina lingua in Act. Reform. III, p. 892 sqq.

In ed. Jenensi Opp. Luth. a. 1556 ineuntis huius Replicae margini adscripta est nota: „Silvestri insania sub prelo est (die 25. Oct. anno 1518)" allata ex epistola, quam Lutherus feria quarta post Cor-

poris Christi (d. XIII m. Junii) a. MDXX ad Spalatinum dedit (Luth. Epp. ed. Aurif. I, p. 268. de Wette I, p. 454). Falso autem adscripta est haec nota, nam cum hanc Replicam Lutherus iam anno 1519 typis recudendam curasset, illa nota referenda est ad alterum scriptum Sylv. Prieriatis, quod nos Replicae adiunximus, cuius titulus est:

Epitoma Responsionis ad Martinum Lutherum.

Silvester enim Prierias, cum ea, quae Lutherus in Responsione ad Dialogum suum conscripserat, in ... divisisset, quae adversus se et quae adversus dicta sua attulisset, atque ad illa in Replica, ad haec alio tempore se responsurum praedicasset, primo maius opus molitus esse videtur ad Lutheri dicta refellenda, sed postea, cum hoc difficilius ac molestius susceptum cognovisset neque satis mature perficere posset, commenta, quibus Lutheri iacula, ut ait, in dicta sua vibrata atque contorta reiecturus erat, tantummodo adumbrasse atque compendiose conscripsisse videtur, et haec adumbratio scripti grandioris adversus Lutheri dicta constituti primum prodiit sub titulo:

Silvestri Prieratis Epitoma responsionis ad Lutherum. Perusiae typis invigilante et accurante F. Gaspare de Perusia Ord. Praed. cum duobus ex ordine sodalibus sibi adscitis per Hieronymum Franciscum Cartularium dicti F. Gasparis fratruelem. 1519. fol.
(Panz. Annal. typ. VIII, 224.)

Hunc librum medio fere anno 1520 in Germania innotuisse et Lutherum statim typis eum divulgandi consilium cepisse cernere licet ex epistola, quam (mense Junio) a. 1520 ad Spalatinum dedit, ubi haec leguntur: „Mitto litteras Nurmbergensium, mi Spalatine, cum Silvestrina ἐπιτομῇ, quam ipse epitoma vocat, homo graeco barbarus et latino coquus *). Tu statim remitte: excudetur mox in laudem et gloriam omnium hostium veritatis cum

*) Alludit hic salibus, quos Basileenses in edendis Lu-

adnotationibus meis. (Epp. Luth. ed. Aurif. I, p. 289. de Wette I, p. 452)".

Lutherus igitur paulo post istum Silvestri libellum cum prologo, epilogo glossisque typographo excudendum tradidit, nam iam d. XIII m. Junii a. 1520 (feria quarta post Corporis Christi) Spalatino scribit: „Silvestri insania sub prelo est" (Luth. Epp. ed. Aurif. I, p. 267, de Wette I, p. 454). Nullam aptiorem fore putabat harum blasphemiarum confutationem, quam si istum libellum nudum invulgasset. In prologo enim, „Quid confutem, inquit, rabiem blasphemi Satanae tam manifestum? Optima erit confutatio, si libellum ipsum, ut editus est, nudum invulgavero, secum habet suam confutationem, plus quam optare queam, potentem." Atque Papa ipse Silvestro Prieriati silentium posthac indixisse fertur, id quod Seckendorfius in Hist. Luth. Lib. I, p. 40 ex epistola quadam Erasmi a. 1527 scripta refert.

Prodiit hic libellus Wittembergae 1520 forma quartanaria sub hoc titulo:

Epitoma Responsionis ad Martinum Luther. Vuittenbergae, ad laudem ét gloriam omnium hostium Christianae veritatis. Anno, M. D. XX.

Asservatur huius libelli exemplar in bibliotheca regia Monacensi, cuius titulo primus possessor atramento versum et praefixit et submisit, ut nunc titulus ibi sic legatur: (Silvestri de Prierio) Epitoma

---

theri operibus sparserunt, et de quibus Lutherus ipse d. 20 m. Febr. a. 1519 Staupitio sic scribit: „Vellem videres opuscula mea Basileae excusa, ut videres, quid eruditi homines de me, Eccio, Silvestro scholasticisque theologis sentiunt. Salsissimi enim Silvestrum appellant magirum palatii pro magistrum palatii (est autem magirus graece, coquus latine) studioso errore errantes : et aliis annotationibus satis acutis eum taxant. Quae res Romanis proceribus male dolebit." (Luth. Epp. ed. Aurif. I. p. 152. de Wette I. p. 232 coll. Luth. Epist. Lango data. Aurif. I, p. 163. de Wette I. p. 256.)

Responsionis ad Martinum Luther (ab ipso Martino Luthero editum).

Aliae huius scripti editiones a viris doctis sic laudantur:

Epitoma responsionis Silvestri Prieratis ad M. Luther. Praecedit cum epistolis et glossis — Lutheri Epistola ad Lectorem. Vuittembergae, ad laudem et gloriam omnium hostium Christianae veritatis. Anno M, D, XX. 4.

(v. d. Hardt Autogr. Luth. I, p. 102. Panzer Annal. typ. IX, 77 coll. Walchii introd. in T. XVIII, p. 24.)

Epithoma responsionis ad Martinum Lutherum per Fratrem Sylvestrum de Prierio. Martini Lutheri Epistola ad Lectorem. (s. l. et a.) 4.

(Panz. Ann. typ. IX, 190.)

Legitur hic libellus Latine etiam in collect. Jen. I, p. 64 sqq., Wittemb. I, p. 188 sqq., Germanice apud Walch. T. XVIII, p. 2112 sqq. Nos textum reddidimus secundum exemplar Monacense, quod modo laudavimus, collatum cum ed. Jenensi et Wittemberg., et hunc libellum, quamquam anno demum 1520 primum typis excusus est, seiungere noluimus a reliquis Prieriatis scriptis, quippe qui artissimis vinculis cum illis cohaereat.

Responsio F. Martini Lutheri,

Augustinensis Vuittenbergae, ad Dialogum Silvestri Prieriatis, Magistri Palatii, de potestate Papae.

Reverendo in Christo Patri Sylvestro Prieriati, ordinis Praedicatorum, S. Theologiae Professori celeberrimo sacrique Palatii Apostolici Magistro, F. Martinus Lutherus Augustinianus, aeternam in Christo salutem.

Pervenit *) ad me **), reverende pater, Dialo-

*) Adnotationes, quae adiiciuntur, sunt ex editione *Jen.* 1564 repetitae. **) Lutherus Georgio Spalatino in epi-

logus ille tuus satis superciliosus, et plane totus Italicus et Thomisticus, in quo etsi causaris, te iam senem armisque desuetum denuo meis verbis ad certamen impelli, tamen velut Entellus ille de me Darete (ut ais) referre paras victoriam insperato, nisi quod eo ipso Dareta magis quam Entellum exhibes, quod rumores ponis ante salutem, et (ut dicitur) Encomium ante victoriam. Age igitur, fac quod facis, fiat voluntas Domini, Vale.

Omitto fundamenta tua, quorum intelligentiam magis suspicor, quam capio. Et more exemploque tuo mihi quoque fundamenta iaciam, necesse est.

Primum est illud B. Pauli *): Omnia probate, quod bonum est tenete, et Gala. 1: Si angelus de coelo aliud vobis evangelizaverit, quam accepistis, anathema sit.

Secundum est illud B. Augustini ad Hieronymum: Ego solis eis libris, qui canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum scriptorem eorum errasse firmissime credam. Ceteros autem, quantalibet doctrina sanctitateque polleant, non ideo verum esse credo, quia illi sic senserunt etc.

Tertium illud Cle. de poe. et re. Ca. abusionibus: Quaestoribus nihil licere (in veniis praedicandis) proponere populo, quam quod in eorum literis continetur, hoc est, quod tu dicis, ea, quae ecclesia de facto facit.

His fundamentis, si me intelligis, simul intelligis, totum tuum dialogum funditus eversum. Nam tu perpetuo pro verborum textu non nisi nuda verba ponis, aut solas opiniones divi Thomae mihi nunc demum decantas, qui aeque (ut tu) nudis verbis

---

stola, cuius initium est: Opera tua nunc etc., haec scribit: Dialogo Silvestrino, vere silvestri et inculto, iam respondeo, quod totum mox habebis, ut paratum fuerit, Die S. Cyriaci. (d. 8. Augusti m.) Anno 1518, et in epist. ad Spalatinum data: Mitto nugas meas nugacissimas et extemporalissimas adversus Silvestrum biduo effusas. Pridie Cal. Septembres 1518. — *) I. Thess. 5.

incedit, sine scriptura, sine patribus, sine canonibus, denique sine ullis rationibus. Ideoque meo jure, id est, Christiana libertate, te et illum reiicio et nego. Imo ita cogit me autoritas fundamenti primi et tertii, et suadet exemplum Augustini in fundamento secundo. Nam si apud iureconsultos proverbium recipitur: Turpe est iuristam loqui sine textu, tu vide, quam sit honorificum, theologum (qui maxime omnium debet) loqui sine textu, quem apostolus iubet calceatum esse pedibus in praeparatione evangelii*), et episcopum potentem, non in syllogismis et opinionibus hominum, sed in doctrina sana, nimirum ea, quam alibi divinitus inspiratam**) vocat. Hoc enim consilium si fuisset servatum, minus nunc ecclesia haberet inutilium quaestionum et opinionum, et plus evangelii et Christianae veritatis. ***)

Jam accedamus, et iudicemur simul.

Primo, quatuor falsitates in tribus primis conclusionibus a me comprehensas pronuncias. Primam, quod salvator impossibile iusserit, scilicet fideles omni tempore habere actum poenitentiae, interioris vel exterioris. Cum enim dicat: Agite, non loquitur de habituali interiore poenitentia, quae sola perpetua est, et consequenter loquitur de actuali interiori vel exteriori. Agere enim vel actus vel non sine actu est. Haec tua. Vere tua sunt, id est, adeo scholastica et thomistica, imo aristotelica, ut me pigeat et taedeat ea confutare [1]). Rogo, ubi hic scriptura, patres aut canones sonant?

Deinde miror, quod iuxta peripateticam istam theologiam verbum illud, agite, non ad solam internam actionem retulisti. Item, quod si et ego tua industria usus te calumniarer, et dicerem, Omnem vitam (quod ego posui) non esse idem, quod omni

---

*) Ephes. 6. **) 2 Tim. 3. ***) Inutilium quaestionum et opinionum origo.

1) In ed. Jen.: refutare.

tempore (quod tu interpretaris), sed tamen admitto nec duriter agam tecum, reverebor canos tuos et dignitatem tuam. Rem ipsam tueri conabor, ideo paulo fusius hic tecum fabulabor, ut iam secundo totum tuum dialogum subvertam.

Primum, falleris, reverende pater, in verbo, agite, quasi id actum importet, quem contra habitum distinguas. Idem est enim, agite poenitentiam, quod, poeniteat vos, seu, ut ausus est interpres latinus Act. 2: Poenitemini et salvamini etc. Nam et Graeci μετανοεῖτε [1]) (quod, poenitentiam agite, transferunt) resipiscite, seu ad mentem et cor redite, significat.

Secundum, habitualis illa poenitentia *), nec a vobis intelligibilis, nec vulgo tradibilis, nulla est apud me, sed a vobis conficta ex Aristotele, praesertim si qualitatem quandam in anima perpetuam et otiosam intelligitis. Aut doce eam ex scriptura, patribus, canonibus, rationibus. Nolo (ut scias) te aut S. Thomam nudos habere magistros in his rebus, quae ad animam pertinent, quae solo verbo Dei vivit et pascitur, ideoque unus est eius magister Christus. Hunc autem in te loquentem non audio, sed Aristotelem et hominem.

Tertium, pessime facis, quod negas salvatorem impossibilia iussisse, plus quam pessime facis, quod hoc falsitatem audes appellare. Ideo enim semper orare oportet: Dimitte nobis debita nostra, quia nunquam facimus aut implemus mandata Dei.**) Nec possumus in hac vita implere, sicut B. Augustinus locupletissime contra Donatistas et Pelagianos testatur. Sed et Paulus Roma. 7. queritur, se captivari in legem peccati, et non facere bonum quod vult; similiter et Gala. 5: Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, haec enim sibi adversantur, ut non ea, quae vultis, fa-

---

1) In edit. princ.: Metanoite.

*) Poenitentia habitualis a scholasticis conficta. **) Nunquam implemus mandata Dei.

ciatis. Istae sunt inimicitiae, quas posuit Deus inter semen serpentis et semen mulieris *), id est, inter carnem et spiritum, inter concupiscentiam et caritatem. Quod ergo non omni tempore poenitemus et resipiscimus, vitium est, licet impossibile sit fieri, conclusit enim Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur **).

Quartum, omnes doctores ecclesiastici sentiunt mecum, nullus autem tecum. Sic [1] enim B. Augustinus totam fidelium vitam crucem et martyrium esse pronunciat ***), quemadmodum et Hiob 7. militiam seu tentationem vocat vitam hominis super terram. Et B. Bernardus: Stare in via Dei, et non proficere est deficere. Et alibi: Ubi incipis nolle fieri melior, desinis esse bonus. Et hoc est, quod in Psalm.: Vita iusti vocatur via, semita, non domus aut status, ut vitam eius quendam cursum et non statum esse doceat. Sicut de Christo omnium iustorum archetypo dicit: Exsultavit ut gigas ad currendam viam. Sed hanc viam semper currere non potest homo, nisi dilatetur cor eius, iuxta illud †): Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Haec est illa renovatio mentis, quam apostolus Paulus ††) (non ut tu) intermittendam, sed de die in diem, de claritate in claritatem, in eandem, quae in Christo est, formam promovendam docet: sed non ex nobis, imo sicut a spiritu Domini etc. quia praeceptum est impossibile etc.

Quintum, in omni bono opere potius aguntur, quam agunt filii Dei, sicut Rom. 8. dicit: Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Et ea opera (omnium, qui remotiorem theologiam gustaverunt, iudicio) sunt optima, quae sine nobis in nobis operatur Christus, et ea fere pessima, quae iuxta Ari-

---

*) Gene. 3. **) Rom. 11. Gala. 3. ***) Vita fidelium crux est.

†) Psalm 19. 119 ††) 2. Cor. 1.

1) In edit. Jen.: sicut.

stotelis pessimam doctrinam, nobis eligentibus et (ut vocant) libero arbitrio mediante, operamur. Sic enim fit, ut optime ieiunet, qui alia meliora meditatus ne cogitat quidem an ieiunet, hic enim longissime omnium ab edendi cupiditate separatur; non autem ita, qui se sentit, et proponit ieiunare. Ita qui sancta meditatur, aut ea, quae suae sunt vocationis, operatur intentus, quibus, cum se [1]) a vitiis abstrahit, vel abstractum conservat, sine dubio verissime poenitet, si tamen id amore Dei, non sui causa faciat, quia id demum est vivam et veram poenitentiam agere *), animum [2]) a vitiis propter Deum separare, et separatum servare, magisque separare. Tu vero, qui sacramentalem illam et initialem poenitentiam ob oculos tantum versas, cuius fervor et tumultus durare non potest sine miraculo, invenisti impossibilitatem.

Secundam falsitatem meam ita pronuncias: Verbum Christi dicentis, Poenitentiam agite, non potest intelligi de sacramentali poenitentia. Hanc falsitatem esse sic ostendis. Tripliciter, inquis, poenitentia dici consuevit. Primo est virtus quaedam, cuius obiectum est peccatum, sua ratione emendabilis, actus vero eius est dolor voluntatis de peccato. Ipsa vero est habitus moralis, eliciens dictum actum respectu praedicti obiecti. Secundo poenitentia est sacramentum, cuius partes sunt contritio, confessio, satisfactio. Tertio accipitur vulgariter pro satisfactione iniuncta a sacerdote, et omni carnis mortificatione etc. Haec Silvester.

Martinus. [3]) Istene est, quaeso, caestus ille immani corpore Entellinus, quo audaculum hunc Dareta cruentabis? Doleo et iam poeniteo, me adeo contempsisse quendam tuae sectae fratrem in nostra Germania, qui contra meas easdem positiones et ridicule et inepte pugnavit, longe tamen acutius et

---

1) In edit. princ. deest: se. 2) In edit. Jen.: animam. 3) Ibid.: Lutherus.

*) Agere veram poenitentiam.

doctius, quam tu. Et nisi canos tuos vererer (sicut me decet), profecto hanc tuam distinctionem pro dignitate tractarem.

Primo, quis dedit tibi, aut divo Thomae hanc potestatem, ut verbum simplicissimum simplicissimi et unici doctoris Christi in tres divideres sectas? Hoccine est scripturam interpretari, an potius dilacerare? Qua scriptura, quibus patribus, quibus rationibus hanc distinctionem stabilies, quaeso? Thomae non credo, Silvestrum, etsi Palatii magistrum, nego.

Secundum, iterum ructuas Aristotelicam philosophiam de virtute morali, de objecto, de actu elicito, quasi ego talia nunquam audierim, deinde quae talia sunt, ut in populo doceri non possint, nec ad scripturae intelligentiam utilia, portenta duntaxat verborum, non nisi ad contentiones fovendas conficta.

Tertio, poenitentiam, virtutem, dolorem voluntatis definis. Qua, rogo, autoritate? Tua? Quid haec ad Martinum [1])?

Quarto, quod est omnium acutissimum, imo immanissimus caestus Entelli, quod poenitentiam primo modo virtutem distinguis a poenitentia tertio modo, quam vocas omnem carnis mortificationem. Ergo poenitentia virtus non mortificat carnem? Quid ergo facit? Vivificat carnem, vel sinit vivere carnem? Quod autem non mortificet carnem, tua illa probat acutissima distinctio, quia poenitentia primo modo non est poenitentia tertio modo. Hoc sic intelligo: Poenitentia dolor voluntatis, qui vere mortificator carnis est, non mortificat carnem. Si haec Germanus diceret, frigidum coelum culparem, nunc quia Italus haec dicit, sub ardenti coelo degens, quid praetendam, non invenio, nisi quod verum te in epistola dicere credo, scilicet te et senem esse et in commentariis Thomae non tam implicitum, quam immersum, imo submersum credo.

---

1) Ibid.: Lutherum.

Quinto, poenitentiam secundo modo satisfactionem etiam esse dicis. Item tertio modo satisfactionem esse dicis. Et primo modo, si est dolor voluntatis, non potest fieri, quin et ipse dolor satisfactionem operetur. Rogo, quot nobis tandem distingues satisfactiones? Haec ideo impugno, ut hanc tuam distinctionem denuo septem aliis nove confictis distinctionibis defendas, more sacrae scholasticae theologiae, et tum dicas, omnes nihilominus in verbo Christi intellectas, ut persuadeas mihi, doctrinam Christi sine Thomae et Silvestri distinctionibus intelligi non posse, id enim opus est, ut persuadear, qui Christum nisi sine Thoma intelligi vix credo.

Sexto, libera me, quaeso, ex his angustiis meis. Si verbum Christi potest intelligi de sacramentali poenitentia, praesertim tertia eius parte, id est, satisfactione, verbum autem Christi est praeceptum immutabile *), quomodo fit, ut sacerdotalis potestas sacramentalem satisfactionem mutet, dando indulgentias et remissiones satisfactionis? Nonne vides vel aliam esse satisfactionem sacramentalem quam papa remittit, scilicet ecclesiasticam, vel si eadem est, nullas esse prorsus remissiones, et indulgentias esse meras illusiones, et simulatas remissiones? Non enim remittere potest homo, quod Deus praecepit et ligavit.

Septimo, si satisfactio comprehenditur in poenitentia secundo et tertio modo, utraque autem est, quae a sacerdote iniungitur, rogo, quomodo stabit haec distinctio? Sacramentalis enim satisfactio non est, nisi quae a sacerdote imponitur, et eadem est (te autore), quae tertio modo accipitur. Iure mihi veniam dabis, si haec non capio. Aeneum enim caput et nasum ferreum habeo, id est, indocile et incapax tantae tuae theologiae ingenium, si ita placet.

Tu nunc vide, quomodo verbum Christi non

*) Verbum Christi immutabile praeceptum.

solum posse, sed debere etiam intelligi de qualibet harum trium poenitentiarum contendas.

Tertiam falsitatem meam persecutus dicis: Tertia falsitas est ad hominem, id est, ad te, quod scilicet Christus non intendit loqui solum de interiore poenitentia. Hoc enim in se quidem verum est, sed tibi, qui vis Christum his verbis indicere poenitentiam in omni vita, de exteriori non potest intelligi, quam oportet intercidere somno et gaudio, gaudendo cum gaudentibus et huiusmodi. Unde tibi solum de interiori potest intelligi, non omni, sed habituali, quia etiam interiorem actum liberi arbitrii dormientes necessario intercidimus. Haec Silvester.

Credo[1]) haec tibi acuta et firma videri. Placet autem, quod dicis falsitatem esse ad hominem (id est, ad faciem et apparentiam), revera autem validissimam veritatem. De habituali poenitentia, et omni vita agenda supra satis dixi, quae etsi non fit omni vita, debet tamen fieri omni vita, ideo enim peccamus, quamquam ii[2]), qui sunt in gratia, nullo momento sunt sine poenitentia*), tam exteriori quam interiori, quia sanctificant se ab omni inquinamento carnis et spiritus, licet et[3]) carnificinam illam confictamque hypocrisin non faciant.

Id non satis admirari possum, quod aperte negas poenitentiam in gaudio agi posse, cum poenitentia**) eo sit purior, quo fuerit hilarior et iucundior, Hilarem datorem diligit Deus. Sed apostolum, quaeso, reprehende, qui Thessalonicensibus praecipit: Semper gaudete in Domino***). Et Psalm.†): Semper laus eius in ore meo. Dic, rogo, ut aliquando etiam plorent, et maledicant in Domino. Igitur semper in Domino gaudendum, semper in nobis plorandum. In Deo habemus,

---

1) In ed. Jen. legitur: Luth. Credo etc: 2) Ibid.: hi. 3) Ibid. deest: et.

*) Homines in gratia existentes non sunt sine poenitentia. **) Poenitentia hilaris ***) Thess. 4. †) Psalm 34.

unde gaudeamus, in nobis, unde lugeamus. Ideo sit gaudium in luctu, et luctus in gaudio*), gaudium in abscondito, luctus in cognito. Sed haec non sunt scholastica, ideo differo in aliud tempus.

Quod vero dicis: Vel in somno intercidere necessario actus poenitentiae, agnosco egregium Aristotelem in te ex Ethicis suis fabulantem, ubi dicit, quod miser et felix dimidio vitae nihil differunt, uterque enim dormiunt nocte, id est, nihil agunt vel felicitatis, vel infelicitatis. Quomodo potest tibi vera theologia placere, cui placet tam insipiens philosophus? Audi apostolum Paulum ad Roma. 14: Qui manducat, Domino manducat, qui non manducat, Domino non manducat, et iterum: Qui vivit, Domino vivit, qui moritur, Domino moritur. Sic et ad Corinthios**): Non estis vestri, emti enim estis pretio magno. Hunc, rogo, liceat imitari et dicere: Qui dormit, Domino dormit, qui vigilat, Domino vigilat. Et alibi: Sive comeditis, sive bibitis, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Domino autem dormire, credo, non negabis esse Dei voluntati parere, voluntati autem Dei parere optima certe poenitentia et a vitiis purgatio est. Puto etiam, quod dormiens vivat, si vivit, certe Domino vivit, ut hic dicit apostolus.

Item quomodo audes dicere, dormientem fidelem esse vacuum actibus bonis, qui tum maxime bonis actibus plenus est, quando Deum in se quieto agere patiatur, et sabbatum Domini celebrat? Sed sisto, nescio enim an thomistica theologia hanc theologiam unquam senserit, Paulina est enim, non peripatetica.

Quartam falsitatem meam tandem hanc ponis; quod poenitentia interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes. Sic enim ego posui. Imo, inquis, exterior poenitentia nulla est sine interiore, interior autem sola potest hominem salvare. Sed hanc falsitatem meam tu ipse tollis et dicis, potest tamen hoc dictum tuum verum, et

---

*) Luctus in gaudio. **) 1 Cor. 6.

a Salvatore intentum habere sensum, scilicet, quod omnis interior poenitentia operatur varias carnis mortificationes exterius, id est, pro loco et tempore etc. Gratias ago tandem, quia defendis me.

Hic concordamus aliquantum, sed rursum repente dissentis, dicens: Hic autem sensus tibi videtur impossibilis. Hic ego: Tibi videtur impossibilis, mihi vero est non tantum possibilis, sed et inesse semper, ut peripatetice tecum loquar, quia omnia iusti opera sunt poenitentiae*), id est, mutationes et renovationes de die in diem. Haec autem non possibilia modo, sed necessaria quoque sunt, nisi sis de nonaginta novem iustis, qui poenitentia non indigent, aut socius Pharisaei, qui non est sicut ceteri hominum. Nam nos cum ecclesia congemimus assidue**): Erravi sicut ovis quae periit, quaere servum tuum. Et cum publicano vocem turturis sonamus: Deus propitius esto mihi peccatori. Et cum Hiob: Veremur omnia opera nostra, et: Dimitte nobis debita nostra, cum omnibus Sanctis dicimus, non solum verbo, sed corde et opere. Semper enim in timore Dei agimus, timor autem principium est sapientiae***), id est, mutatio de insipientia ad sapientiam, quae est verissima poenitentia. Factis ostendit se non egere poenitentia (ait Bernardus), qui non assidue ad poenitentiam festinat. Tuam tamen sententiam non damno, qui non novisti aliam, quam sacramentalem illam et nescio quanto tempore duntaxat durantem. Nos nec continuam istam semper agi a nobis pro debito dolemus et confitemur, ideo et poenitemus simul et non poenitemus satis.

Haec, rogo, verbosissime a me tractata boni consulas, quia necessarium fuit ostendere tibi, quam nihil meas positiones caperes, et quam frustra ex tam infirmis principiis totum hunc Dialogum deduxeris. Nihil video relictum in Dialogo, quod

---

*) Omnia iusti opera sunt poenitentiae. **) Ps. 119. Luc. 17. Hiob 9. ***) Psalm 111.

non ex his abunde confutatum iam sit, sed sponte mea latius tecum agam.

Quoniam ad propositionem meam quartam dicis, doctrinam hanc esse falsam, impossibilem et erroneam, nisi poena intelligatur pro exteriore mortificatione pro loco et tempore, satis iam dictum est, exteriorem poenitentiam esse debere assiduam *), et si fieri non potest quoad actus poenitentiae a te intellectos, fieri autem potest quoad actus a Christo doctos, id est, quos ecclesia remittere non possit; hi sunt renovatio mentis de die in diem. Vera ergo pro tua opinione dicis, sed non probas meam sententiam falsam et impossibilem.

Illud vero non possum tolerare, quod dicis, improprie a me dici odium sui, quantum ad vere poenitentes attinet. Nullus enim imbutus gratia divina, inquis, odit se, sicut nec proximum, quem ad instar sui diligit. Libens permitto, ut cum tuis de odio sui propriissime loquaris, modo permittas mihi, ut cum Domino Iesu Christo improprie loquar, quando dicit **): Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Et cum Apostolo Rom. 15: Non debemus nobis placere. Et iterum: Non qui se ipsum commendat, ille probatus est. Tu vero cum persuadeas, vere poenitentes sese diligere, necessario concedes, ut et commendent sese tanquam vere diligibiles, bonos, iustos, sapientes, et sic sibi placeant, id autem nihil aliud est, quam cum Pharisaeo horrenda superbia non poenitere, sed irridere Deum. Sic enim docetis infelices discipulos, scholastici theologi, superbire scilicet et perire, sed latior est ista materia, quam nunc patiatur negotium tractare. Error enim et ignorantia dilectionis longe lateque nimis persuasit, doctiores maxime.

Ego sic sapio, quod homo Christianus se ipsum non diligat, nisi in Deo, in se ipso vero non nisi odiat, hoc est, quod, cum ipse sit mendax et vanus, Deus autem verax, nihil eorum, quae ipse cupit aut

---

*) Exterior poenitentia assidua. **) Matth. 16.

novit, diligat, sed omnia quae sibi contraria sunt, quaerat. Nihil autem est contrarium mendacio et vanitati, quam veritas [1]), ita fit, ut, dum se odit, et sibi semper contraria amat, verissime se diligat, non in se ipso, sed in veritate, quae mendaci sibi est contraria. Sic sancti crucem, mortem, stultitiam, ignominiam dilexerunt et cupierunt, quibus tamen ipsi non nisi perdebantur, quia se ipsos in nihilum redegerunt, ut esset Deus omnia in omnibus. Et hoc habent verba Christi, Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Proinde, quando Christus dicit, proximum diligendum ad instar sui, meo iudicio de perverso et incurvo amore loquitur, quo homo quaerit non nisi quae sua sunt, qui amor non rectificatur, nisi omittat quaerere quae sua sunt, et ea, quae sunt alterius, quaerat. Haec sententia est B. Pauli Philip. 2: Non quae sua sunt, considerantes, sed quae aliorum, et 1. Corinth. 13: Caritas non quaerit quae sua sunt. His verbis manifeste prohibet amorem sui *). Ideo sensus praecepti esse videtur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, id est, diliges te solum et perverse. Si autem amorem eiusmodi in proximum tuum dirigeres, iam vere diligeres. Quod ex eo patet, quia non praecipit, ut homo diligat se, quod utique fecisset, si bonus esset sui amor, sed invenit amorem sui, et alio transfert, et ita rectificat. Et heu rem fontibus lacrimarum dignissimam, quod hac amoris scientia tam vacui sunt omnes ferme doctores scholastici, ut pro sancta caritate foedissimam cupiditatem doceant, nec altius incedunt, quam ille paganus, qui dixit: Proximus esto tibi, quod tamen alius rursus gentilis Terentius damnavit.

Illud quod ais: Nullus imbutus gratia et vere poenitens odit se, videtur inferre, quod vacuus gratia odiat se, quod tamen contra omnes scripturas est, quae ubique detestantur eos, qui se ipsos

---

1) In edit. Jen.: varietas.

*) Amor sui prohibitus.

amant, ut 2. Tim. 3 et illud: Omnes quae sua sunt quaerunt. Inde etiam apud tuos magistros damnatur[1]) affectus commodi, item fruitio creaturae, usus Dei, et abusus rerum, amor male accedens etc. Nisi illud Psalm. 11. te movet, quod dicitur: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Licet in Ebraeo sit, odit anima eius, scilicet Dei, tamen permitto, quod odit animam suam. Sed hoc facit pessime diligendo animam suam, ut B. Augustinus Iohan. 12. interpretatur: Amor ut pereat, odium ne pereat. Sed fortasse voce tantummodo hic dissentimus, nisi quod scio voces has raro pro veritate intelligi.

Contra quintam propositionem meam, ubi dixi, per indulgentias non remitti poenas, nisi arbitrio sacerdotis vel canonum impositas, dicis me circa factum ecclesiae male sentire, et sanctis dissentire, ideo conclusionem meam tuo iudicio haereticam esse.

Hic si te interrogem, qui sint illi sancti, et quod factum ecclesiae, non video, quid dicas, nisi quod S. Thomam nomines, cum quo te remitto ad fundamentum meum primum et secundum. Nam ego non capio, quomodo in isto verbo Christi: Quodcunque solveris etc. Petro sit datum privilegium. Non enim privilegium, sed lex generalis et irrefragabilis data est, non Petro tantum, sed omnibus prorsus sacerdotibus et toti ecclesiae. Cur ergo tu cum Thoma tuo id soli Petro arrogas, et ita arrogas, ut privilegium appelles? Aut si Petrus potest huius verbi virtute solvere poenas purgatorii, cur non et quilibet sacerdos? Est iste modus interpretandi evangelii?

Secundo, quod duo supposita facis, primum, quod ecclesia per indulgentias concedat liberationem unius animae, secundum, quod ecclesia facit indullantias simpliciter plenarias, ita quod anima evogeret soluta a corpore etc.

Respondeo, vide tu, reverende Pater, ne supposita illa tua sint apposita per te et humanum

---

1) In edit. Jen.: damnantur.

diem. Redde rationem huius fidei et spei. Utinam vera diceres, imo absit, ut vera dicas, quasi in manu ecclesiae sit animas liberare, quando et quomodo voluerit.

Tertio, doce me unum factum ecclesiae, in quo dedit liberationem unius vel plurium animarum, nisi cryptas forte S. Sebastiani et Laurentii ac Prudentianae, aliaque Romana loca mihi recitabis. Sed tu vide, quid ipsi vos Romani de his locis sentiatis. Deinde, quot fabulis saltem aucta sunt ista loca, utcunque ceperint. Sed de his latius in declarationibus meis, interim ego fateor, me usque hodie in hac re dubitare. Nec sum [1]) haereticus, si negativam teneo, donec determinetur a concilio.

Quarto, Cle. de poe. et re. ca. Abusionibus manifeste dicit glossa [2]) in verbo mendaciter, ideo non extrahi animas per indulgentias, quia sunt iam iudicio Dei subiectae. Hunc interim textum decretalis (id est, Papae) id est, factum Ecclesiae (ut tu dicis) sequar, cui consonat evangelium: Quodcunque solveris super terram, non sub terra, non obstante quorundam violenta adulanteque glossa contraria. Nec vidi aliquam bullam, quae aliter habeat, nisi quod per modum suffragii animas redimi passim dicitur, de quo ubi [3]) supra.

Sed tu, qui contra me disputas tanta alacritate, ut ipsa laetitia tibi influat veritatem, tanta fiducia quoque, ut satanam ipsum non extimescas*), eo maxime scilicet invicto robore fretus, quod de facto ecclesiae non licet male sentire, unum id responde, cum qua ecclesia et tu et Thomastri tui sentitis in facto ecclesiae de conceptione B. Virginis? Num cum virtuali? num cum repraesentativa? num cum essentiali? num cum exule illa et a te proscripta, quae est concilium generale? Si ergo licet tibi non modo non bene, sed contra sentire in facto eccle-

---

1) In edit. Jen.: sim. 2) In edit. princ. et Jen. nunquam non scribitur: glosa. 3) In edit. Jen. deest: ubi.

*) Sic scripit Silvester in Ep. ad Leonem X.

siae, quia opinionem tenes nondum reprobatam, cur ego non permittor tibi dissentire in opinione, neque determinata, neque reprobata[1])? praesertim cum tu nihil pro te habeas, nisi nudam S. Thomae narrationem. Ego autem clarum textum Cle. et aperta verba evangelii, deinde Gersonem, qui multis annis posterior Thoma dicit, opiniones esse ad utramque partem probabiles in hac re; deinde penes me aliquot eruditos et acutos tractatus quorundam in Germania, qui etiam damnant tuam et S. Thomae sententiam.

Quinto, quod ponis casum, Si peccator teneatur ad poenam a sacerdote iniunctam, item a canone iniunctam, item a Deo iniunctam, tunc sequi ex mea propositione, talem percepta plenaria indulgentia non evolare, aut non liberari a purgatorio, et ita de facto ecclesiae male sentio, et haereticum sapio.

Respondeo, Tu quoque vide, ne de facto ecclesiae tam bene sentias, ut factum Dei pessundes. Idcirco, pono tibi rursum casum: Si peccator sit plene et vere contritus, cui de facto Dei omnes poenae sunt remissae, quid confert huic remissio plenaria? Si autem non est plene contritus, quid proficit ei remissio plenaria, cum maneat imperfecta ibi caritas iustitiae, imperfectum odium peccati? Sed latius ista in declarationibus. Totus enim est Thomista, nihil probans, neque allegans. de poenis tantummodo multiplicas verba, de contritione pene nihil dicis, quae diligit poenas.

Sexto, non credo usque hodie per claves remitti poenas a Deo inflictas, et rationes meas videbis in declarationibus, nec tu unquam id poteris probare, sine probatione autem tibi nihil prorsus credo. Et ut animum meum scias, mihi videtur id in gravissimum ecclesiae ludibrium vergere, si ea doceamus, de quibus nullam prorsus rationem reddere possumus. Nec satis ibi esse credo etiam factum ecclesiae (quamquam hic non sit factum

1) In edit. Jen.: approbata.

ecclesiae), quia tam papa quam concilium potest errare, ut habes Panormitanum egregie haec tractantem lib. 1. de consti. ca.: Significasti. Ideo fundamenta tua, ubi distinxisti ecclesiam in essentialem, repraesentativam, virtualem, ut iacet in verbis, nego, et pro nihilo habeo. Tua enim sunt, id est, sine scriptura et autoritate ulla prolata.

Ego ecclesiam virtualiter non scio nisi in Christo, repraesentative non nisi in concilio. Alioquin, si quicquid facit ecclesia virtualis, id est, papa, factum ecclesiae dicitur, obsecro, quanta monstra in ecclesia pro bene factis numerabimus? Nonne Iulii secundi horrendas Christiani sanguinis effusiones? Nonne Bonefacii octavi tyrannides, in toto orbe abominabiles, et per omnes chronicas pulsatas? De quo exstat proverbium: Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis. Non eo nobis tandem persuadeas, ut sub nomine repraesentativae et virtualis ecclesiae omnia illa iam diu intolerabilia portenta in ecclesia pro factis sanctissimis ecclesiae colamus. Ne verum facias, quod nostri Germani de tuo dialogo sentiunt, scilicet, te hoc dialogo non tam Martinum[1]) revellere, quam pontifici et collegio cardinalium adulari voluisse. Si autem papa est virtualis ecclesia, cardinales repraesentativa, collectio fidelium essentialis, quid vocabis concilium generale ecclesiae? Non est virtualis? non repraesentativa? non essentialis? Quid tum? fortasse accidentalis, nominalis et verbalis ecclesia.

Septimo, novam hanc Thomae tui intelligentiam reiicio, qua illud verbum Christi: Quodcunque solveris etc. sic intelligendum proponis, ut Petrus solvere possit etiam a Deo inflictas poenas. Iterum quaero, qua autoritate, qua industria hanc intelligentiam ex istis verbis trahes? Cur non B. Thomas tuus tecum relinquit eum sensum, quem ecclesiastici patres, praesertim Chrysostomus ad Ebraeos, tenuerunt, ut iis[2]) verbis nihil aliud Christus voluerit,

---

1) In edit. Jen.: Lutherum. 2) Ibid.: his.

quam quod ligationem et solutionem Petri fideles non secus habeant, ac si Christus ipse ligaret et solveret, hoc est, ratificavit ligationem et solutionem eius in terra. Quo non fit, ut aliquid Petrus solvat in coelo vel extra terram.

Aut cur non astruis etiam ligare posse Petrum et poenas a Deo inflictas infligere, cum sit utraque potestas una et aequalis? Corrige ergo verbum Christi, et ita doce: Quodcunque ego ligavero in coelis, tu solve super terram. Hanc enim tuam esse intelligentiam in verbis Christi, evidens est. Sed quam absurda et impia eadem sit, credo vel palpare possis. Igitur facias quod facis. Ex istis verbis Christi nunquam aliud probabis, quam quicquid Petrus non potest ligare, id nec solvere potest, quamvis quicquid ligaverit et solverit, tanquam Deo ligante et solvente obedire teneamur, ut salva sit unitas ecclesiae suae, quam iis verbis constituit.

Octavo, inducis S. Thomam, quod secundum meam opinionem ecclesia huiusmodi faciens indulgentias magis damnificaret homines, quam iuvaret, quia absolvendo ab iniunctis poenitentiis remitteret ad graviores, id est, purgatorias. Haec S. Thomas.

Respondeo, sive haec S. Thomas, sive alius dicat, nihil ad me per fundamentum meum primum, secundum et tertium. Opinio est tantum, nondum decreta veritas, cui si interim contradixero, non ero haereticus.

Secundo vellem a B. Thoma doceri, qua dialectica stet ista consequentia: Ecclesia remittit solum iniunctas poenitentias, ergo remittit ad graviores, id est, purgatorias. Vos Thomistae graviter estis reprehendendi, qui sancti huius viri opiniones, et saepius falsas meditationes nobis pro articulis fidei audetis statuere[1]. Et id unice curatis, ut sicut nihil praeter Thomam dignamini vestra lectione, ita nihil vultis in eo falsum videri, in qua sententia iam diu contra omnes academias et totum fere mundum contenditis.

---

1) In ed. Jen.: obtrudere.

Tertio, fundamentum Thomae falsum iudico, scilicet, quod Deus requirat poenas a peccatore, nec remittat, nisi requisita satisfactione. Contra verum est, quod spiritum contribulatum et contritum non despicit*). Et quod remittit, totum remittit, nisi forte flagella adhuc pro suo arbitrio inferat, quae nec ecclesia, nec coelum relaxare potest. Ideo quando ecclesia remittit iniunctas poenitentias, non ad graviores remittit, quia non habet potestatem remittere ad alias poenas, vel non remittere. Sed de iis [1]) in probationibus meis. Inique itaque mihi imponis, quod detruncem privilegium ecclesiae, et haeresim sapiat ea propositio. Tu potius vide, an non in Deum sis impius, qui, ut potestatem ecclesiae vana adulatione extollas, in praeiudicium divinae potestatis extollis, id ei tribuens, quod solius Dei est. Quare mihi ignosce, quaeso, si tam sollicitus sum pro Dei honore et potestate defendenda, quam tu es pro ecclesiae potestate elevanda, et exspectemus uterque in hac re sententiam et determinationem ecclesiae seu concilii.

Miror autem, cur hanc potestatem ecclesiae te appellare privilegium delectet, nisi quod titillare videris eos, qui magis de potestate dominante, quam de caritate serviente gloriantur, siquidem privilegium non ad communitatis ministerium, sed ad proprietatis commodum pertinet. Et hanc gratiam debemus scholasticae vestrae theologiae, quod commune bonum ecclesiae (potestatem clavium) non ministerium multorum, sed dominium feceritis paucorum, tyrannidem ethnicam, non servitutem Christianam spectantes.

Nono, idem dico ad illud, Quod sequeretur animas magis damnificari, quam iuvari per indulgentias plenarias, quia remitterentur ad graviores. Obsecro te, quid ecclesia ad hoc facere potest, quod anima vadit ad purgatorium? Ipsa absolvit

---

1) In ed. Jen.: his.

*) Psal. 51.

eam a suis poenis, non remittit ad purgatorium, facit quod potest. Si hoc non sufficit, defectus est animae migrantis, non ecclesiae absolventis, non enim potestas ecclesiae, sed fides purificat, salvat, liberat animam ab omnibus malis, quae fides ab ecclesia dari non potest.

Decimo, illi damnificant animas, qui omittunt eis persuadere plenam fiduciam in Christo et contemptum poenarum, et non nisi magnitudine poenarum terrent et pusillanimes faciunt, quatenus virtutem potestatis magnificent, quae tanta mala possit tollere. Da animam imbutam caritate, et erit dura sicut infernus aemulatio eius.

Contra conclusionem meam sextam, ubi dixi, culpam non posse remitti potestate clavis, nisi declarando vel approbando etc., latissime resolvi me ipsum in hac materia, ut videbis in declarationibus, quia et ipse hanc conclusionem aliorum sententia, non mea sic posui. Tua autem confutatio prorsus nihil est, dicis enim, quod attriti virtute clavium (iuxta sanctorum interpretationem, forte sancti Thomae) fiunt contriti. Et ideo non modo papa, sed quisque sacerdos dimittit depositive et ministerialiter.

Respondeo primum, sive sancti sint, sive peccatores, qui sic loquuntur, nihil moror, hoc scio, quod errant, Error, inquam, est, quod attritus fiat contritus virtute clavium, quia, ut ait Apostolus, Oportet accedentem credere. Fides autem non solum conterit, sed etiam iustificat*), impossibile est enim, quod digne accedat ad sacramentum, nisi iam iustificatus et vere contritus. Unde illud commentum de attritione satis late vagans figmentum est, et nihil in rerum natura, nisi simulationem forte volueris eam intelligere, quae magis indignum faciat sacramento. Quid dicam? Etiam iste tuus Dialogus confirmat sententiam meam, iam diu mecum moratam, quod videlicet theologia illa scholastica exulem nobis fecit veram et sinceram theologiam. Nam

---

*) Fides. Ebrae. 11.

vides, quod perpetuo hoc dialogo nihil ago, nisi quod resisto et redarguo scholasticam theologiam *), id est, falsam scripturae et sacramentorum intelligentiam.

Secundo, tu ipse cogeris dicere, quod omnes omnium facultatum dicunt, scilicet a solo Deo remitti culpam. Quomodo ergo virtute clavium venit contritio, quae sola virtute gratiae Dei venire ab omnibus dicitur? Vide, ne tua confutatio magis sit haeretica, quam mea propositio, licet confutator forte non sit haereticus. Si autem sola gratia dat contritionem, quid faciunt ecclesiae claves, si non declarant vel approbant gratiam, quae eas iam praevenit? Imo nullus venit ad sacramentum sine fictione, nisi gratia eum movente ad sacramentum.

Aut responde, reverende Pater, cur ante et non post baptismum quaeritur baptizandus, an credat? Cur absolvendus quaeritur, an doleat digne de peccatis, antequam absolvatur? An nova iterum theologia materiam sacramenti poenitentiae non contritum, sed attritum pones? Ergo contritio non est prima pars poenitentiae, sed posterior confessione, et tamen omnes dicunt, quod confessio sine contritione nulla sit. An forte postquam fuerit absolutus, id est, sacramentum consequutus, et virtute clavium contritus, tum demum incipiat repetere confessionem.

Quod si haec theologia vera est, meum fuerit consilium, ut quilibet peccator prius absolvatur, quam confiteri permittatur. Et ita omnia perverso ordine (ita vult scholastica theologia) agamus, absolvendo etiam quod nescimus. Deo gratias, imo vae nobis miseris, qui tantam fiduciam in creaturam ponimus, et clavibus tantam virtutem tribuimus. Sed non permittit dolor et negotium omnes errores **) in hoc sacramentum invectos per traditiones hominum percensere, occasionem dedisse

---

*) Scholastica theologia. **) Errores in sacramentum poenitentiae invecti per traditiones hominum.

meliora valentibus sufficit. Igitur nunc quatuor sunt partes poenitentiae, scilicet, attritio, confessio, contritio et satisfactio, adeo profecit theologia adiutorio philosophiae.

Contra conclusionem septimam, ubi dixi, nulli remitti culpam nisi subiecto sacerdoti, quam cum veram assereres, et tamen inculpatam dimittere non velles, eo me saltem vituperio foedasti, quod leprosum appellasti, quia miscerem aliquas veritates [1]) falsitatibus.

Gratias ago, quod aliquando (licet cum opprobrio) veracem me confiteris. Sed id admiror, quid acciderit vobis Thomistis, ut tam diversum sentiatis. Hanc enim meam conclusionem Thomistae et tuae sectae fratres in Germania miro zelo detestantur. An alium habeatis Thomam in Italia, et alium in Germania, ignoro, nisi forte mihi suspicionem facere vultis, quod nec Thomistae Thomam, nec Thomas Thomistas intelligat.

Ad octavam dicis, sicut ad septimam, id est, esse veram, sed mixtam aliis falsis, ideo me leprosum et maculosum. Dico et ego, sicut ad praecedentem: Conveniat primum Thomistis inter se ipsos, et tunc pugnent contra me, quamquam miror hanc conclusionem te non reprobare, cum tam multis persuasum sit, eam esse falsam.

Ad nonam, ubi dixi, excipi articulum mortis et necessitatis in decretis papae, recte me dixisse sentis, sed non apte seu apposite, quod illa exceptio intelligatur, non quoad impositionem poenitentiae, sed quoad reservationem casuum.

Primo, Manhu? quid hic audio? supra me sunt quae dicis, ideo non possum ad ea respondere. Si papa etiam in morte reservat impositas poenitentias, fateor me non intelligere, quomodo alias, quam iuxta canones imponendas asseras. Praecedente enim conclusione admisisti, morituris poenitentias canonicas non imponi, his rursum dicis: papam non

1) In ed. Jen.: varietates.

remittere poenitentias, nisi forte intelligas (ut inferius) poenitentias a sacerdote, vel a Deo inflictas, non excipi articulo necessitatis. Sed de iis[1]) iam supra dictum est, quod poenas a Deo inflictas non sit ecclesiae vel reservare, vel relaxare, et sacerdotis impositio mere est arbitraria. Verum si ita sapis, figmenta illa communia sequeris, quod quia sacerdos incertus est de quantitate poenae infligendae, ideo morituro non potest omnia solvere, sed relinquit hoc papae.

Primum, quis credat, quod Deus a morituro requirat aliam, quam mortis poenam? quam solam sufficere dicunt ad plenariam remissionem omnium peccatorum et poenarum, si volenter fuerit suscepta, quod verissimum est, quia: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*)

Secundum, si ignorat sacerdos quantitatem infligendae poenae, quis eam certam facit summo pontifici? At, inquis, huic dictum est: Quodcunque solveris etc. Respondeo: Num quid non[2]) et quilibet sacerdos eiusdem verbi virtute solvit? Haec et his similia non nisi ex opinionibus dicitis, et in ecclesia Dei docetis, quae probare prorsus non potestis.

Ad decimam arguis me admittere, quod in aliis damno, nempe, quod animas ad purgatorium addico, dum solum iniunctas dico remitti poenitentias.

Respondeo ut supra. Non remitto eas ad purgatorium, sed iustitia vel rigor Dei, quem potestas ecclesiae tollere non potest, nisi oratione, non potestate clavis. Deinde suadeo, ut fortiter moriantur, quod eos tutiores faciet a purgatorio, quam omnes omnium indulgentiae.

Undecimam praeteris. Ad duodecimam dicis, etiam nunc ante absolutionem poenitentias imponi, ut C. Dudum.

Respondeo: Non tenes quod volui, quae et

---

1) Ibid.: his. 2) In edit. princ. deest: non.
*) Psalm 116.

culpa mea est, quia non satis me expressi. Sed nec oportuit, cum disputationem proponerem. Sensus meus est et fuit, quod olim non absolvebantur ante poenitentiam expletam, quod ex eo poteras intelligere, quod subiunxi, tanquam tentamenta verae contritionis. Nostro enim seculo, ubi solum imponitur, non autem impletur ante absolutionem, non potest explorari, an vera sit contritio. Et utinam ille vetus mos revocaretur.

Ad tertiam decimam concedis verum esse, per mortem omnia solvi, ubi ex canone tantum poena debetur. Quod si eam, quam imponit canon, etiam divina iustitia exigat, purgatorium neges necesse est.

Respondeo: Sive iustitia exigat, sive non, nihil hoc ad claves ecclesiae, sed ad orationes duntaxat. Sicut Jacobus dicit,*) quod oratio fidei ecclesiae salvabit infirmum, et, si in peccatis fuerit, remittentur ei.

Secundo, fieret tunc ministerium clavium aliud nihil quam negotium perambulans in tenebris, quia solveret, nesciens quid et quantum solveret, quod mihi certe satis absurdum videtur. Nam iudicium ferri non debet super re prorsus incognita. Claves enim rem certam et solidam operari debent. Sed iam satis supra et alibi.

Tertio, non sequitur, ideo purgatorium a me negari, sed solum, quod purgatorium virtute clavium non possit solvi, ut infra.

Ad quartam decimam, et quintam decimam, ubi disputavi, quae mihi videretur esse poena purgatorii, scilicet horror et timor, ac prope desperatio, tres mihi falsitates imponis et temeritatem.

Respondeo ad temeritatem prius: Eiusdem criminis reus mecum es et tu, et S. Thomas, imo Thomas omnium maxime, qui per omnia ferme sua scripta aliud nihil facit, quam disputat, et quod grande est, etiam ea, quae fidei sunt, in quaestiones

---

*) Jacob. 5.

vocat, et fidem vertit in Utrum? ut nosti. Cur ergo mihi, quaeso, non permittis disputare de iis rebus, quae sunt dubiosissimae et non determinatae? Numquid ego ecclesia sum, imo plus quam ecclesia, ut meae disputationes pro definitionibus accipiantur? Sed consuetudo ista est Thomistica, qua omnia asserere soletis, etiam quae disputative proponitis, aut in Thoma legitis. Ideo et me assertorem credis, non disputatorem. Verum ut videbis in declarationibus, si in ulla mearum propositionum parte disputo, hac parte maxime disputo, et ita disputo, ut meam sententiam firmius probare mihi videar, quam tua opinio sit probata, non tamen definio, sed iudicium ecclesiae exspecto. Ideo ignosco tibi, quod me haereticum vocas, sciens hunc esse morem Thomistarum, ut haereticus esse, velit, nolit, cogatur, duntaxat apud Thomistas, qui opiniones Thomae non fuerit secutus. Nunc reliqua.

Prima, inquis, falsitas est, quod aperte innuo, eos, qui in purgatorio sunt, nescire, sese salvandos esse, ut et 19. propositione dixi. Tu vero cum divo Thoma, cuius doctrinam[1]) per regulam fidei, Ecclesiam Romanam, et discussam et probatam dicis, ponis, quod sciunt se liberandos, alioquin suffragia non expeterent.

Respondeo: Rem ipsam omitto, quia disputo, et infra 19. conclusione non omnes esse certas dixi, licet aliquae forte cognoscant, de quibus late in declarationibus, si pervenerunt aut pervenient in manus tuas. Nam id credo me probare et probasse, quod non omnes sciant se esse salvandos[2]), ut testantur exempla multa de animabus euntibus ad iudicium etc.

Probationes tuas tantum videamus. Primo autoritatem B. Thomae inducis, cuius sententiam sententiam[3]) sanctorum vocas numero plurali, forte reverentiae causa. Et ut huic credam, dicis a Ro-

---

1) In edit. princ. et Jen. legitur: doctrina. 2) In ed. Jen.: salvandas. 3) Ibid. non repetitur: sententiam.

mana ecclesia, Regula fidei, probatum. Miror, quod inter tot ecclesiae doctores non aliquando alium quoque aut textum Scripturae inducas, ideo per fundamentum secundum iterum tam te, quam Thomam reiicio, quia et Augustinus receptus est ab ecclesia magis quam S. Thomas, Paulus autem maxime, qui fundamentum meum primum est.

Secundo miror, quid velis, quod ecclesiam Romanam fidei regulam vocas. Ego credidi semper, quod fides esset regula Romanae ecclesiae, et omnium ecclesiarum, ut Apostolus Gal. 6: Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super eos etc. Rogo eo usque digneris adulari Romanae ecclesiae, ut eam permittas discipulam esse fidei, quae reguletur fide, non regulet fidem.

Sed forte haec verbi est controversia, quia regulam fidei improprie locutus vocas, quod ad eam fidem, quam Romana ecclesia profitetur, omnium fides debet conformari. Et placet mirifice, nam et ego gratias ago Christo, quod hanc unam ecclesiam in terris ita servat ingenti, et quod solum possit probare fidem nostram esse veram, miraculo, ut nunquam a vera fide ullo suo decreto recesserit, nec tot barathris pessimorum morum diabolus tantum efficere potuit, ut penes hanc non maneret ab origine sua canonicorum Bibliae librorum et ecclesiasticorum patrum et interpretum autoritas, et autoritatis sincera professio, licet multi forte sunt nimis, qui privatim his libris prorsus nullam habeant fidem, nec eos curent aut legere aut intelligere.

Tertio, illam consequentiam tu ipse, quaeso, perpende. Animae expetunt suffragia, ergo sciunt se esse salvandas. Fuistine tu ipse aliquando in periculo vel mortis vel alterius necessitatis, in quo nesciebas, an tibi esset pereundum vel emergendum? Si fuisti, recordare quaeso, quam anxie quaesieris auxilium et consilium eo maxime, quo ignarus fuisti auxilii et consilii, et (ut ille ait) Una salus tibi fuit nullam sperare salutem; si non fuisti, obsecro, velis credere his, qui fuerunt. Ubi est ergo argumentum tuum, Petunt suffragia, ergo sciunt se sal-

vandas. Quid si contrarium verius sit, petunt suffragium, ergo ignorant se salvandas?

Sic, inquam, potest fieri, ut a facie aeternae irae horrentes timeant perire, et in lacum ire sempiternum, et ne intrent orare et suffragium quaerere. Hoc ecclesia videtur sentire, quando pro eis orat: Ne absorbeat eas tartarus, item Libera eos de ore leonis. Ecce in ore leonis, iamiam deglutientis, et in absorptione tartari eas esse ecclesia protestatur. Sed latius, ubi dixi.

Secunda, inquis, falsitas est, Quod qui purgantur timeant, praeterquam filialiter, quia timor de futuro malo.

Respondeo: Tuo te gladio peto. Temeritas est in his, quae nos ratio naturalis non docet, velle aliquid definire nostra autoritate. Elue hanc temeritatem tuam, qui sine autoritate tanta fiducia pronuncias, non esse in purgatorio nisi filialem timorem, Thomam enim non audio.

Secundo, video te eo errore laborare, quasi possit esse filialis timor in via tam purus, ut nullus cum eo mixtus sit timor servilis poenarum, quod iuxta Scripturam et ecclesiasticos patres non est possibile, cum nulla virtus perficiatur, nisi in patria. Et haec meae positionis causa est, quia animae sunt imperfectae caritatis, habentes mixtum timorem poenarum, id est, servilem. Aut doce me, quomodo de poena doleant, si non timent eam, si non dissentiunt ab ea, nisi definitio doloris B. Augustini alia est in purgatorio, alia super terram, qua dicit, Dolor est dissensio animi ab iis rebus, quae nolentibus nobis accidunt. Dolent ergo? Sed hoc fit, quia nolunt, si nolunt, serviliter timent poenam. Tu cape, ego nec fingere possum, quod quis doleat de poena, quam non timeat aut horreat.

Tertio, id vero quam acute dixisti, quia timor sit de futuro malo. Animae autem sunt in praesentibus malis. Si cogitare[1]) posses, vel gustasses

---

1) In ed. Jen.: rogitare.

vitae futurae unam guttulam, non ista diceres. Omnia sunt illic praeterita, omnia praesentia, omnia futura. Breviter, quia haec sunt ignota tibi, hoc est quod dico, quia poena purgatorii est timor futuri mali, id est, horror damnationis. Sicut supra exemplum dedi de his, qui in periculo sunt constituti.

Quarto, quod si solus iste horror satis esset poenarum, impius esset Deus, qui[1]) alias poenas adderet.

Obsecro, creatorem tuum modestius nominare velis misera creatura, numquid[2]) ideo Deus impius esset, quia non secundum caput tuum opinionibus Thomisticis differtum ageret?

Deinde, nec me intelligis. Non dixi hanc poenam esse sufficientem, id est, omnem quam patiuntur animae, nec de aliis poenis disputavi. Sed hanc solam aio tantam[3]) esse, tam vehementem, ut sola possit vice purgatorii esse, cum in ea sit omnis poena, imo aliae[4]) poenae seorsum nihil sunt ad istam, ut dixi in declarationibus.

Ad decimam sextam conclusionem, ubi purgatorium dixi videri prope desperationem, tu contra certam spem salutis in purgatorium ponis et hoc non nisi nuda Thomae autoritate, quod remitto ad fundamentum meum secundum.

Secundo, vehementer dubito, an scias, quid sit certa spes, cum tua ipsius sententia sit, quod homo nescit, an amore dignus sit*).

Tertio, hanc conclusionem ex supradictis apertam relinquo, quod morituris et periculo pressis, licet nondum sit desperata, prope tamen, ac velut similis est desperatae, salus, omnis enim timor pars quaedam est desperationis.

Ad decimam septimam, ubi ex consequenti animabus augeri necessario caritatem dixi, tu pulcher-

1) In ed. Jen.: quia. 2) In Ibid.: nunquam. 3) Ibid.: tantum. 4) Ibid.: alii.

*) Eccles. 9.

rimo Aristotele mihi occurris, quod uno inconvenienti dato plura mihi contingerent, scilicet non minus absurdum esse, quod timorem servilem in animabus posui, quam caritatis augmentum. Deinde tu, quam optimas tuas convenientias prosecutus cum S. Thoma contrarium[1]) asseris, nihil allegans aliud, pro more tuo, nisi nova vocabula, scilicet, quod animae secundum Thomam sunt viatores secundum quid, non simpliciter. Quis dixit tibi et Thomae esse eas viatores secundum quid, non simpliciter? An Aristoteles in Elenchis suis? quis temeritatem (ut tu vocas) tibi permisit scrutandi eius, ad quod nulla suppetit nobis ratio, naturalis praesertim, cum non disputes, sed definias? An illa tua fortissima ratio, qua dicis, Alioquin bonum esset eis, diu esse in purgatorio, ut perfectiores et consummatiores evaderent?

Hoc argumentum credo non posse fieri, nisi a Thomista, tantum habet acuminis. Nam ex eo etiam sequeretur, bonum esse, ut nullus sanctorum moreretur, et ut martyres usque in diem iudicii carceres et ungulas sustinerent, quia si caritas potest augeri in statu, in quo sunt, bonum est, ut diu in illo maneant, hoc est, semper moriantur pro Christo, quo perfectiores evadant. Haec tu, ut dicis, non sequens vocum novitates, sed vestigia sanctorum.

Decimam octavam, ubi videbas me petere autoritatem scripturae vel rationis, omittis, nisi quod autoritate sanctorum pluraliter, id est, S. Thomae, dicis fieri argumentum probabile. Concedo esse argumentum probabile, id est, dubium et dialecticum, cui non sit necessarium accedere fide. Et hac tua professione obstrictum te[2]) volo, ut, quoties mihi D. Thomam adducis, sine scriptura, sine patribus, sine ecclesia, sine ratione loquentem, memor sis, te dialectum, non theologum agere, id est, probabilia tantummodo tradere, non credibilia.

Quid ergo? Hoc pacto iam omnino convenimus

---

1) Ibid.: contrariam. 2) In ed. princ. deest: te.

in unum, et finis est disputandi, quia hoc, quod affirmas tu, ego nego, vis ergo ut sistamus? nam deinceps praeter divum Thomam nihil ponis, nisi quod aliquando me conviciis insectaris, ubique autem invidiosum pontifici me facere studes, sed transsiliam breviter.

Decimam nonam praeteriens dicis idem, quod supra ad decimam quartam et decimam quintam dixisti, quo et ego te remitto.

Contra vicesimam dicis, summum pontificem posse remittere poenam tam impositam quam non impositam, ut edocet divus Thomas, oppositum autem dicere est haereticum, et contra privilegium datum Petro.

Respondeo: Nego, et ratio negandi dicta supra conclusione quinta. Haereticus autem ero, si, postquam ecclesia determinaverit, non tenuero.

Ad vicesimam primam me convicio pungis, ideo transeo.

Ad vicesimam secundam ea dicis, quae supra conclusione quinta sunt confutata. Nego esse factum et doctrinam ecclesiae, relaxari poenas purgatorii per viam indulgentiae, quamquam admiror, quod hanc propositionem non approbaveris, qui superius docuisti et admisisti, animas in purgatorio non solvere canonicas poenas, ut dicit mea haec propositio.

Ad vicesimam tertiam longo verborum tractu repetis id, quod supra tractatum est propositione sexta de attritione et contritione, quod ibi dixi, hic dictum puta. Non est enim fundamentum theologicum, ex attrito fieri contritum virtute clavium, sed erroneum. Deinde attritio seu dolor ille imperfectus non est idem, quod velle habere dolorem et gratiam Dei, sed vel est simulatio fallax, vel est initium gratiae verissimum, sicut B. Augustinus ait: Desiderium gratiae est initium gratiae, et alibi: Velle esse iustum est magna pars iustitiae. Imo apostoli in eo gradu permanserunt, Roma. 7: Velle mihi adiecit, perficere non invenio. Non ergo

attritionis, nec liberi arbitrii, sed gratiae est tale desiderium, ante omnem virtutem clavium.

Secundo, facillime admitto, quod dicis, indulgentias conferri posse etiam imperfectissimis, nec hoc negat mea propositio, imo ego credo, quod remissio poenae sacerdotalis potest conferri indignis et non contritis. Sensus autem meus est, quod nulla omnium omnino poenarum, tam a Deo impositarum, quam ab homine, nisi perfectissimis potest dari, imo nullis in hac vita. Manet enim poena mortis, dolor cordis etc. Et nullum est dubium in hac propositione, experientia teste, et omnium sententia.

Ad vicesimam quartam negas falli populum, si modo attriti confiteantur etc. quod, ut supra de attritione dictum est, reiicio.

Secundo[1]), quod addis, alia bona opera non esse relinquenda propter venias, cum nullus pro certo sciat, se venias assecutum. Item, quia etsi illi veniam non consequuntur, pium tamen opus faciunt, quod eos in salutem disponit.

Respondeo: O miserum patrocinium veniarum, obsecro, si incertum est, consequi nos venias, quid facimus? quid doces? Apostolus*) prohibet, ne in incertum curramus.

Haec tua apud me verissima sunt, imo apud omnes. Hinc est, quod ego tota fiducia suadeo hominibus, ut relictis veniis invicem benefaciant, quia hic sunt certi, sese gratiam Dei consequi, illic vero incerti, an gratiam hominis consequantur. Hic tandem dicis et sentis ad omnia vota mea, imo plus quam volui. Ego qui haereticus, perfidus, erroneus accusor, nunquam tam utiliter de indulgentiis locutus sum, nec loqui volo. Quid est, quaeso, donum incertum nisi nullum donum? Quare ergo tot pompis irritatur vulgus ad incertum suum bonum, quod ad certissimum bonum sine pompa potuit induci? Hoc modo peius fallitur, non maior pars populi, sed totus populus. Quid, si ego ista dixissem?

---

1) In edit. Jen.: primo.
*) 1 Cor. 9.

Secundo, ubi nunc est potestas papae, ubi virtus clavium, si non nisi incertum operantur? Iam Christus nihil dedisse videtur ecclesiae, qui nihil certum ei dedit. Eo scilicet pervenit res ecclesiae studio scholasticae theologiae, ut quae donata sint nobis, nesciamus, et id profitemur nos nescire, contra Apostolum 1 Cor. 3. Sed vide meas declarationes. Credo me id effecisse, ut intelligi possit, quid claves, et quid non operentur, idque non incerte, sed certe.

Tertio, altera lacinia frigidi huius patrocinii tui miserarum veniarum est haec, quod, etsi illi venias non consequantur, tamen pium opus faciunt etc. Volo premere, quae hic cogito, tu, quaeso, vide quid dicas, et quid inde sequatur. Hoc dico interim, non potest populus ad pium opus induci, nisi spe incerta veniarum? Dic hoc populo, et vide, si unum obolum pro tali veritate consequaris. Quis enim pro incerto certum laboret? Ideo necesse est praeconibus veniarum, hanc veritatem non docere. Et tamen non fallitur maior pars populi. Ad has impias fabulas pervenimus, dum docemus, populos non in certissimam et nudissimam misericordiam Dei, sed in propries iustitias incertissimas, imo nullas confidere.

Quarto, sic veniae essent pro mortuis solidiores quam pro vivis, quia tua sententia prosunt defunctis certissime, vivis autem incerte, et tamen pro vivis sunt principaliter et directe institutae. Quod si directe non sunt nisi incertae, quomodo, quaeso, certae fiunt, quando sunt indirectae? Fateor, haec etiam in Glo. li. 5. c. Quod autem, posita primo me moverunt, ut de indulgentiis dubitarem. Et quomodo non dubitarem, cum dubitare jubear a tantis veniarum tutoribus, doctoribus, praeconibus?

Quinto, vide, ne populus pium opus pro veniis facere doctus non faciat eo ipso, nisi malum opus, scilicet, si opus huiusmodi alias non faceret, nisi venias speraret. Hic patet, quod non Deum pro fine, sed creaturam, scilicet remissionem poenae, in opere suo habet, nisi verum sit, quod aliqui di-

cunt, indulgentias esse pias fraudes, quod populus bonum opus facit propter Deum, et spe placendi Deo, provocatus ad hoc per venias.

Ad vicesiman quintam ea quae dicis nihil curo, non enim sunt ad propositum. Tu intelligis propositionem meam loqui de potestate iurisdictionis, quam tamen negavi superius et inferius in purgatorium valere. Ego loquor de potestate operandi, et quidem non fuit mens mea, ut sic fallerentur legentes, sed tunc, sicut occurrebat, ita ponebam. Potestas itaque haec est, quia papa generali intercessione orat pro defunctis cum tota ecclesia, episcopus speciali, ut in diebus communibus, curatus, in singulis feriis. Ergo est potestas orandi et intercedendi, de quo alias.

Ad vicesimam sextam dicis ecclesiam habere potestatem in purgatorium, secundum sanctos (id est, S. Thomam), et hoc per applicationem meritorum Christi.

Respondeo ut supra, S. Thomam nego.

Ad vicesimam septimam, ardens in defensionem tuorum dicis, non hominem, sed meram veritatem et catholicam praedicari ab iis [1]), qui animam eo instanti, quo plene factum est illud, gratia cuius plena venia datur, puta, quando deiectus est aureus in pelvim, evolare.

Respondeo: O suavissimam glossam, quis haec ignorat, quod anima, quando satisfactum est pro ea, in instanti evolet? Numquid hoc impugnavi? quis ista non credit? Sed et hanc glossam tuam dederunt postea tui quoque fratres Germaniae.

Secundo, huc attende, et hic responde, ubi urgeris et nodus haeret, an sit hominem praedicare vel Deum, dicere, quod anima per indulgentias evolat. Hoc tu iam iterum, facto et doctrina ecclesiae, id est, opinione tua et sancti Thomae, probas, et non aliter. Quamquam tu non tam viliter pendis animas, quam hi nostri, siquidem tu aureum in pelvim, nostri duodecim quatrinos satis esse dicunt.

---

1) In ed. Jen.: his.

Tertio, quod si etiam verum esset, per indulgentias redimi animas, qua dialectica didicisti, eodem momento satisfactum pro anima, quo factum est id, gratia cuius donatur venia? Ita divinatis de iis[1]) rebus abstrusissimis, ac si praesentes omnia videretis. Nonne posset fieri, ut, dum ille nummum iactat, interim angelus, sicut Tobiae fecit, offerat Deo memoriam huius facti, et deinde animam visitet, et aliqua mora intercedente redimat, aut aliud fieri, quod nos ignoramus.

Quarto aptissimam adducis similitudinem, quod talis praedicator sit similis coquo, qui substantiales cibos accidentalibus saporibus exacuit. Imo hoc dolemus, quod comestores illi nimis accidentalibus et alienis verbis adulterant verbum Dei. Denique iube, ut praedicatores illi hoc modo sua verba intelligenda doceant, et videbis eos omni populo sibilum et fabulam fieri, nullus enim ita intellexit. Quare satis video, quantum sollicitaverint apud te, ut hanc eorum conscientiam utcunque excusares et levares, sed frustra.

Ad vicesimam octavam me detractorem vocas, et eum, qui ponit in coelum os suum, quia Deus, inquis, concessit papae dare de suffragio pro voluntate sua.

Respondeo: Nolo tecum conviciis agere, mi pater, scio, quod omnia facilius sustinemus, quam veritatem. Tuis verbis non potest offendi avaritia, quia non[2]) tangis eam, sed tingis et pingis. Nam quod papa possit dare suffragium, non nego, sed quod suffragium faciat[3]) animam evolare, hoc interim nego, donec tu aliud probaveris.

Ad vicesimam nonam primum somnia mea vocas, deinde ex S. Thoma de poena voluntaria longum trahis sermonem, et in fine dicis, contrarium si quis asserat, stultus et ridiculus sit.

Respondeo: Sum optime contentus, ut tu sa-

---

1) In ed. Jen.: his. 2) Ibid. deest: non. 3) Ibid. facit.

pias et rideas, usque quo voles, sim ego stultus et ridiculus.

Secundo, ego quaestionem duntaxat posui, tu, sicut egregius Thomista, (pro more vestro) nec nutum vestris opinionibus contrarium ferre potes, nihil tamen prorsus probas.

Tertio, ista distinctio B. Thomae est falsissima meo iudicio, scilicet, quod aliqua poena est, per quam bonum acquirimus, ut quae est in hac vita, alia autem, per quam nullum bonum nobis accrescit, sicut est mors naturalis et poena purgatorii, quia licet sine ea (ut ais) non pervenitur ad bonum, tamen bonum non per eam accrescit.

Respondeo: Ita loqueris sine iudicio, ac si necesse sit verbum B. Thomae oraculum haberi. Cur ergo Apostolus errat, quando dicit*): Omnia cooperantur in bonum sanctis? Sed forte, ut estis prompti ad distinctiones (id est, scripturae discerptiones), dices, quod omnia cooperantur, scilicet huius vitae, sic enim soletis elabi. Contra Rom. 14: Qui moritur, Domino moritur, et Psalm 116[1]): Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Doleo ego sanctum virum eo prolapsum, ut neget, per mortem bonum accrescere, cum sancti martyres martyrio et morte summum praemium et aureolam obtinuerint. Igitur sive haec dicat angelicus, sive humanus doctor, insulsissimum errorem dici cum fiducia proclamo.

Quarto, eodem sensu, probabiliter nihil asserendo, dixi animas quoque voluntaria passione poenarum purgatorii perfici in caritate, quia necesse est, ut ament et eligant poenas, quas sentiunt Deum eis infligere. Haec enim voluntas Dei est, quam super omnia diligunt, aut certe diligere laborant.

Ad tricesimam repetis eandem tuam cantilenam, quod animae certae sunt de gratia Dei et salute etc. Quibus supra respondi.

Ad tricesimam primam dicis me superfluum

---

1) In ed. princ.: 115.
*) Rom. 8.

dicere, eo quod supra posuerim, perfectissimas consequi venias, hic autem vere poenitentes, qui tamen minus rari sunt.

Respondeo: Recte fecisses, si meas propositiones intactas reliquisses. Tu incedis ad aquilonem, et illae ad austrum, adeo convenit tibi cum intelligentia earum. Tu audes egregie, mi Pater, perfectissimos discernere a vere poenitentibus, deinde quod absurdius est, poenitentes et attritos facis eosdem, nisi obicem ponant.

Ista figmenta obicis et attritionis supra quoque reieci, et nunc reiicio. Humana sunt commenta, nuper inventa, sine autoritate ulla et ratione. Neminem poenitet vitae suae, nisi gratia fidei praeventum, ut tenet una sententia totius ecclesiae. Quid mihi ergo de fictitia illa poenitentia, quam tu attritionem fingis? Nec est ullus tam perfectus in hac vita, qui non egeat poenitentia, ut supra dixi, tu autem poenitentiam extra ecclesiam videris ponere, inter attritos duntaxat, quod est evidens error.

Ad tricesimam secundam, ubi ego docui, ne ullus fideret in literas veniarum, quippe cum dicat scriptura: Maledictus qui confidit in homine, tu acutissime volens unum malum vincere gemino te perdis. Primum fatuos eos asseris, qui sine operibus bonis tutos se putant.

Quid ergo supra dixisti, quod attritus consequens sacramentum et indulgentias evolaret, si moreretur, cum talis omnino sit sine bonis operibus? Deinde videris admittere, quod cum bonis operibus possint esse tuti, hoc secundum te Christianum est, secundum Augustinum et Paulum Pelagianum est, cum talia opera revera nulla sint, quibus tuti esse possumus, sed nuda misericordia salvi erimus, ut Apostolus Tit. 3: Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. Ita et alibi: sola fides iustitia gloriatur.

Secundum, qui vero ex spirituali commodo eiusmodi literarum concipiunt spem melius vivendi

et moriendi etc. recte sentiunt, et sic docentes recte docent.

Respondeo: Remissio poenarum tantum confertur per literas et indulgentias, dignumne ergo iudicas hanc, spirituale commodum vocare? Quid anima inde boni consequitur? Nihil prorsus, et tamen est spirituale commodum. Ita luditis verborum et nominum licentia, donec omnia confuderitis.

Secundo, quomodo spes melius vivendi nascitur ex remissione poenarum? id est, vita ex morte? Mortua res est poenarum remissio, et ita mortua, ut etiam tuis magistris testibus melius sit satisfacere per se, quam satisfactionem remitti per indulgentias. Sed quid ego cum tuis nudis verbis pugno? Spes vitae melioris ex Deo per gratiam eius venit. Gratia autem non in remissionibus, sed in inflictionibus poenarum potissimum operatur, ut ad Corinthios: Virtus in infirmitate perficitur *).

Ad tricesimam tertiam, ubi nihil habuisti quod diceres, id voluisti conari, ut me pontifici odiosissimum faceres, cuius me detractorem iniustum, falsum, erroneumque deblateras. Evidens signum est destituti a veritate furor et indignatio.

Respondeo tibi semel pro omnibus: Summi pontificis potestatem honoro, sicut decet, vestras autem vel opiniones, vel adulationes contemno. Ideo huius conclusionis meae (hanc enim non disputo) contrarium libera fronte haeresim pronuncio. Non est in manu hominis reconciliari hominem Deo, nec papa potest gratiam Dei iustificantem donare, ut tota sentit ecclesia, cuius contrarium nullus fuit tam foedus haereticus, qui doceret.

Secundo, ut tuis praeconibus utcunque succurras, iterum fingis distinctionem pro Thomistarum laudabili more, dicens: Qui vero dicunt (ut refers) vere dicunt, modo reconciliatio illa intelligatur improprie, per amotionem reatus, qui animam a Dei contemplatione clare secludebat.

---

*) 1 Cor. 12.

Respondeo: Miror, quod non eadem opera reconciliationem illam intelligi doces, alphabetum graecum vel ebraeum, aut aliquid aliud, quod non significatur literis et syllabis istis. Si ista licentia improprie loquendi permittitur, quid [1]) me impugnas? Cur non aliquo sensu improprio me vera dixisse fingis? Cur non omnium haeresium insanias uno sinu suscipimus, cum possint eorum verba vera fieri, si improprie accipiantur? Ubi manet regula illa, quod doctori ecclesiae omnis improprietas (quantum fieri potest) vitanda est? Et illud sapientis: Qui loquitur sophistice, odibilis est? Rogos dent mihi tui improprüstae tecum veniam, si verba vestra non intelligimus, ego et populus. Credimus enim vos uti verbis pro intellectu, non pro illusione nostra. Nisi iterum rediit, quod B. Hieronymus in Johanne Hierosolymitano arguit, scilicet, quod aliud loquuntur sacerdotes, aliud audiunt populi. Vos autem dedita [2]) opera ad improprietatem vertitis [3]) verba, et hoc etiam ita defenditis, ut gloriam velitis meruisse.

Ad tricesimam quartam dicis, quod sit haeretica, quia negat, quod papa possit omnem poenam abolere.

Respondeo et ego per distinctionem: Haeresis accipitur uno modo, prout est contra opiniones nudas Thomistarum, et sic est haeretica, alio modo, prout est contra doctrinam fidei et ecclesiae, et sic est catholica.

Secundo, spero quod mihi etiam non rogatus concedes, per indulgentias non aboleri mortem et mortis tot pericula et infinitas passiones huius vitae. Istis autem manentibus obsecro, quid magni remittunt veniae, quando relicta mortis poena satisfactiunculas temporales remittunt? Sed ex musca elephantem facere placuit, utinam non amore Amorrei.

---

1) In ed. Jen.: quod. 2) Ibid.: debita. 3) Ibid.: vertatis.

Ad tricesimam quintam dicis: Nullum esse declamatorem reor, qui tam stulte docuerit.

Respondeo: Ego non reor, sed scio. Exstant enim libelli positionum, quibus id non solum docent, sed ita defendunt, ut contrarium asserant errorem. Idcirco iterum rogo dominum, ut Thomam Italicum et Germanicum sibi discordem primo concordet, ut faciam, utri pugnem vel cedam.

Sed iterum ad solidum refugium venis, id est, ad improprietatem forte dicens: Si qui tamen docerent, quod non contriti non vane indulgentias consequuntur (quia proderunt contritione, ex post facto accedente), non male docent apud complures peritos.

Ergo id Christianum est praedicare? Cur ergo scriptura nos hortatur, ut quantocius convertamus et convertamur. Et nullam dat fiduciam futurae poenitentiae, interim secure [2]) dilatae? Sed omni hora vigilandum docet, sive valeant indulgentiae in futurum, sive non, nihil curo. Id curo, quod pro re levissima, id est, veniis rem illam gravissimam et solam necessariam, id est, contritionem tam viliter aestimamus, tam frigide curamus, ut non ad nos pertinere videatur, quo tempore peccator eam obtineat, modo praesentes venias redimat, quas cum sine periculo non solum differre, sed etiam nunquam redimere liceat, sedulo tamen agimus, ne [1]) differat. Si id amore pecuniae non fit, cur non tam sedulo agimus, ne contritionem differat? Proprietas hicne obstat? omnia tam acute pro veniarum gloria excogitantur, et impius sum, qui pro gratia Dei vel stupide disputo.

Ad tricesimam sextam dicis, quod sit haeretica, deinde poenitentiales canones evacuet, evertat, et tertiam partem poenitentiae satisfactionem, et omnia iura loquentia de poenitentia, et purgatorium. Adde, quaeso, et coelum et terram, ut omnia comprehendas.

---

1) Ibid.: securae. 2) In ed. Jen. additum: contritionem.

Respondeo: Spero, dabis mihi verum esse, quod per totam ecclesiam dicitur, scilicet posse contritionem hominis tantam esse, ut deleret omnem culpam et poenam. Secundo dabis, quod voluntarie morientes omnia solvunt et satisfaciunt plenissime. His credo sine indulgentiis et literis adesse remissionem plenariam, et tamen me in hoc non esse haereticum, nisi apud Thomistas forte.

Secundo debitum ideo dixi etiam iis[1]), qui tam perfecti non sunt, quia papa minister est ecclesiae, quicquid potest facere fidelibus in salutem, debet sub necessitate salutis etiam gratis. Quod si non fecerit, Deus supplebit: spero per misericordiam suam, quod homo neglexit per incuriam suam.

Ad tricesimam septimam, postquam dimissa disputatione, quam de participatione bonorum ecclesiae coeperas, dicis tandem haereticum me esse, si dicerem sufficere impleri iniunctam poenitentiam a sacerdote sine impletione eius, quae a Deo imponitur, et sic evolare peccatorem non satisfacto [2]) prius Deo.

Sicut dixi, vester iste mos est, si mos vocari posset, tanta cholera aestuare, ut altera pene syllaba haereticum dicatis, nil nisi haereticum, haereticum, haereticum Thomistae loqui didicerunt, et tamen nihil prorsus efficitis, nisi quod contra vestras frigidissimas et nudissimas opiniones dictum aliquid esse probatis. Ideo mihi de vobis Isaias *) videtur dicere: Concipietis ardorem, et parietis stipulam. Et illud gentilis: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Primum, ex praedictis vidisti, quod de poena, quam Deus infligit, omnibus partibus a te diversus sum, aliis nixus principiis, ideo totum, quod contra me machinaris, frustra machinaris. Nego principia tua, et te totum a planta pedis usquam ad verticem, sicut habes fundamenta mea superius posita.

---

1) In ed. Jen.: his. 2) Ibid.: satisfactio.
*) Isai. 59.

Secundum, nolo ego docere vel doceri in ecclesia, quod requisitus non possim defendere, nisi dicendo, S. Thomas sic dixit: Christianus sum, non Pythagoricus.

Ad tricesimam octavam, utrobique damnabiliter me errare dicis, sive de culpa, sive de poena intelligam, quia papa non declarative, sed ministerialiter et dispositive culpam et poenam relaxat.

Respondeo: Haec supra confutata satis sunt, quia ante ministerium papae et ante eius dispositionem oportet remissam esse culpam, nihil enim valet tua fictitia attritio.

Secundo, quoad poenam a Deo inflictam papa nec dispositive, nec ministerialiter se habet, ut remittatur, hoc enim pertinet ad forum Dei, in quo papa praeter intercessionem nihil iuris habet, ut satis dictum est, nec contrarium est determinatum ab ecclesia.

Ad tricesimam nonam, tandem plenus fiducia primo perversum doctorem, deinde detractorem venialium (ne dicam) venalium praedicatorum et pontificis proclamas. Deinde negas bonarum disciplinarum praeceptis institutum.

Oportet me tandem animum meum[1]) et lectoris mei instituere, ut sciamus cum Thomastris neminem posse loqui, nisi paratum altero verbo convicium, crimen, blasphemiam audire. Diligitis enim opinionis vestrae sensum plus, quam onager suum foetum. Audiamus ergo istam magnificam tuae disputationis bullam.

Duo, inquis, praecepta tenes falsa, quae venias evertunt, unum, quod vera contritio aboleat omnem poenam, alterum, quod vera contritio poenas praeeligat semper. Primum impugnas, et id non nisi bene institutorum theologorum paradigmate, scilicet, ubi offendens[2]) hominem restituitur in amicitiam, non sine emenda, ita Deus lege communi abolita culpa vult peccatorum emendam praestari etc.

---

1) Ibid.: animam meam. 2) Ibid.: offendes.

Primum, si esses bene institutus theologus, ut gloriaris, scires iudicium divinum et humanum dissimillima et contraria esse, et Deum, si remittit, totum remittere, quod homo, quia non est tam bonus quam Deus, non facit, denique sic Christus docuit, ut filii essemus patris, non reddentes, nec requirentes malum pro malo, sed benefacientes malis. Si filios oportet esse tales, quanto magis ipse Pater talis est?

Ideo lex ista communis, quam tu (pace tua dico) fingis, non habet locum, nisi in opinionibus tuis. Nec unquam legis a Deo peccatum remissum reservata poena, praesertim ea quam papa remittere possit, legis autem semper contrarium, quod omnino poenam et culpam remisit, sat habens vindictae, si homo nova vita totus ei serviat. Igitur legem illam communem, qua utitur Deus remittendo peccatum, ille doctius et verius tradit, qui dixit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum[1]) Deus non despicies. Imo de industria praeveniens damnat vestram sententiam et legem dicens: Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem, holocaustis non delectaberis. Ad idem est Isa. 1., Psalm 50 [2]) et Mich. 6. et multa alia loca scripturae, ad vestram sententiam autem nulla prorsus.

Secundo, iterum invidiam mihi conflare anhelas, quando me accusas, quod enervem et evacuem venias. Hoc (salva tua reverentia) non verum dicis. Ista enim est sententia mea, quod cum satisfactio sit (omnium sententia) melior, quam indulgentia, dico, quod bona opera, quae pertinent ad satisfactionem, sint praeferenda veniis, praesertim cum veniae sint nec praeceptae nec consultae, ideoque nec meritoriae, nec utiles ad salutem. Quia ubi non praeceptum, ibi nec obedientia, ubi non obedientia, ibi nec meritum, ubi non meritum, nec salus. Sunt enim licentiae ac permissiones quaedam, ut olim

1) In edit. princ.: humilatum. 2) Ibid.: 49.

libellus repudii, et nunc permissio litium et iurgiorum forensium. Ideo dolere me confiteor, quod has res leves tanto boatu ardemus vulgo persuadere. Quod cum sine exhortatione pronum est ad permissiones, summis viribus persuadendum fuit ad meliora, id est, ipsam satisfactionem. At hoc modo, cum videant praecones veniarum quaestum funditus periturum, prudentissime hanc melioris persuasionem non modo omittunt, sed omni studio celant quoque.

Nec multum prodest, quod dicitur (causa verbi), venias quidem non valere ad meritum seu salutem, valere tamen ad celerem satisfactionem et poenarum exstinctionem. Sit sane ita, sed nihilominus redit, id quod prius dictum est, quod adhuc melius sit etiam poenas et satisfactiones non exstingui aut remitti, cum in hoc non nisi optima opera remittantur, scilicet oratio, ieiunium, eleemosyna. Hae enim sunt partes satisfactionis, quas remitti si audes bonum asserere, audebis etiam id, quod nihil est, optimum dicere.

Igitur venias quaerant, qui volunt. Sed exhortentur plus ad meliora, id est, ad ipsa optima satisfactionis opera. Sicut virgini permittit Apostolus *) nubere, hortatur autem magis, ut virgo maneat. Tales et tam discretos veniarum buccinatores, qui separent pretiosum a vili, si dederis, nihil est, quo dissentiemus, paucos autem dabis, aut aliquot ex ipsis mendicos facies.

Ad quadragesimam cum S. Thoma (timui enim, ne cum S. Paulo vel Augustino) confutare conaris alterum meum (ut dixisti) falsum praeceptum, scilicet quod vera contritio poenas quaerit et amat. Et distinguis duplices poenas (sicut et supra fecisti), primo, quamdiu poenas dare pro sceleribus est alicuius boni allativum, ut in praesenti vita, quando meritorium est, vera contritio amat poenas ad merendum et praecavendum a peccatis, sine tamen contemptu veniarum.

---

*) 1 Cor. 7.

Respondeo: Gratias ago tibi quam maximas, umquid ego aliud nolui, quam quod tu hic dicis? 'ur ergo supra hoc praeceptum falsum asserebas? .n idem apud te diversis locis et verum et falım est? Rogo si mihi non vis credere, crede aliuando veritati, ut Augustinus ait, per os tuum louenti tibi, fortassis ignoranti et invito. Admitto ptimam istam confutationem falsi praecepti mei, ua verissimum esse astruitur.

Sequeris; quia utrumque melius est, quam alteım [1]) etc. Magne Deus, quanta est vis veritatis, t omnium se fortissime tueatur per os detrahenum sibi. Tu qui bonis es disciplinis institutus theoıgus, doce me, quaeso, quomodo haec duo simul tare possint, amare et quaerere poenas et satisıctiones, simul etiam remitti et quaerere indulgenas? Quia unum illorum, ut ais, sine altero minus st, utrumque autem melius est, id est, ut simul sasfacias et simul omittas satisfactionem, quod est liud nihil quam cum ratione, ut ille ait, insanire.

Sequeris, ubi vero poenae nullum bonum affeant, sed retardant a bono gloriae, poenae non asumuntur etc. De his conclusio mea nihil dixit, ufficit mihi, quod etiam tuo testimonio sit verissiıa pro hac vita, nisi quod iterum doleo divi Thoıae vicem et miseram suae discordiae sortem, quia ane conclusionem probat in Italia, et damnat in ermania. Secundo istud figmentum tuum est, quod oenae in purgatorio non afferant bonum. Contraium enim superius tenui et defendi, usque ad deerminationem concilii.

Tertio, ratio tua nihil valet, quod etiam poeae et opera huius vitae retardant a bono gloriae, t tamen assumuntur, imo (ut quidam [2]) e tua ecta, doctissimus Doctor Johannes Taulerus ait) i coelum coram te apertum esset, adhuc intrare on deberes, nisi primum voluntatem Dei super introitu consuleres, ut etiam in gloria, non quae tua

1) In ed. Jen.: alteram. 2) Ibid.: quidem.

sunt, quaeras [1]). Sed hanc sententiam verissimam et theologicissimam absit ut probet scholastica theologia.

Ad quadragesimam primam dicis verum me docere, et gratias ago. Addis tamen, quod non minus caute sunt improbandae et restringendae veniae in praeiudicium apostolicae facultatis. Et tu quoque verum hic dicis, imo nec caute, nec incaute sunt improbandae, sed permittendae, ut quaerat qui volet, tantum ne magnum quis se consecutum confidat, quin maius [2]) potuerit consequi.

Ad quadragesimam secundam et tertiam conaris id persuadere, quod pontifex per venias provocat ad pium opus, et melius esse opus pium cum veniis, quam alterum solum.

Mihi longe alia mens est. Melius provocaretur fidelis ad ipsam satisfactionem sine veniis (ut supra coactus es concedere), id est, ad multa bona opera, quam quod provocatur ad unum illorum cum veniis, id est, remissione multorum. Permitto tamen veniis ita provocari, sed dico, quod sit incomparabiliter minus, ideo mea conclusio verissima.

Secundo, erroneum est, quod opus cum veniis vel gratia veniarum melius sit, quam sine veniis, quia si satisfactio est multa et optima merita, quomodo opus unum cum tot meritorum remissionibus melius erit, quam ipsa tot merita? Loquamur, quaeso, cum iudicio et Christiana libertate. Neque enim poteris dicere, indulgentias aliud esse, quam remissiones satisfactionis, rursum satisfactionem non potes aliud asserere, quam multa bona opera, ieiunii, orationum, eleemosynarum. Sufficiat [3]) ergo, quaesumus, ut permittamus per unum opus bonum multa bona opera remitti; non etiam eo usque commendemus, ut melius esse unum multis credatur.

Tertio, idem est quod deinceps dicis, quod ceteris paribus melius est dare eleemosynam gratia veniarum,

---

1) Ibid.: quaeres. 2) Ibid.: magis. 3) In ed. princ.: sufficit.

quam gratia meriti praecise, id est, melius tibi videtur, ut homo uno bono opere et merito faciat se vacuum multis bonis operibus; erroneum hoc et impium esse, pace tua, credo. Semper tu id conaris, ut veniae non permissiones et licentiae quaedam, sed perfectiones esse videantur. Scis autem, quod licentia omnis nullam habet laudem, nec exhortationes, nisi, quod non peccatum est, et infirmorum, potius pigrorum solatium. Imo ut ille verissime dixit: Licentia omnes deteriores sumus, ita in veniis, quomodo potest melior fieri concomitanter, ut du dicis, qui per eas tot meritis fit minor? et solum permittitur esse deterior, tu autem et suadere vis ut sit deterior.

Sed videamus tamen probationem tuam, quia ibi, inquis, scilicet in opere pro veniis duo bona sunt, scilicet meritum et sublatio impedientis, hic vero unicum est etc.

Respondeo: Quam studiose claudis oculos, et in aperta luce quaeris tenebras. Fateor, duo bona sunt ibi, id est, meritum et remissio multorum meritorum, quod bonum est pigritiae carnis, et damnum optimum optimorum bonorum, et sublatio quidem impedientis, scilicet ad peiora.

Secundo, hic, id est, in opere sine veniis (id est, permanente satisfactione) non unicum est tantum, sed tot, quot sunt in tota satisfactione, quae est optima et meritoria, sublatio omnium impedimentorum gloriae. Et quid multa? si tua dicta recte intelligeres, videres tibi esse causam assumptam vituperandi bona opera, et laudandi remissiones eorundem, quod horrendissimum est in ecclesia audiri. Ideo cum fiducia mihi sumpsi causam laudandi bona opera, non tamen vituperandi venias. Abstrahe vocabula haec, indulgentias, venias, et[1]) relicta opinione rem intuere, et videbis, te non bonum nec bonae causae patronum. Quid enim potest etiam ipsa ecclesia ex veniis facere, nisi remissionem satisfactionum? Quid autem potest satis-

1) In ed. Jen. deest: et.

factiones intelligere, nisi optima opera meritoriasque poenas, et ipsa a Deo praecepta? Quid ergo magnifacere praesumimus, quod in se nihil est, nisi permissio deterioris, ne peccetur ab infirmis.

Ad quadragesimam quartam novus interpres scripturae dicis, pauperi posse negari eleemosynam sine peccato mortali, licet non sine veniali. Ideo conclusionem meam falsam etc. Gratias tibi agit ut optimo patrono insignis illa belua Philargyria, quia discit se posse negare petenti eleemosynam sine mortali peccato. Proh dolor et horror horrendus, quid audimus in ecclesia? Cur ergo Johannes *) dicit, caritatem non manere in eo, qui claudit viscera sua a proximo suo. An caritas etiam recedens non relinquit peccatum mortale? imo Christus **) in iudicio, cur damnabit eos, qui esurientem non cibaverunt? etc. Sed forte in persona impropriistarum ista dixisti. Est aliquis sensus verus, quem ex India forte adduces postea, ideo interim exspectabo. Quod si dixeris, tunc cum veniali peccato negari, quando pauper non eget, aut alias iusta est causa, breviter, si est iusta negandi causa, sine peccato negatur, sin est nulla, peccatum mortale est negasse. Sic Evangelium, sic Apostoli loquuntur.

Secundo, cur non pari, imo maiori studio exquiris, quomodo liceat venias non redimere, ad salutem inutiles et non necessarias, qui tam periculose et acute exquiris, quomodo bona opera liceat omittere, sola necessaria et utilia ad salutem, denique praecepta ab ipso Deo? An obsequium Deo te arbitraris praestare, si calumnieris praecepta Dei et bona opera, tantum ut venias, nec a Deo nec ab homine praeceptas, efferas immodice? Finge nullas esse venias in ecclesia, sed omnes per se satisfacere, sicut olim fiebat. Rogo, utra facies tibi placeret? veniarum an satisfactionum? Vel ergo tu non recte intelligis indulgentias, vel mala simulatione moliris calumniam bonis operibus.

*) 1. Johan. 3. **) Matth. 25

Ad quadragesimam quintam iterum distinguis, ut videris tibi, sufficientius bona temporalia necessaria, et tandem cum Thomistis nostris consentiens dicis: Necessaria secundo modo danda pro eleemosynis, sed solum in extrema necessitate.

Rogo, ignosce mihi, reverende Pater, uror enim nimis, quod textum apostoli Johannis de necessitate perditissime trahis ad necessitatem extremam. Quis dedit tibi potestatem, necessitatem illam extremam facere? Sic diabolus, insidiosissimus hostis, etiam sacras literas nobis illudit et perdit. Det Dominus Jesus Christus, ut nullus hominum tibi et omnibus, qui hanc glossam tenent, tribuat, nisi dum perveneritis ad extremam necessitatem, ut discatis, scripturam sanctam incorruptam relinquere, vel penuria. Istam libidinem et luxuriam corrumpendae scripturae iam ferme trecentis annis patitur ecclesia incomparabili damno suo a doctoribus scholasticis.

Secundo, conclusionem meam veram relinquis, verum non capis quod volui. Tu in hoc recte sapis, quod necessaria secundo modo potest homo pro veniis dare, quod admitto, sed nostri venales praecones de necessariis primo modo suadent hominibus dare pro veniis. Horum enim vox et literae (exempli gratia) sunt hae. Si haberes unam tunicam, vendere deberes, ut venias redimeres. Nec hoc contenti suadent, ubi quis necessaria primo modo non habuerit, tum alicunde mutuet, aut mendicet, etiamsi sit uxor. Deinde Fratres mendicantes quoque suadent, ut corradant sine licentia pecunias. Haec sunt, mi Pater, illa portenta, quae apud nos grassantur; nihil nisi impudentissimae et rapacissimae avaritiae negotium hic agitur, in tantum ludibrium ecclesiae Romanae, ut haec sola esset causa abunde satis, ut universae veniae tollerentur, nec me falsa dicere credas, non tantum vox et fama exstat, sed et libri eorum, in quibus haec passim leguntur.

Tertio, omnia quae suades et dicis, ea opinione

vel simulatione dicis, quod veniae sint aliquod bonum, de quo satis supra.

Ad quadragesimam septimam, cum tibi esset verissima, tamen quia propositum tibi fuit, nullam non mordere, licet nullos dentes habeas, ad insignem adulationem papae versus, admittis esse veram, sed ex papa monstrum faciens tribuis ei utriusque potestatis apicem scilicet, ut sit simul pontifex et imperator. Ita autem tribuis, ut possit imperio iubere pro fabrica S. Petri ut pro communi bono. Nunc autem incomparabilem modestiam ei interim appingis, quod petit et remunerat. Hac tua mollissima, sed nocentissima adulatione id agis, ut futurus aliquis pontifex, laudum[1]) huius modestiae pertaesus, ius sibi credat esse deglubendi totius orbis Christiani, idque cum imperio et potestate.

Secundo dico, quod basilica S. Petri est commune bonum urbis Romae, nostrae autem basilicae sunt nobis utiliores et magis necessariae, quia non possumus omnes ad basilicam S. Petri convenire, verbum Dei audire, et sacramenta percipere (qua sola causa aedificantur), meliusque esset, quod basilica S. Petri non aedificaretur, quam quod parochiales nostrae ecclesiae desolarentur. Id autem agi videmus et dolemus, dum omnium ecclesiarum subsidia per indulgentias ad insatiabilem basilicam S. Petri trahuntur.

Quare istas tuas frigidissimas causandi rationes, scilicet, quod basilica S. Petri est totius Christiani populi bonum, etiam rident Germani, sicut iustum est. Cur non magis basilicam S Johannis, matrem ecclesiarum, etiam bonum commune vocas? Sed forte adhuc in futuris annis restat, ut omnes ecclesias Romanas, deinde et palatia, novissime et muros, et plateas, et pontes nostris piis operibus, gratia veniarum factis, aedificemus, ut non sit finis exactionum. Quare, mi Pater, ego sic, ut debeo, suadeo hominibus, ut primum vivis templis bene-

---

1) In ed. Jen.: laudem.

faciant, deinde suas basilicas, novissime basilicam S. Petri iuvent, quia vestrae ecclesiae non sunt nobis necessariae.

Ad quadragesimam octavam adeo impingis, ut veritate confusus non possis invenire quid dicas. Tandem ad hanc descendis ineptiam, dicens: Tu, Martine [1]), si habuisses a Domino nostro bonum episcopatum, cum plenaria indulgentia ad ecclesiae tuae reparationem, forte dulcioribus verbis abundasses, et quibus detrahis, venias extulisses.

Respondeo, forte et tu spectas me ex animo tuo, quod coniicio ex eo, quod tam molliter adularis. Si ego ad episcopatum aspirarem, certe non ea loquerer, quae tu impatientissime audis. An ignorare me credis, qua via episcopatus et sacerdotia in urbe obtinentur, quando hanc pueri in omnibus plateis orbis cantant? Denique nunc facta est rerum foedissima Roma, omitto reliqua, quae hic velut tremens et a veritate fractus disperdis potius, quam loqueris.

Ad quadragesimam nonam eadem saliva venias utiles astruis, sed occasionaliter, scilicet dum anima ex hoc in gratiarum actiones assurgit. Quasi esses rhetor, tam varios et exquisitos locos invenis. Cur non etiam ad balatum ovis dicis assurgere animam occasionaliter ad gratiarum actionem? Aut quae laus ista veniarum, quando etiam de poenis et malis iubemur laudare Deum? Sed piget me pigra ista inania commenta versare.

Illud vero quam vigil advertisti, quod mihi ipsi contradixerim, ut qui venias hic utiles, superius autem aliter videar asserere. Dico utiles pigris, sicut omnes permissiones sunt utiles, ne peccent si licentiam non haberent. Dico inutiles ad profectum salutis, quod pro tua vigilantia debueras ex eo verbo intelligere, ubi dixi, si non in eas confidant.

Ad quinquagesimam assumis causam praedicatorum venialium, sed astute, quia non credis talia

1) In ed. Jen.: Luthere.

praedicata. Deinde Pontificem commendas, qui tam innocens sit, ut nullus vivat aut operetur indecenter. Tertio inveheris, quod fraternam monitionem non praemiserim.

Respondeo: Si non sunt praedicata talia, aut non credis, quid aestuas ut defendas? sine in ventum me disputasse.

Primo, scio et ego optimum nos habere Pontificem Leonem Decimum et velut Danielem in Babylone, ut cui sua innocentia vitae periculum aliquando fecerit, sed tu, quaeso, dic mihi, quis unquam tam innocenter vixit, ut nullus alius non inique modo, sed nec indecenter operatus sit aut vixerit? videris (nescio quid) maximum adulari voluisse, sed inter dicendum et verba et sensus te defecerunt. Forte voluisti dicere, quod Leo Decimus id agit, ut nullus indecenter vivat, quod cum videres impossibile inter verba mutas sensum, et orationem sine sensu relinquis.

Secundo dic mihi, quis a disputatore unquam expostulavit, ut prius eum moneret, contra quem disputat? Cur etiam tu non prius me monuisti, quando tot nominibus criminum me foedare parabas? Cur pontifex in decretis suis non prius monet, quam statuit contra abusum quaestorum? Ego in communi disputavi, neminem nominavi. Si innocentes sunt, quid queruntur sese tangi? Ergo nemo praedicet evangelium, vitia nemo carpat in publico, nisi prius ostiatim singulos moneat. Mihi miraculum est, eos esse innocentes, et tamen meis verbis moveri. Sed verum est illud divi Hieronymi, quando vitia communiter arguuntur, qui irascitur, accusator est sui. Denique quomodo monitionem meam recepissent, qui etiam te patrono usque hodie perstant innocentes? Noli, quaeso, mihi mandare, ut innocentes moneam, si vis autem, ut moneam, iam alio accusatore non egent, quia tu patronus eorum nocentes confiteris.

Tertio, quod autem haec facta sint (licet tu non credas) testis est tota terra, testes et exstantes libri. Qui autem id fecerint, ipsi viderint.

Ad quinquagesimam primam sicut eadem repetis, ita eadem tibi dicta volo, nisi quod me per talenta loqui dicis, quod transeo.

Ad quinquagesimam secundam dicis, vanam esse meam conclusionem, quod ita probas, quia nullus tam stultus sit, ut sic faciat.

Respondeo: Quid ad te, quaeso, si nullus est tam stultus? sine me disputare, ut dixi, vel in ventum. Numquid ideo decretales papae sunt vanae de abusionibus quaestorum, quia tu nullum quaestorum contra egisse defendis? Sed prae senectute forte ita et loqueris et phantasiaris. Si nullus est, qui sic confidit in literas, nullum detigi. Eos, qui sunt, volui tangere, quos ego non unum, sed plurimos novi, et adeo stultos, ut non solum de animarum redemptione, sed de sua quoque salute certi sibi essent, quia has literas haberent.

Deinde, cur tuis clientulis non etiam persuades, ut animam suam impignerent pro contritione et satisfactione? Quoties tibi, rogo, dicendum est, impium et avaritiae ministerium esse, quod pro veniis tam exquisite, tam magnifice omnia tentantur[1]), ac si solae essent rerum, et pro necessariis ad salutem prorsus vix mutitur? Tu cogita, an simplex populus non discat confidere in literas, tanto luxu et apparatu commendatas? Magnum enim cogitent necesse est, quod tam magnifice proponitur. Tu, qui interim doctus es non fidendum in literas, mox etiam simplicem populum eadem per se ipsum discernere et intelligere confidis, contra tot et tantorum persuasiones et irritabula?

Tandem[2]) mihi minaris maledicta, irrisiones, censuras. Quas? et quare? noli minari, mi Pater, Christus vivit, non solum vivit, sed etiam regnat, non solum in coelo, sed etiam in Roma, quantumlibet ipsa furiat. Si maledicar pro veritate, benedicam Dominum. Non separabit me censura ecclesiae ab ecclesia, si iungat me veritas ecclesiae.

---

1) In ed. Jen.: testantur. 2) Ibid.: Tantum.

Malo esse a te et similibus (si ita pergis) maledictus et excommunicatus, quam tecum benedictus. Nihil habeo quod possim perdere, Domini ego sum, si perdor, Domino perdor, id est, invenior. Alium ergo quaere, quem terreas.

Ad quinquagesimam tertiam stultum et ridiculum me vocas, interim tu sapiens dicis, crebra raris cedere, et annalia festa sanctorum celebriora esse, quam sabbatum Virginis matris.

Respondeo: Quo, quo, mi Pater? Aut pluvius describitur arcus, aut flumen Rhenum, sed nunc non erat iis [1]) locus. Primum, non sunt rara apud nos, sed continua indulgentiarum negotia. Deinde, quae proportio, ut verbum Dei, quod instantissime praecepit Christus praedicari, cedat raris indulgentiis? Si Christus ita non iussisset, staret tua similitudo. Item non potest papa iubere silentium verbi Dei, quod semel emissum non est alligatum, sed nec factum a papa unquam legi.

Per idem respondeo ad sequentis conclusionis futilem confutationem, ubi tu sermonem veniarum esse verbum Dei contendis, sed improprie, scilicet cum declaratoriis et hortatoriis. Si verbum Dei dicitur, quicquid cum verbo Dei dicitur, omnes haeretici, omnes daemones, omnes homines non loquuntur nisi verbum Dei, quia nihil tam absurde dici potest, quin verbum Dei misceri possit. Ego dico, quod sit verbum hominis et de remissione hominis prolatum, quia verbum Dei est, quod fide iustificat cor et gratiam iustificantem confert, sicut Roma. 1: Virtus Dei est in salutem omni credenti. Verbum autem veniarum non iustificat, nihilque confert animae, nisi quod dat licentiam pigritandi in bonis operibus propter infirmos.

Ad quinquagesimam quintam dicis, hanc et similes esse pueriles, viri stomachati, et inferentis os in coelum, et contra stimulum calcitrantis. Respondeo: Verum est apud Silvestrum et Thomistas duntaxat.

---

1) In ed. Jen.: his.

Ad quinquagesimam sextam autoritate Thomae dicis, thesauros ecclesiae esse merita Christi, in quantum satisfactiones. Et idem per idem probas, et dicis, quod S. Gregorius dedit aliquando indulgentias, ut communiter dicitur, non potest probari. Ideo nec S. Thomas aliquid in hac re efficit.

Ego quidem non cum universo orbe me disputaturum obtuli, quia nesciebam, quod positiones meae essent tam late vagaturae, ideo noli mihi arrogantiam hanc asscribere. Casus me in has res perduxit, ex quibus cum silentio me eripere non possum, forte Deus ita voluit. Ego tamen istam conclusionem non asserui, sed et adhuc disputo, exspectans concilii determinationem, sicut et omnes alias, quae dubiae sunt aut in controversia haerent.

Ad quinquagesimam septimam mire quam pungeris, quod avaritiam paululum momordi. Nam et tu quoque patientius ferre potes, si contra scripturam pugnarem, quam contra avaritiam. Ideo et hic pontifici eximie adulatus invidiam mihi conciliare festinas. Quid mihi innocentiam pontificis obtendis? Numquid ego eam ignoro? Aut si avaritiam taxo, numquid ideo pontificis innocentiam mordeo? Tu vide potius, an impius sis in pontificem, qui avaritiam et pontificis innocentiam in unam rem conflas, dum morsam avaritiam idem astruis quod laesam pontificis innocentiam, imo sub praetextu innocentiae pontificalis irreprehensibilem nobis defendis avaritiam? Si sunt innocentes tui clientuli, non mordentur a me, si nocentes, cur defendis? Det tibi Dominus, ut aliquando rectius iudices, melius videas, et a calumniis mei abstineas.

Ad quinquagesimam octavam eadem repetis, quae in ante praecedente dixisti, tua enim sunt verba, ideo transeo.

Ad quinquagesimam nonam iterum totus ardes, adeo in ceteris omnibus patientior es, praeterquam ubi avaritiam tango, quam tamen velis nolis non possis negare Romae versari, ne dicam dominari, ut mihi tu quoque prope fias suspectus, quod magis lucra, quam animas cures, interim innocentissimum pon-

tificem ad invidiam meam commendas, scilicet ut tantum decus innocentiae operculum facias nequitiae. Id enim anhelas, ut mores Romae arguere neminem sinas, nisi te interprete, simul optimi pontificis innocentiam laesisse probetur. Quid vis? patronum te vocem Romanorum flagitiorum? Cur tu ipse non te quoque interpretaris laesisse pontificem, qui aperte scribis, Romanum clerum a primaeva perfectione declinasse? Sine me tuis tecum artibus agere. Clerum Romanum mordes? At pontifex est pars, et quidem nobilior cleri. Vae tibi misero, qui talem ac tantum pontificem non solum lapsum, sed a tota perfectione declinasse et in perfidiam et haeresim abiisse palam asseris. Id enim totum significat declinare, scilicet a perfectione. Videsne, quam pulchre et ego te auxesibus istis possem opprimere, si adulari et calumniari vellem.

Quae ad sexagesimam cum sequente dicis, transeo. Nihil enim dicis, quod non dictum sit prius. Ego probabiliter posui, quod thesaurus indulgentiarum sint ipsae claves, ut in declarationibus. Similiter transeo sexagesimam secundam, quia admittis eam esse veram, non tamen sine calumnia.

Ad sexagesimam tertiam, quartam, quintam et sextam, cum veras esse non neges, neque negare possis, miror quod ita excandescis et totus ignis efficeris. Mirabiliorem disputatorem non vidi, ut quem propositiones verae plus movent quam falsae, cum tamen veritas quaeratur disputando. Igitur sim canis, filius canis, dicax, non excusatus ab anathemate, nec mentis compositae, et si qua plura pro modestia tua senili habes, modo vera me saltem momordisse concedas, si negas dixisse. Hanc satyram merui, non quia falsa, sed quia vera dixi in avaritiam. Non credidissem Romanam avaritiam tam teneram et impassibilem[1]) esse, imo tam ambitiosam et arrogantem, ut innocentia optimi pontificis videri vellet.

---

1) In edit. Jen.: impossibilem.

Ad sexagesimam septimam dicis, me deserto pontifice etiam donis spiritus sancti detrahere. Ego miror te senem adeo fervere, ut nec me nec te intelligere possis. Ego non dixi venias non esse utiles, sed animae esse utiles nego, nisi quo modo licentiae et permissiones utiles sunt, quod autem tu id blasphemiam dicas, nihil curo.

Ad sexagesimam octavam excusandos censes eos, qui venias astruxerint maximas gratias, sed per hyperbolen. Obsecro, cur et me non aliqua figura censes excusandum, qui nihil assero, sed solum disputo? Cur tibi facis, quod mihi non facis? Deinde, si sunt per hyperbolen excusandi, cur non etiam sunt per cyrologiam accusandi? cum veritas hac figura quam maxime gaudeat, et ipsa quam optime veritatis doctores deceat, illam vero, ubi potest, fugiant, imo id unice queror, quod per hyperbolen sunt locuti. Si autem vobis permittitis, mi R. P., improprie et hyperbolice, et quoquo modo libuerit loqui, cur non et Ioannem Reuchlinum integrum et eruditum virum eadem aequitate tractastis, et aliqua figura eum excusastis[1])? Aut si in hunc tam rigidi fuistis censores, ut in syllabis innoxiis inveniretis venenum, certe non permittetur vobis tam larga et libera figurandae locutionis licentia, ut falsa dicta pro libito seminare et interpretari possitis. Aut si qua venia vobis dabitur, dupla huic debetur, et eo absoluto vos rei permanebitis.

Secundo nova usus distinctione putas me inexcusabilem, quia venias appellaverim minimas gratias, cum sint et aliae gratiae, et dona minora, scilicet bona fortunae etc. Si mente fuisses quieta, vidisses, cur haec addiderim, ad gratiam Dei et crucis pietatem comparatae. Ego comparationem feci ad crucem, hanc quasi non videas, novam comparationem facis ad bona fortunae. Si sic ad iniquitatem et calumniam tantum vigilas, quis poterit tibi verax videri.

---

1) In ed. Jen.: excusatis.

Transeo, quae in sexagesimam nonam cum tribus sequentibus amarulentus evomis.

Ad septuagesimam tertiam non nego quidem posse omnem casum absolvi potestate clavis, sed insaniam esse dixi, et dico, pro veniarum magnificentia, quae nihil prosunt ad vitam, tam horrenda monstra criminum in exemplum vocare, et pro magnitudine potestatis levicula facere. Ex qua insanissima veniarum commendatione fit, ut viles fiant contritiones et vera poenitentia. Boni praedicatoris est[1], peccata (ut sunt) magna praedicare, ut misericordia Dei magnificetur. Aut dic, cur non pro contritionis magnificentia simile aliquid dicunt? scilicet quia non pecunias, sed paupertatem hi sermones afferunt. In rebus non necessariis nec utilibus ad salutem, sed tantum permissis honorificum putas, in ecclesia Dei tot auxesibus tonare, cum nec Christi passionem sic velit ecclesia praedicari?

In septuagesima quinta non dixi papam minorem Petro, imo nolui, ut papam et Petrum negarent maiores gratias habere, quam sint veniae.

In septuagesimam sextam, ut nihil omittas, quo me exsecrabilem facias pontifici et eum tibi uni adulantissimo propitium, fingis me ironice de tanto pontifice loqui. Videsne, quantus sit mihi hic locus invehendi in te, in tuam pene dixissem, sed reprimo me. Arrige aures et audi, si saltem domi eas habes. Ego dico non ironice, sed plane, quod omnis papa habet maiores gratias, quam veniae sint, scilicet evangelium et gratias curationum, et omnia quae scribuntur 1 Cor. 12, non in persona sua, sed in potestate sua, id est, eo modo, quo gratias veniales habet. Nam etsi sedulo dissimulas, non tamen credo adeo stupescis, ut venias papam in persona sua habere dicas, sicut virtutes personales, nisi dixeris, quod depositus papa etiam omnia possit, quae prius.

Igitur quicquid est in ecclesia donorum et mi-

---

1) Ibid.: enim facit.

nisteriorum, dixi in manu papae esse, ut ordinet, mittat, ponat, sicut corpori ecclesiae expedire videret. Haec autem sunt incomparabiliter maiores gratiae, quam veniae. Melius facit enim papa, si unum bonum pastorem uni ecclesiae praefecerit[1]), quam si omnes simul indulgentias dederit. Tu autem in personam tantum huius Leonis Decimi intentus, sicut decet graphicum adulatorem, intelligis in verbis alienis, quicquid volueris, et tamen detractor et calumniator esse non vis.

In septuagesima septima mihi non credis, quid ad me? per hoc nobis non fit satis, omnia illorum optimi consulis, nisi quod respector personarum, mea solius pessimi consulis.

In septuagesima octava nec excusatione me dignaris. Quod est istud novum Silvestrinum forum, in quo reo negatur excusatio? sed obtorto collo rapitur ad abiurandam haeresim, sit sive non sit haereticus? Sed ubi vera mea non potes negare, saltem personam meam omni studio contendis opprimere. Utinam tecum mihi liceret, et corpusculi permitteret imbecillitas coram de iis[2]) rebus conferre. Non dubito me tantum tibi ostensurum, ut saltem modestius deinceps disputares. Haec sat de propositionibus. Cetera, credo, videris, aut videbis in declarationibus meis.

Ad quaestionum vero laicarum confutationes volui quiescere, sed incidit et permovit perspectum iam tuum ingenium, et avidum victoriae et impotens pugnae. Ideo si possum paucis respondebo.

Ad primam, cum longum illud Taratantara induxisses, ubi inter cetera etiam meritum congrui et praeparationem hominis ad gratiam necessario praecedere docuisses infusionem gratiae, quae haeresis iam quidem per ecclesiam praevalida copiosissime confoditur a B. Augustino contra Pelagianos, et in nostra universitate[3]) coepit explodi.

---

1) Ibid.: perfecerit. 2) Ibid: his. 3) Ibid.: academia.

Tandem commemoras iustitiam divinam non permittere evacuari purgatorium, et hoc probas autoritate sanctorum (Thomae), ex ipso enim ceteri theologi et canonistae suxerunt. His itaque percensitis, cum quaestio ista laica adhuc staret, scilicet, quod caritas et necessitas essent causae iustissimae evacuandi purgatorii, et hic totus nodus esset, hunc sic solvisti fortiter dicens: Caritas autem pontificis et necessitas animarum non est efficax ratio sic relaxandi iustitiam divinam, quam Deus talis necessitatis conscius et infinitae caritatis ac misericordiae visceribus plenus sanxit.

Haec tua solutio omni glacie frigidior, et (ut tuis disciplinis utar) petitio principii tantum effecit, ut, si quis velit tibi credere, sit quietus, qui nolit autem credere, nihil audierit nisi vacua verba. Quid enim istis verbis respondisti nisi quia Deus non vult, caritatem et necessitatem esse causas sufficientes? Et non probas Deum id non velle. Quia si Deus pecuniam aut quodlibet temporale (nisi forte non sit conscius etiam temporis) efficacem reputat causam, cur non etiam caritatem ipsam, in quam omnia illa ordinari voluit.

Nunc si ego quaererem, cur ergo pecunia aut temporalis res est causa efficax, eadem principii petitione dices: Deus ita voluit. Si de voluntate ergo Dei disputandum est, scimus quod nulla res mundi sic placet, ut caritas, et quod caritati non donat, non praesumitur ulli alteri causae donare, si autem alteri donat, multo maxime caritati. Et sic patet, quod etiam tu mecum succumbis in ista quaestione. Obsecro te, crede mihi, sunt et in laicis iudicia, et tanta, ut ego me confitear ferme ter in istis quaestionibus succubuisse, et nihil retulisse gloriae, quam quod sibi verba a me data dicerent, sicut et tu hic facis mihi.

Secundae solutio multo frigidior et vanior est, nulli nisi tibi soli satisfaciens. Prima, inquis, causa est, quod vel porrigens forte non secundum facultatem propriam porrexit, vel nimis parce porrigit. Tolle ista accidentia, et pone, quod de propria fa-

cultate et sufficienter porrexerint. Haec enim a te dicuntur tanquam lubrico, qui tempus redimas, et exitum quaeras, nihil enim sunt ad propositum. Ergo non est causa, multo minus prima causa. Alia, quod suffragia, si non prosunt iam redemptis, pro sunt tamen aliis. Hoc non quaerebatur, sed hic est nodus, an omittenda sint officia nominatim pro animabus oblata, an nomina eorum non pronunciari, non in orationibus memorari oporteat? Hic responde, quod, si omittenda sunt, omnis devotio vulgi deficiet, et sacerdotes fame conficientur, nisi forte dicis: Quid ad Romanos, quod Germani moriuntur?

Ad tertiam iterum dicis, non esse causam sufficientem, cui rursum opponitur caritas, ut supra, et permanet quaestio, nisi velimus nuda verba Silvestri pro oraculis habere.

Ad quartam mihi pro regula tradis factum et dictum ecclesiae Romanae.

Respondeo: Si de virtuali et repraesentativa tua ecclesia loqueris, nolo tuam regulam, quia (ut supra dixi) ex c. Significasti, talis ecslesia potest errare. Universalis autem ecclesia non potest errare, ut doctissime etiam probat Card. Came. in primo Sen. Deinde, nec papa usquam hoc dicit aut facit, quod tu factum et dictum ecclesiae vocas. Promptulus es aequivocator huius nominis Ecclesia, ideo maxime mihi suspectus.

Ad quintam dicis, ubi multae sunt divitiae, multi qui comedunt eas. Hoc est, quod queruntur, quod Roma quaerit saturare pecuniis suos comestores, et totum pene devorat orbem. Cur non minuuntur comedentes divitiarum? In fine iterum facis ex papa imperatorem in potestate et violentia. Sed Maximilianus et Germania id non noverunt, neque credunt. Fortissime autem id negant Turcae et Tartari. Frustra quoque celeberrimum illud et commune bonum, quod est, lapides et ligna, nobis iactitas. Non enim per hoc solvuntur laicorum quaestiones.

Ad sextam sum tibi haeresiarcha, quando qui-

dem potestatetem tibi arrogas baptizandi mei, ut volueris. Ago tamen gratias, quod verum esse dicis, nihil remitti iis[1]), qui perfecte sunt contriti. Et scio non omnes esse tales, sed non ideo intrant purgatorium, quia poenas debent, quas papa possit solvere, ut probabiliter tenui et teneo.

Ad septimam dicis, quod duo bona adderentur, unum, quod necesse esset fideles toties repetere causam, gratia cuius dantur veniae, puta eleemosynam etc. Scimus, mi pater, quod vos libenter videretis, causam istam una hora millies repeti. Hoc fere in avaritiae bonum cedit. Nos quaerimus de bono dantis, quod si est datio eleemosynae, melius id fit sine veniis, et gratis, quam propter venias, ut supra dixi. Tu autem semper imaginaris, venias esse aliquod bonum. Alterum bonum, inquis, remitteretur novus reatus poenarum, si quis post veniam incidisset.

Respondeo, quod iste reatus melius tollitur sine veniis, quia veniae non sunt pro peccatis venialibus necessariae. Si autem de mortali reatu intelligis, iam nullum est istud bonum, nisi centies quis in die peccet mortaliter, quod nullus facit vere[2]) poenitens.

Ad octavam, quod papa suspendit venias et literas, dicis, id fieri pro structura omnium praeclarissima. Et haec tibi videtur esse iusta suspensionis causa. Nec mirum, non enim nisi quae Romae sunt, curas. Ego autem dico, sit illa structura honorabilior omnibus, certe nostrae ecclesiae sunt magis necessariae. Ad pompam mundi solum respicis, quasi tunc ecclesia sit praeclare provisa, si ligna[3]) et lapides in magnum erexerit cumulum. Cum, si velletis, possitis ipsi Romani pontificem opulentissime iuvare. Sed aliorum sit iudicium de tuis solutionibus, ego fateor, me nihil ex iis habere, quod laicis reddam, nisi maiores quaestiones.

Ultimo tribuis pontifici iterum, ut sit virtualis

1) In ed. Jen.: his. 2) Ibid. deest: vere. 3) Ibid.: *signa*.

ecclesia, et imperator et pontifex, potens et brachio seculari compescere etc. Ista opinione tua stante vellem doceri, an etiam sitis homicidae? Cur ergo iura non permittunt ecclesiae ad corporalis vitae periculum poenitentiam imponere? Sed haec alias et ab aliis.

In fine dico, non me terrebis ampullis et minaci strepitu verborum tuorum. Si occidor, vivit Christus Dominus meus et omnium, qui est benedictus in secula, Amen.

Ecce, mi R. P., cursim et duobus diebus tibi haec reddidi, quia visa sunt levicula, quae tu opposuisti, ideo ex tempore et ut in buccam venit tibi respondi. Si volueris deinceps retundere, vide, ut Thomam tuum armatiorem producas in arenam, ne forte tunc non ea modestia excipiaris, qua hac congressione exceptus es. Repressi enim me ipsum, ne malum redderem pro malo. Vale.

Replica F. Silvestri Prieriatis

Sacri Palatii Apostolici Magistri ad Martinum Lutherum Ordinis Eremitarum.

Martinus Lutherus Optimo Lectori Salutem.

Has Silvestri mei replicas tibi, optime Lector, enixe commendo, commendatione enim mirum in modum indigent, vel hoc nomine, quod minas, nescio quas, parturiunt, Ora, quaeso, pro ipsis, ne abortiant. Bene vale, et Theologorum eiusmodi miserere.

Sacrarum Literarum Professori F. Martino Luther, Ordinis Eremitarum, Frater Silvester de Prierio Ordinis Praedicatorum, sacri Palatii Apostolici Magister, S.

Salvum te esse optarim, Martine[1]) carissime. Cum Resolutione tuarum Positionum etiam tuam Responsionem ad nostrum Dialogum excepi. Qua ex re, etsi me acriter et quidem artificiosissime tangas, item etiam pungas, et quanta clam fieri potuit eloquentia et vi dehonestare quaesieris, quia tamen tuum spiritum pontifici se subiicientem primo oculorum coniectu iucundissime vidi, nec non conclusionem, quam haereticam notaram revocatam, cor meum adeo in te dilatatum est, et amoris dulcedine commolitum, ut aliud exturbare me deinde potuerit nihil; cum tamen hinc me in ea, quae ad

1) In ed. Jen.: Luthere.

me dedisti, totum contulissem, quae in me et in mea dicta tela adegeris, et quanta latenter arte, tantum sum miratus, ut in me expleri miraculum nequeat, adeo ut, cum omni sis arte et colore rhetoris usus, ipsam quoque artem hac arte celare volueris, ut te astrueres nolle in loquendo meis artibus uti, cum posses, imo aliquando me effinxisti inepte, ne perfectus fictor haberi posses.

Sed missa sint eiusmodi, dicamus vero, quod, cum dicta mea utcunque momorderis et pupugeris, in me tamen omnia péne tua tela coniurant, me petunt, et quidem contorquente non theologia, non philosophia, sed praepolita et astutiis assueta rhetorica, quae verba multum, veritatem parum curat, modo populares aures inflectat. Ea propter, cum longe plura in me, quam in mea dicta spicula ieceris, nunc ea, quae in me, propediem vero ea, quae in mea dicta iacula vibrasti et contorsisti, veritatis munimine ceu scuto tectus reiiciam, eo vel maxime, quod vehementer exoptem speculative duntaxat tecum agere. Quod equidem mox aggrediar, quam primum scilicet ex commentariis illis, in quibus me submersisti, emersero.

Ita vero optarim haec mea dicta capias, ut non in spiritu superbiae, vel iracundiae, sed excusationis potius edita, et plerumque etiam ioci gratia, salva semper eminente scientiae Christi caritate, quae visa tua ad pontificem humilitate, item et observantia (modo non fingas) nuper in te mea ex mente pullulavit. Cum enim meum velle sit pontificis (ut par est), si pontifici consentis atque communicas, itidem tecum faciam, necesse est, quamquam theorice bellum ingens salva, ut dixi, caritate mihi tecum sit. Igitur ut praetermissis exordiis re ipsa exordiar.

In primis me taxabas, quod noster ad te dialogus superciliosus sit, et tractatu tuo prolixo (ne tuis verbis usus dicam, verbosissimo) pene continue in me impingis, quod bili et effrenata cholera affectus excanduerim. Quod quam iuste et merito id agas, ex his paucis accipe. Ego enim quamquam

urbis et orbis domini nostri spontaneo munere inquisitor, ac perinde sive ordinarie, sive delegato iure in spectantibus ad fidem iudex, ad te responsa dedi, non propter te tantum, quin potius propter alios, vel maxime rudiores, in quibus tuus sermo sensim, ut cancer, serpebat, non secus, quam contra Donatum, aut Faustum, aut Manicheum. Adeo tua verba Romanam ecclesiam, item et Romanum pontificem in primis omnium iudicio graviter impetebant, ac si talia in lucem dedisses, quasi mox ad Bohemos commigraturus, aut magnum aliquod ac latens adhuc schisma propalaturus. Ea propter stimulos ac clavos tuos simplicium gratia et universi populi Christiani, non autem te propter retundendos existimaverim. Et nihil eo minus cum non ex bili et cholerae fervore (ut astruis), sed Dei zelo in primis, et tuendae veritatis gratia, ac demum interventu fidelitatis, quam Romano pontifici iureiurando tuli, ad te brevissimum dialogum edidissem, inprimis eum discutiendum per eos, ad quos attinet, curavi, ne forte gravius, quam par erat, te impetivissem;

Adde, quod tui ordinis nomen, cui (meo et omnium iudicio) plurimum dedecoris eras allaturus (utinam autem faxit Deus, fallar), subticui, quod utique si cholerico humore efferbuissem (ut scribis) non effecissem, denique, ubi per viros graves probata sunt mea, in lucem dedi. Quid ergo malevolentiae, vel, ut ita dicam, excandescentis cholerae toties me arguis, qui nihil non discussum, non probatum, non laudatum prius extulerim.

Tu vero, qui vis, ut Christum in te detonantem audiamus, vide, quam modeste, quam humiliter, quam caritative, quam reverenter Magistro sacri Palatii scripseris, qui ad me dehonestandum, ex sententia et ex comparatione, quanta potuisti arte, calliditate, mendacio usus, tandem cum nihil tibi ultra evomendum superesset, comminatus es, quod me in posterum tanta modestia non excipies (te enim ais cohibuisti), nisi armatior me in arenam contulero. Et quidem interim, quia de armis sermo

se intulit, in arenam his telis instructus descendam, Deo duce et comite veritate, quod nisi te omnium iudicio stravero et demonstraro [1] (quod tamen theologice dictum volo), demonstravero, inquam, quod tua dicta haeresim complicant, nolo vivere. Sed de his nunc satis.

Deinde vero toto pene libello tuo irriseris, quod nihil probem, quod cum Thoma meo nudis verbis utar. Quod quam iuste facias, cunctis mea intuentibus liquet, quippe qui et in exordio et in calce dialogi apertissime docui, me nihil aliud tunc efficere voluisse, nisi positiones contra tuas positiones in publicum afferre, simul ut cavere didicissent simplices tuas falsitates, et a te tua fundamenta extorquerem, qui itidem nudas tuas positiones nobis intuleras, et adeo amphibologicas, ut perplures in earum plerisque nihil nisi praesumptionem et audaciam et eiusmodi intueri possent. Hoc autem ex parte feci, quia nullus est tam insanus, qui nostra conferat tuis et non praeferat.

Item, etiam tu in probationem tuorum maximam farraginem edidisti, in qua liqueat, quid valeas vere, et quid tecum, in qua etiam divina eloquentia copiosissime quidem, sed tamen more declamatorio citas, et adeo sapienter, ut pene nihil proposito et instituto tuo attineat. Sed neque illud miraculo adscripserim, quippe qui me et Thomastros (ut tuo utar irrisorio vocabulo) et Thomam ipsum irrideas et crimineris, quod distinctionibus assueti his crebro utimur. O magnum Thomistarum dedecus, imo maximam gloriam. Tu enim, qui tua doctrina mundum innovaturum putas, et eversurum antiquorum monumenta, dum scripturas indistincte intelligis, quasi nihil aequivocationis aut analogiae contineant, consequenter autem confuse intelligas et scribas et doceas, necesse est. Quod utique ista tua magna farrago probarit, in qua tuis dictis ita cohaerent tua quae citas testimonia, sicut catus et simia

*) In ed. Jen.: demonstravero.

in culeo. Tibique propterea est illud sophisma nihil et chimaera; litigant in sacco, tuae scilicet confusae farraginis.

Iterum autem atque iterum, et ad nauseam repetis, quod sim vere Thomista et Aristotelicus, et quod praeter Thomam nihil mea verba redoleant. Quod equidem quando ad te scripsi, opportunum et satis mihi fuisse astruxerim ad tibi in maledictis contradicendum. Visurus es autem e vestigio, an ego quoque et forte longe melius quam tu manum ferulae subduxerim, et an sim purus Thomista, vel iurista, aut canonista, aut Paulista, aut certe sophista. Quamquam, etiamsi divum Thomam solum familiariter novissem, non plus asscriberem probro, quod me et quidem verissime Thomistam vocitas, quam caecus prius, deinde lumine decoratus a Christo Pharisaeorum maledictionem asscripserit, qua Pharisaei, Johanne Evangelista *) teste, ei maledixerunt, dicentes: Tu discipulus eius sis, id est, Jesu Christi. O maledictionem et opprobrium singulare esse discipulum Christi, aut etiam divi Thomae, cuius doctrina, velis nolis, per ecclesiam Romanam cribrata est et probata, non quasi canonica, sed tanquam moribus et fidei catholicae conformis, et quam summus pontifex Innocentius, excepta scriptura canonica, doctrinae sanctorum omnium antefert, dicens: Huius S. doctoris sapientia prae caeteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam, qui eum tenuit, inveniatur a tramite veritatis deviasse, et qui eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.

Quid ergo contra Thomam faciunt praesumtuosorum et sciolorum latratus? Vide, an tuus ordo peritiorem aut sanctiorem habuerit, quem sequaris, cum magnus Bizarion [1]) eleganter eructaverit, divum Thomam inter sanctos doctissimum, inter doctos sanctissimum, imo teste veritate, quae Chri-

---

*) Johan. 9. 1) In ed. Jen.: Bessarion.

stus est, bene scripserit, nisi forte mihi Augustinus obiiciatur, sed oporteret prius vestra iurgia sopiri.

Tu vero postergato non Thoma modo, sed doctore alio quolibet, quanta vis sanctitate praepolleat ad probandum, quod Romanus pontifex decernendo de fide et moribus possit errare, inniteris baculo arundineo tuam manum terebraturo, scilicet Abbati Siculo, viro olim rebelli et schismatico, qui in Basilea, ubi Basiliscus pullulavit, pileum iniquitatis emeruerit, qui etiam, quemadmodum satanas, in omni suo opere suam antiquam superbiam redolet. Ita et ipse in omni sua doctrina redolet suum schisma. Ex qua re cogitur interdum ineptias docere, cum secum non habeat veritatem, quae etiam a te in hac re in tuam tuique ordinis ignominiam proscripta est, nempe ait, quod pontifice maximo et concilio de fide dissidentibus ei standum esset, cuius rationes essent meliores.

O irrefragabilem virum, cui inniteris, irriso divo Thoma, in re tanti momenti, apud quem ecclesiam insufficienter institutam dixeris, quippe cum evenire possit litigium, quod ecclesia terminare non possit. Quis enim inter pontificem et concilium iudicabit, utrae rationes sint potiores, nisi aut idem sit iudex in causa propria, aut infideles vel ecclesiam universalem iudicem cum tuo Siculo facias, ac perinde ab extremis terrae omnes vetulas convocemus, ne illae desint, apud quas est vera fides. Sed quia eiusmodi ad alium Tractatum attinent, missa sint.

Adiicis et Gersonem in tui munimen, qui et ipse de potestate pontificis pessime sensit et scripsit, non modo apud Thomam, lumen mundi, sed apud doctores tui ordinis, et apud canones. Hi doctorelli, cum te faciant de Romana ecclesia superbe sentire, et multi alii, qui aequo animo non ferunt, eam esse caput ecclesiarum, sunt tibi, Martine [1]) frater, multorum erratuum causa.

Quid autem mirum, quod Thomam nihili pen-

---

1) In ed. Jen.: Luthere.

das, cum et Aristotelem ipsum, quem tota natura (ut ita dixerim) miratur, et cuius veritate, Boetio teste, nihil clarius, et in cuius doctrina; sive in logicis, sive in physicis, sive in moralibus, hactenus sit nulla inventa falsitas, praeter id, quod non certe, sed eodem teste dubitative de mundi aeternitate sensit, tu adeo dehonestas, ut tuis deberes verbis erubescere. Reliquum est ergo, ut de auctore, quasi altero Archita, vel Platone, aut Pythagora, non Thomam modo aut Aristotelem, sed doctorem omnium, qui celebrantur, cum asscriptorum coelestibus, tum etiam non asscriptorum scripta in melius commutemus, quasi nescii rerum inconsiderate scripserint, et pontifices inaniter indulserint venias.

Occurrit nunc dictum illud tuum, quo me cum cryptis divae Pudentianae, aut egregii martyris Sebastiani irrides, quasi ego his vulgi opinionibus sim probaturus, quod ecclesia per venias concedat animarum liberationem a purgatorio. Non citabo antra vel cryptas, sed autores tales, quos si negabis, negaberis et damnaberis. Quam vero tu subtiliter probaveris tua per Clementinam citatam, propediem videbis. Illud tamen non silebo modo, quod revera egregius apparuisti canonista, et qui omnium sanctorum doctrinas aspernaris, inaestimabilem et immensam molem in glossula [1]) et quidem male intellecta, fundasti.

Sed, ut dimittam Thomam, et ad propria me convertam, crebro me adulatorem vocas, quod quidem purgare erubesco, tibi tamen aliorum gratia responderim, quod ea, quae de pontifice maximo scripsi, minora sunt virtutibus eius personalibus. Cum autem verum protulerim (teste clero et populo Romano ac toto pene orbe), qua temeritate de intentione mea iudicare praesumis? Quin et partes meas egi, si te impeterem, pontificem, cui fidem ex Christiana religione et ex proprio iureiurando debeo, reieci. An non aeque licet mihi cum veri-

1) Ibid.: glosula.

tate ad defensionem laudare pontificem, quem tu, quantum ad te attinet, graviter foedasti, sicut et tibi cum falsitate bene maledicere? in qua re omnium, quos unquam legerim, palmam triumphumque reportas.

Quod autem dicis per Germaniam tuam id dici, scilicet quod adulatorie docuerim, respondeo, me tibi illud non credere, sed potius quod mea scripta et in hac re et in aliis maiori honori et reverentiae in Germania sunt, quam tua, et forte quam esse possint. Probaverim ista facillime et de meis in Sphaera ac Theoricis commentariis, et de aurea Rosa et Silvestrina, et epitomate Capreoli, quod Lipsiae ex legato publice legitur, ut accepi, et de aliis, nisi timerem, quod superbum aut vanum me acclamares.

Video autem nunc te iterum querelis agere, quod te pontifici invidiosum efficiam. Sed utinam tua scripta, et tuum aliquid, quod taceo, non te pontifici tantum, sed universo orbi Christiano infensum fecerint. Ego enim meo more, si vere et humiliter senseris, pro viribus te iuvabo, nec vana loquor, ingentem ignem palearum folliculis concitasti. Et modo dicis, quod silendo te eripere hunc nequeas. Utinam te scires eripere bonis et dulcibus verbis.

Sed quod deterius dixerim, ad priorum excusationem nova evomis, et falsa et scandalosa, quibus tamen niveum scutum apponis, quasi non assertive, sed disputative loquaris, ac si leve et non grave peccatum sit, talia ex dubietate disputare, et deinde te ad futurum concilium quasi ad singulare praesidium reducere, quod te tuus ille schismaticus forte docuerit. Nec tamen interim volo Romanorum me scelerum patronum vocites, ut interrogando minaris, sed magis si libet Romanae doctrinae non patronum quidem, sed professorem magis, et pro viribus defensorem.

Sed ut dialogum nostrum prosequamur, scribis te nescire, an alium in Italia, et alium in Germania habeamus Thomam, quod scilicet ego dissentiam

ab his, qui sunt in Germania, meis, sed hac in re haud tibi crediderim, quippe qui puto, quod alios aeque ut me false cites, et sicut nostra, ita et aliena prave intelligas, sive ingenium, sive affectum eiusce causam putarim, et quae te recte intelligere infitiari nequis, in obliquum detorques.

Et ne me ad auras loqui putes, verbi causa, unum aliquid in medium deducam. Revolve, oro, diligentius si lubet verba mea, et diligenter adverte, an ex his haberi possit, quod pauperi sine veniali peccato eleemosyna negari non possit, ut mihi falso asscribis, in qua re grandi verbositate me insequeris, cum non Silvester, sed Martinus [1]) illud somniarit. Si me intellexisti, qui illud ne cogitavi quidem, cur contra me tot mendacia convolvis? Si vero me non intellexisti, ingenio sobriore lectioni et studio te addice.

Impingis quoque in me mirabiliter, et de philargyria, et de ambitu dignitatum, quod eius rei gratia adulatoriis verbis applaudam. Ad quae aliud nihil dixerim, nisi quod mei cordis secreta tu forte exploratiora tenes, quam ipse teneam. Si tamen de dignitatibus agitur, scio me iuvenem episcopatum cum sexcentum aureis reiecisse. Forte autem ex senectute delirus aliquando potero a meo instituto, quod quadraginta septem annis et eo amplius in vita regulari virilitate tenui, mollitie deflecti. Sed nec officium ipsum, quod domini nostri munere prosequor, me aut quaesivisse aut appetivisse scito, sed tantum gratias egisse. Brevi autem, si advixero, me tibi et mundo ostensurum dixerim, quod in mediis globis flammarum cum deliciarum et divitiarum, tum etiam dignitatum et illecebrarum neque tactus sum, neque afflatus.

Tu vero ais, quod Christum in me loquentem non audis. Sed neque ego vocem eius audio in te praeter unam, qua te pontifici prostravisti. Sed aliud quiddam in te mihi garrit, unde aut in neutro

---

1) In edit. Jen.: Lutherus.

nostrum Christus loquitur, aut alter surdus vel obaudiens est. Oremus Christum, ut sermones eius intonemus.

Scribis autem me ex suggestione loqui declamantium venias, eorumque me exhibere patronum. Sed quam longe in hoc quoque a veritate aberres, novit omnium praescius Deus, cum ne verbo quidem, ne apicibus dixerim, quidquam a quovis eorum exceperim, vivit Dominus, quin eos a principio minoristas putarim. Ad id vero, quod me de haeresi Donatistarum notas[1]), cum dixero, a quo sit dispositio ad Dei gratiam requisita, poteris verum ferre iudicium, nunc vero te ante completum (ut aiunt) evangelium consignasti.

Petis item, cum qua ecclesia de conceptione Virginis sentiam, dico autem me nescire, cum qua, credere autem quod cum Romana, cum ex scriptis eius mihi mea sententia fluat. Cum vero decisa res fuerit, sciam cum qua, interim autem credam cum ducentis sexaginta sex doctoribus, quorum nonnulli sunt ordinis tui, te autem cum tuo olim schismatico relinquam crediturum ut placet. Adiicis, ut nil odiosum dimittas, et de Reuchlino, quasi ordo praedicatorum illum insequatur, et non universitas Parisina et Coloniensis et ceterae. Quis autem eum tueatur, veritas, an Hebraei, an Chrysostomus, an utrique, nescio. Unum tamen scio, quod officia mea, quae sunt viri iusti et misericordis, ignoras.

Asscribis quoque mihi, quod Entellum me esse effinxerim, cum ego Dareta tantum, et hoc gratia ostentationis virium et provocationis in pugnam nominarim. Nunc autem tibi illud Hieronymi ad Augustinum dico, Memento Daretis et Entelli, Entellum aetate gravem iuventa levis Dares in vanum risit, statim poenas daturus. Scribis postremo, me pro meo voto facultatem baptisandi te assumere, et quaecunque animo meo insederint nomina imponendi,

1) In ed. Jen.: notes.

sed revera nomen tuum proprium ego nunquam extuli, efferunt vero illud passim tui ordinis Patres. Sunt quam plura alia, quae in me tela contorques, Martine [1]), sed iam animus indignatur has res sordidas evolvere, praesertim cum non amaro animo, sed pleraque ioco, plurima inter excusandum protulerim. Interim me accingam ad dicta tua quam plurima explodenda.

Oro autem te, si Christum amas, ne plus sapias, quam oportet, sed ad sobrietatem, et quam coepisti viam perambules, iugiter et perseveranter. Quod si feceris, puto quod etiam in me sis auditurus Christum loquentem. Et forte Silvestro, quem nunc horres, tunc amicum fideliorem habiturus es neminem. Vale.

FINIS.

---

1) Ibid.: Luthere.

Epitoma Responsionis
ad Martinum Lutherum.

Martinus Lutherus Pio Lectori S.[1])

Hactenus cum Silvestro meo, carissime lector, sic me vidisti in re pontificia agere, ut magis iocarer et luderem, quam serio quicquam tentarem. Quem animum mihi praestabat, quod hominem viderem non modo rudis et barbari ingenii, verum etiam tenebris Thomisticis, et nugalibus Pontificum, seu potius scribarum indoctissimorum decretis captivum, quadam simplici stoliditate ex me quaerere triumphum.

At nunc, quid monstri aluerit, in lucem prodit, ulturus enim homo miserabilis iocos meos, Epitomen, seu (ut Silvestraliter graecissem) Epitoma[2]) responsionis ad Martinum Lutherum edidit, tot tantisque blasphemiis a capite ad pedes usque refertum, ut in medio tartaro ab ipsomet satana editum libellum existimem. Si Romae sic sentitur et docetur, scientibus Pontifice et Cardinalibus (quod non spero), libere pronuncio his scriptis, antichristum illum verum sedere in templo Dei, et regnare in Babylone illa purpurata, Roma, et curiam romanam esse synagogam satanae.

Quid dicam? Papam quemvis, etiam impium, Deum nobis facit, et robur divinae Scripturae, id est, verbi Dei vim, quod est ipse Deus, ex illius hominis, etiam impii, autoritate pendere statuit, cum tamen omnes simul fateantur, Papae autoritatem robur habere ex illo Christi: Tu es Petrus, et:

1) In ed. princ.: Lectori Pio Mart. L. Salutem. 2) Ibid. scriptum legitur: Epithoma.

Pasce oves meas, hoc est, non scripturas ex Papae autoritate, sed autoritatem Papae ex scripturis pendere. Neque enim ubi urgentur, alio confugiunt, quam ad harum scripturarum ceu asylum, quo se muniant et roborent. At nunc satan iste scripturas per hominem roborat. Quid est antichristus, si talis Papa non est antichristus? O satan satan, quam diu abuteris patientia Creatoris tui in tuum magnum malum?

Quamquam ego libens admitto Silvestro miserabili, ut scripturae robur a Papa accipiat. Haec enim erit una via negandae tyrannidis papalis, et semel evertendae. Cum enim papatum e scriptura statuant, et scripturae autoritatem per autoritatem Papae elevent, iam Papa nullo testimonio nitetur, nisi sui ipsius, nec iure divino, sed suo proprio stabit. Sed quid confutem rabiem blasphemi satanae tam manifestariam?[1]) Optima erit confutatio, si libellum ipsum, ut editus est, nudum invulgavero, secum habet suam confutationem, plus quam optare queam, potentem.

Itaque lege, lector, et geme, gloriam romanae ecclesiae eo cecidisse, ut haec haeretica, blasphema, diabolica, tartarea venena non modo intra se concipiat et alat, sed in orbem quoque propaget. Eant nunc qui gloriantur romanam ecclesiam nunquam fuisse haeresi contaminatam. Unus hic Silvester Arium, Manicheum, Pelagium, et omnes alios incomparabiliter superat.

Si sic Roma credit, beata Graecia, beata Bohemia, beati omnes, qui sese ab ea separaverunt, et de medio istius Babylonis exierunt, damnati vero omnes, qui ei communicaverint. Et ego quoque si Pontifex et Cardinalis hoc os satanae compescuerint et ad palinodiam adegerint, his testibus confiteor me dissentire romanae ecclesiae, et negare eam cum papa et Cardinalibus tanquam abominationem stantem in loco sancto. Exstincta est in ea iam dudum fides, proscriptum evangelium, exsul Christus, mores plus quam barbarici. Una erat reliqua spes,

1) In ed. Jen.: manifestam.

scripturae sanctae illibata autoritas, et eiusdem recta saltem opinio, si nulla intelligentia. Jam et hanc satan occupat, arcem Zion et turrim David, hactenus inexpugnabilem.

Nunc vale infelix, perdita et blasphema Roma, pervenit ira Dei super te, sicut meruisti in finem, nec tot orationibus, quae pro te fiunt, nisi in dies peior fieri voluisti. Curavimus enim Babylonem, et non est sanata, relinquamus ergo eam, ut sit habitatio draconum, lemurum, larvarum, lamiarum, et iuxta nomen suum, confusio sempiterna, idolis avaritiae, perfidis, apostatis, cynaedis, priapis, latronibus, Simonibus, et infinitis aliis monstris ad os plena, et novum quoddam Pantheon impietatis. Vale, mi lector, et dolori meo ignosce, et compatere.

F. Silvester de Prierio Pio Lectori S.

Suas suorumque preces (quod videlicet nostra epistola, quae olim se parituram minabatur, non abortiret) Martinus Luther[1]) exauditas, et intelligat, et si lubet gratias reddat a). Neque enim abortivit, sed pugilem et robustum et fortem enixa est, et adeo fatalibus armis instructum, ut toto Christiano populo b) spectante, ut pollicebar, victum sternat. Ne vero aut insidiose, aut repente se occupatum causetur, armorum suorum indicem mittit c). Accingatur ergo et sit vir fortis, quippe superbissimo illi verbo, quo crebro utitur: Doceat me, inquiens, qui potest, alludens pugil iste dicit: Respondeat Martinus, si potest. Blaterare equidem poterit, sapienter vero respondere non poterit. Mox vero arma ipsa perspicies. Vale.

---

a) Humilitatis causa se ipsum iactat. b) Etiam in India et Scythia. c) Vide, ut heroice provocet ad responsionem duorum librorum per prologum tertii libri, qui iuxta Evangelium primus et novissimus est.

1) In ed. Jen.: Lutherus.

De Juridica

et

Irrefragabili Veritate Romanae Ecclesiae Romanique Pontificis, Liber tertius, Index quidem longissimus, sed brevissimum Epitoma.

Posteaquam a) iuvante Deo errores adversarii deteximus, item et reiecimus, nunc brevissime, quae iam dicta sunt, recolamus.

Libri ergo primi caput primum de nostra b) intentione erat, quae est in toto opusculo detegere primum, deinde vero etiam evertere Martini Lutheri mala dogmata. Deinde vero specialius in primo libro ostendere primo, quod[2]) ecclesia militans sit Christi regnum monarchicum et hierarchicum, et 2., quod in hac hierarchia romanus Praesul primus ac summus hierarcha sit, autoritate divina, solus supremarum dubitationum resolutivus, et solus iudex infallibilis veritatis, in spectantibus ad fidem et mores.

Cap. 2. c) Quod ecclesia militans sit coeli regnum, et Christi monarchia, item et hierarchia.

Et ibi 1. quod ecclesia sancta catholica sit regnum Christi.

Et 2. quod etiam ipsa imperium Christi sit.

Et 3. d) quod sit regnum et imperium monarchicum.

---

a) Observabis, lector, schema praeteritum pro futuro. b) Probe ait de intentione sua fuisse, quia, cum frustratus nihil effecerit, ostentat tantum *Ψ'ευδόπυρα*[1]). c) Haec nisi ex Silvestro nemo novit. d) Sicut Christus dicit, Regnum meum non est de hoc mundo, et concordat vocabulum hierarchia, sacer principatus, idem quod mundanus et profanus principatus, sicut Christus et Belial idem sunt.

1) In ed. Jen.: Ψ'ευδόπηρα. 2) Ibid.: quod si.

Et 4. quod ipsa in ordine monarchiarum mundi est quinta, et ibi etiam secundum[e] divinas literas, de quatuor terrenis monarchiis Assyriorum, Persarum Medorumque, Graecorum ac Romanorum.

Et 5. quod ipsa est omnium monarchiarum, quae fuere, praestantissima.

Cap. 3. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit hierarcha primus, non dignitate modo, verum etiam et iurisdictione.

Et ibi 1. reiicitur error dicentium, quod B. Petrus Romam non viderit.

Et 2. describitur[f], quis per romanum Praesulem intelligatur, quia is est, qui est Christi vicarius, et successor Petri, ubicunque praesideat, Antiochiae, ut olim, vel Romae, ut modo vel alibi Deo volente.

Et 3. quod Christo vivente B. Petrus ab eo fuerit apostolorum primus institutus.

Et 4. quod ista[g] primitas non fuit dignitatis tantummodo, verum etiam iurisdictionis et potestatis.

Et 5. probabiliter, quod solus Petrus a Christo est institutus episcopus personaliter, alii vero a Petro[h] instituti sunt.

Et 6. quod romanus Praesul sit hierarcha summus, omnem ecclesiasticam hypostasim sub ditione[i] sua continens.

Et 7. quod romanus Praesul institutus[k] pastor et episcopus catholicae et apostolicae ecclesiae sit censendus.

Cap. 4. Quod romanus Praesul in ecclesiastica hierarchia sit summus hierarcha[l] capitalis orbis, contra adversarium, qui papam negat esse ecclesiam virtualiter, quod capitis proprium est.

---

e) Id est Silvestrinas, qui est Deus recens. f) Antichristus etiam erit vicarius Christi et Dei. g) Dicente Christo, qui vult esse maior, sit minor. h) Praeter Judam Ischarioth et Matthiam, de quibus Acto. I. dicitur: et episcopatum eius accipiat alter. i) Sicut Nero et Domitianus. k) Ad depascendum et perdendum. l) Non pedalis nec cubitalis.

Et ibi 1. quod is, qui a Christo mutato nomine dictus est m) Cephas, caput institutus a Christo sit omnium ovium suarum.

Et 2. ibi contra hoc multa argumenta solvuntur.

Et 3. quod decedente Petro necessarium fuerit in ecclesia esse alium universalem pastorem in sede eius, et rursus n) isto migrante alium usque ad finem mundi, quoadusque videlicet ecclesia duratura est.

Et 4. quod o) verus et indubitatus B. Petri successor est solus verus et indubitatus Pontifex romanus.

Et 5. quod p) romana ecclesia prima sit et ecclesiarum omnium caput a Christo instituta, et quam ignoranter dicatur, ipsam non fuisse caput, postquam Petrus ibi sedit.

Et 6. quod romanus Praesul rite institutus aeque et aequali autoritate caput sit sicut et B. q) Petrus.

Et 7. ibi destruitur opinio quaedam hominum perversorum, quod Papa non sit caput ecclesiae universalis collective, sed solum r) distributive, volentium ex hoc, Papam non esse caput concilii.

Et ultimo, ibi multa contra hoc argumenta s) solvuntur.

Cap. 5. quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit hierarcha summus t) ubique, contra adversarium subtrahentem iurisdictioni eius nonnullas nationes, scilicet Graecos et fideles inter infideles habitantes.

Et ibi 1. per literas u) sacras probatur universalitas istius monarchiae.

Et 2. improbatur impietas Antonii Roselli dog-

---

m) Nota, Cephas est caput, contra Iohan. 2. qui Cephan Petrum dici scribit. n) Haec Prierias. o) Antiochenus Petri successor est Romanus. p) Haec Prierias. q) Licet Petrus apostolus et Papa solum sit episcopus, minor scilicet, simul et aequalis. r) Imo confuse tantum et materialiter. s) More Prieriatico. t) Id est, in cerebro Prieriatico. u) Sicut Virgilius: auri sacra fames.

matizantis Christum ea ratione[1]), qua homo, non habuisse ius terreni v) principatus.

Et 3. per Augustinum et scripturas probatur iterum futura w) evangelii secunda praedicatio, cum maiori populorum x) conversione, quam apostolorum temporibus, cum in omnem terram exivit sonus eorum, adeo, ut ne iure modo, verum etiam facto ipso Pontifex Maximus y) rerum summam sit moderaturus.

Et 4. Quam z) iurisdictionem Papa in infideles exercere possit, sive gentes, sive Judaeos, vel etiam haereticos.

Cap.[3]) 6. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit hierarcha a) summus perpetuo, contra adversarium astruentem, quod romana ecclesia non semper fuerit caput abhinc in antea, qui etiam videtur suasus, quod b) doctrinam eius in posterum possit evertere.

Et ibi 1. ex Daniele et alias multipliciter ostenditur c), quod regnum Christi nullo fine clauditur, nisi per transitum a terra ad coelum, in fine mundi.

Et ibi 2. quod ista perpetuitas per literas sacras veteris Testamenti astruitur, item etiam per eas, quae sunt novi, et 3. per sanctos Doctores.

Cap. 7. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit hierarcha, d) autor omnis hierarchicae iurisdictionis contra adversarium, qui tenet iurisdictionem Papae universaliter, et diocoesani in diocoesi esse pares in ordine ad e) Purgatorium.

---

v) Quia Christus ius imperii terreni sibi ipsi negavit, ut suo vicario romano integrum relinqueret, hoc bene nota. w) Romani iubilei. x) Subversione[2]). y) Etiam coelestium, deturbato Christo et Deo. z) Nota, Papae licet esse homicidam omnium cruentissimum. a) Nisi dum moritur. b) Doctrinam Papae non oportet everti, sed ipsa debet omnia evertere. c) Hoc verum, sed non sic regnum Papae. d) Id est, venator robustus sicut Nimbrod. e) Unde pecuniae extrahuntur, non animae.

1) In ed. princ.: atione. 2) In ed. Jen.: conversione. 3) In ed. princ. hic et reliquis locis: Capitulum.

Et ibi 1. quod potestas iurisdictionis a Romano Praesule in omnes ecclesiasticos viros, veluti a capite ad membra, vel sine medio, vel medio aliquo[f]) descendit.

Et 2. quod circa hoc sunt opiniones, falsas confutando.

Et 3. quod episcopus multiplicem obtinet potestatem, quae tamen omnes ad eam, quae ordinis et quae iurisdictionis est, reducuntur, et omnes insunt ei a Romano[g]) Pontifice.

Et 4. multa ibi solvuntur argumenta, multae confutantur opiniones.

Cap. 8. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit summus hierarcha[h]) iurisdictionis incomparabilis, contra adversarium, qui vult in concilio et consequenter in ecclesia universali esse quandam potestatem, quae non sit in romano Pontifice.

Et ibi 1. quid hoc nomen ecclesia, et quam multa significet.

Et 2. quod potestas clavium, sive ordinis sit sive iurisdictionis, non est sic data universali ecclesiae militanti, quasi omnia vel singula eius membra eam totam acceperint.

Et 3. quod etiam non est clavium potestas sic universali ecclesiae data, quasi data sit simul membris ecclesia omnibus collective tota, sive (ut aiunt) collegialiter[i]), et non alicui membro sigillatim.

Et 4. quod potestas iurisdictionis non est maior in ecclesia universali, quam in B. Petro et successore, sed nec[1]) aeque magna.

Et 5. infertur corollarie[2]), quod, cum Sancti

---

f) Per saltum et in latus sumendo. g) Vel dormiente. h) Ne cum Christo quidem, sicut decet Antichristum. i) Quia Papa non est pars ecclesiae universalis, ideo verum est, aliam ei potestatem esse quam ecclesiae, scilicet tyrannicam et diabolicam.

1) In ed. Vittemb. deest: nec. 2) In ed. princ.: correlarie.

dicunt ecclesiae universali datas esse claves, non ea ratione capiendum sit, quasi omnibus ecclesiae membris datae sint, aut divisim, aut etiam coniunctim, sed quia datae sunt aliquibus ecclesiae membris, ut Petro primum, apostolis autem in ordine et subiectione ad Petrum.

Et 6.[k]) quod romanorum Praesulum iurisdictione non solum maior est[l]) nulla, sed ne par quidem.

Et 7. Multi nodi adversus dicta[m]) solvuntur, et praecipue illud, Orbis maior est urbe.

Cap. 9. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Praesul sit summus hierarcha,[n]) legum conditor, quae ex necessitate salutis omnes[o]) afficiant, contra adversarium, asserentem decreta Pontificum et frigidissima et nihil esse.

Et ibi 1. quod romani praesulis sit[p]) condere leges.

Et 2. quod de necessitate salutis sit subesse legibus et praeceptis romani Pontificis[q]) nihil contra Dei praecepta mandantis.

Et 3.[r]) quod haereticum est dicere, non esse ab omnibus obtemperandum legibus Pontificis romani.

Et 4. quod decretales epistolae romanorum Pontificum, etiam non editae in concilio, nec corpori iuris insertae, et etiam omnes sanctiones suscipiendae[s]) sunt ab omnibus et executioni mandandae.

Cap. 10. Quod in ecclesiastica hierarchia, romanus Praesul sit summus hierarcha iudex omnium solus[t]) divina autoritate, contra adversarium, qui

---

k) Haec fatalis Silvester, non abortiens minas. l) Nec. Christi. m) Solvuntur per clavem Silvestrinam. n) Quia non claves sed clavas habet. o) Vere afficiunt et perdunt animas. p) Leges condere, id est, exstinguere ecclesiam. q) Sicut fere ubique facit. r) Imo Christianissimum esset, Papam semel cum suis impiissimis legibus abolere. s) Scilicet ut ecclesia haeretica fiat, ex haereticis decretalibus. (t Divinorum et Ariolorum. Nec mirum.

dicit, ecclesiam romanam suam primitatem et consequenter autoritatem non a Deo semper, sed aliunde a quater centum annis habuisse.

Et ibi 1. quod a quo romani pontifices, post B. Petrum, suam autoritatem acceperint, multi ignorarunt u): et ibi multae secluduntur opiniones.

Et 2. quod romani Praesulis potestas a Deo Christo immediate est. Ex quo infertur, quod totus mundus simul romani Praesulis autoritatem, ne dum v) aufferre, verum nec limitare quidem aut restringere possit.

Et 3. quod autoritas concilii w) non est a Deo, nisi in casu haeresis, vel schismatis, non quidem omni, sed quodam, quando videlicet de nullo est certum aut purificabile, quod sit Praesul romanus, sed omnis autoritas Patrum Concilii, sive ut singuli, sive ut collegium vel concilium, est a romano Pontifice. Ubi etiam multae de hoc falsae opiniones eliduntur.

Et 4. quod inter homines solus x) romanus Pontifex habet suam autoritatem a Deo immediate.

Et ibi multa contraria dissolvuntur, et maxime quod solet adduci ex decreto concilii Constantiensis, quod quamquam veri y) concilii decretum non fuerit, ut probavit Dominus Joannes de Turre Cremata[3]): tamen etiam salvatur et ostenditur, verum esse tempore schismatis per rationes et autoritates, in qua tamen sententia peritioribus defertur.

Cap. 11. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit summus hierarcha, iudex z) sine iudice, contra adversarium, qui a Romano Praesule appellando facit iudicem superiorem, aut singularem

---

u) Nec mirum, cum illi ex corde suo fingerent. v) Furor Silvestri primus. w) Furor secundus. x) Et sic Paulus ad Galatas mentitur, dicens, non per hominem nec ex hominibus. y) Nota, Romanistis est concilium, quicquid et quantum visum fuerit. z) Et hoc Antichristum facturum, est praedictum per apostolum.

3) In ed. princ.: do. Jo. de tur. Crema.

hominem, quod nunc improbatur, aut collegium aliquod, et illud improbabitur capite sequenti.

Et hic 1. unde concilium dicatur?

Et 2. quid sit generale concilium?

Et 3. quod residente uno indubitato Pontifice eius solius sit vocare a) concilium, et ibi nonnulli nodi solvuntur.

Et 4. vacante sede et tali necessitatis casu emergente, cui sine Concilio obviari nequeat, cuius sit vocare concilium.

Et 5. quod aut romanus Praesul, aut aliquis vice eius, debet praesidere b) et praeesse concilio. Et ibi multae falsae sententiae exploduntur.

Et 6. quod licet Pontifex Maximus nequeat mutare locum concilii, in quo de eius haeresi tractaretur, si tamen Pontifex sit indubitatus, illud utique potest, non obstante concilio Constantiensi c).

Et 7. quod Concilium iam rite congregatum et initiatum romanus Praesul ex toto potest dissolvere d).

Et 8. quod decreta conciliorum nullum ligant vel astringunt, nisi romani Pontificis e) autoritate firmentur. Et ibi multa contraria solvuntur.

Et 9. quod romanus Praesul excepto f) casu suae haeresis in exteriori foro superiorem habere non potest, quamquam an id possit per compromissum opiniones sint.

Cap. 12. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit hierarcha, iudex g) sine judice collegio quopiam, et loquor de indubitato, secus in casu haeresis aut schismatis, de quo supra, et hoc ut praelibatum est, contra adversarium, qui futurum [1]) Concilium provocavit.

---

a) Scilicet impiorum. b) Excepto concilio apostolorum, Acto 15, in quo Jacobus praesedit, et Niceno, in quo Eustachius Antiochenus. c) Concilio Constantiensi autoritas manet, quantum vult Silvester. d) Hoc et Satan potest et latrones e) Furor f) Excepto casu confessionis et aegritudinis, ubi medicus ei superior est. g) Id est Antichristus.

1) In ed. Jen. et Witt.: ad futurum.

Et ibi 1. de duplici h) autoritate Patrum concilii, videlicet, ut sunt singuli, quae ab autoritate Papae distinguitur dupliciter, videlicet ut causa secunda a prima, et ut partialis a totali; et ut sunt collegium, quae est eadem cum autoritate Papae, non numero, sed analogia. Et haec in Pontifice est ordinaria et plena, in concilio est commissa et quantum placet Pontifici i), ibi etiam de autoritate Patrum in synodo provinciali.

Et 2. quod potestatum Papae ac Patrum in concilio, eo modo, quo distinctae sunt, superior est pontificalis.

Et ibi 3. multa adversa solvuntur.

Et 4. quod romanus Antistes nullo modo k) ligatur conciliorum canonibus vel decretis, ut conciliorum sunt, quod ideo dicitur, quia si concilium statuat aliquid, quod etiam sit de iure divino, scripto vel insito, putâ, quod Spiritus sanctus a Filio procedat, aut talis contractus sit usurarius, ligatur quidem Pontifex, sed non ea ratione, quia concilii sit, sed quia Dei, dist. V. q. i. sunt quidam.

Et 5. quod Papa, etsi mutare non possit conciliorum statuta, ut sunt aliquando etiam Dei, id est, de iure divino, ut dictum est statim, tamen ea, quae sunt concilii, ut concilium, sive quae spectant ad ius positivum, aeque potest tollere, sicut et sua, id est, ex l) rationabili causa, suo tamen arbitrio pensanda.

Et 6. quod Patres concilii non possunt simpliciter iudicare de omnibus, et ibi reprobatur opinio iniqua m) Marsilii de Padua, et multa contraria dissolvuntur.

Et 7. quod Pontifex indubitatus, nedum a concilio, sed neque a toto mundo potest iure deponi

---

h) Nota distinctiones subtilissimas Archimagistri palatii sacratissimi. i) Placitum Papae est regula omnium. k) Vides ergo, Papae nihil esse cum concilio commune, ergo nec cum ecclesia Dei, quod verum est. l) Nota limitationes egregias. m) Et totum concilium Constantiense.

vel iudicari, etiamsi n) ita sit scandalosus, quod populos secum catervatim ducat primo gehennae mancipio, id est, diabolo, di. XI: Si Papa, sed ut ibi dicitur, Deus orandus est. Contrarium o) tamen sapiunt, qui aliquando fuere schismatici, ut Panormitanus, in ea disputatione, quae incipit: Episcopus, et quidam viventes, contra quos cupio specialiter disputare p), si Dominus noster dederit mihi quietem concupitam.

Et 8. quod Papa verus ad renunciandum causa schismatis q) cogi non potest. Et ibi solvuntur multa contraria.

Et 9. quod propter haeresim proprie dictam Papa cadit a papatu. Si tamen haeresis sit omnino occulta ecclesiae, non privatur Papa sua potestate, et creditur r) summus s) Pontifex Christus supplere, et si se corrigat, iterum est Papa, si vero haeresis eius sit omnino notoria, nec egeat probatione, et sit haeresis etiam formaliter, id est, cum obstinatione voluntatis, est sua potestate privatus. Si vero sit dubia probabiliter, concilium generale est iudex, quod tunc deberet congregari, aut sua sponte, ut pro Marcellino, aut per eos, quorum interest, iuxta praedicta.

Et ultimo, quod pro haeresi vel notoria vel probata aut confessa concilium potest Papam deponere, sive potius declarare depositum.

Cap. 13. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit summus hierarcha, iudex t) sine appellatione, contra adversarium iterum, qui a Papa ad futurum concilium appellavit, ut dictum est.

---

n) Obstupesce coelum, horresce terra, O Christiani [1]) videte quid sit Roma. o) Catholice et sancte. p) Nec felicius, nec sanius, quam haec scripta sunt. q) Sic diligit pastor oves. r) Id est, somniatur. s) Scilicet Christus etiam sterquilinium impietatis inhabitat, nova benignitate. t) Nihil ad Lutherum, adulator foedissime.

1) Ibid.: O grex Christi sanguine redempte, vide quid sit Roma.

Et ibi 1. quod[u]) a Papa ad concilium appellare non liceat.

Et 2. quod appellans a Papa ad futurum concilium, nedum excommunicatus[v]), verum etiam et stolidus est, scilicet si ignorat se aliquid tentare, quod sine sui adversarii, id est, Papae consensu explere nequit, vel malignus, scilicet si hoc non ignorat, et tamen appellat.

Et 3. quod[w]) a concilio licite appellatur ad Papam absentem, non autem ad praesentem.

Et 4. ibi solvuntur multa contraria.

Cap. 14. quod[x]) romanus Praesul solus sit resolutivus supremarum dubitationum, contra adversarium dicentem, in his quae sunt fidei concilium praeesse Pontifici.

Et ibi 1. quod Papa solus y) habet decidere omnes quaestiones et dubia in fide, iudicio autoritativo sive iuridico et ultimato.

Et 2. quod si de concilio loquamur, sicut de[z]) aliquo non diviso contra Pontificem, sed Pontificem veluti caput includente, sic autoritas Concilii et Papae analogia una est, ac perinde ad concilium pertinet determinare de fide, nisi Pontifex interdicat.

Et 3. ibi adversa multa solvuntur.

Et 4. quod[a]) romani Praesulis solius est a Deo et a natura institutas leges interpretari, et declarare in dubiis, nedum in moribus, sed etiam in spectantibus ad fidem, quod ibi autoritatibus et exemplis et rationibus asseveratur, et hoc probatur verum de interpretatione nedum probabili, quae est Doctorum, verum etiam et necessaria, ita quod sub poena aeternae ac temporalis mortis eius decisiones sequendae sunt.

---

u) Furor. v) Sicut Christus a Judaeis excommunicatus est. w) Sententia Archimagistri. x) Sola potestate, etiamsi sit iuxta indoctissimus et ruptissimus, quia ipse dixit et facta sunt. y) Id est, solitarius, scilicet, quando n lecto dormit. z) Distinctio notabilis et magistralis. a) Hic non Silvester sed Satan, princeps daemonum, loquitur.

Cap. 15. quod b) in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit summus hierarcha, iudex infallibilis veritatis, contra adversarium, qui in hoc valde aberrat et obloquitur, ut in eius libro patet.

Et ibi 1. quid sit Papam c) agere ut est Papa, et quomodo omnes expositiones Sanctorum et Doctorum circa hoc reducuntur in unam, et quae sit omnium opinionum radix, quae est, ut Papa agat ut Papa, vel caput, si utatur auxilio membrorum, et faciat bona fide, quod in se est, ut intelligat veritatem, secus ubi malitiose procederet.

Et 2. quod ecclesia universalis decernendo de fide et moribus errare nequit.

Et 3. quod Papa, etsi in quantum singularis persona potest male operari et[1]) male credere, tamen non potest male decidere, ut Papa. Et hoc d) probatur ibi in primis probabiliter, deinde vero irrefragabiliter, nedum per canones et concilia, verum etiam per literas divinas.

Et 4. quod omnes constitutiones Papae in decidendo de fide et moribus e) sunt a Papa, in quantum est Papa, sive cum assidentium consilio.

Et 5. ibi solvuntur multa contraria praedictis, quibus aemuli Romanae sedis conantur probare, quod aliquando Papa nedum operando, verum etiam decidendo erravit, et specialiter de B. Petro, quem apostolus reprehendit. Super quo adversarius magnam quidem, sed ruinosam structuram fabrefecit.

Cap. 16. Quod in ecclesiastica hierarchia romanus Praesul sit summus hierarcha f) infallibilis veritatis solus g) contra adversarium, qui expresse vo-

---

b) Et hic Satan loquitur. c) Papa ut Papa agit, quando portatur a Referendariis, et beatos pedes praebet osculandos, deinde quando per avaritiam absorbet mundum, perditque animas. d) Opinio Silvestri e tartaro advecta. e) Sicut probatum est novissimo concilio, ubi decisum est, animam esse immortalem, et esse decimas pro ventre Romano extorquendas. f) Satan. g) Id est, solitarius ut supra.

1) In ed. Jen. deest: et.

luit, concilii et non Papae esse decidere de fide et moribus.

Et ibi 1. quod universale[h]) concilium etiam rite celebratum, intellectum tamen ut aliquid contra Pontificem divisum, decidendo de fide et moribus errare potest, et probatur errasse saepius de facto.

Et 2. quod concilium rite celebratum acceptum sic ut[i]) caput suum, romanum Pontificem[k]), secum intelligatur habere coniunctum, utique decidendo de fide et moribns errare nequit.

Et 3. ibi multa dissolvuntur argumenta malignorum.

Et 4. quod si in materia fidei inter Papam et concilium esset dissidium, siquidem iam res esset decisa per iudicium irrefragabile Spiritus sancti, iuxta dicta superius, illi standum esset, qui pro se dictam haberet decisionem, quia alia pars, etiamsi esset Papa, niteretur contra Spiritum sanctum, quod tamen est impossibile, si iam fecisset quod in se[l]) est. Si vero res non esset decisa, sed decidenda, quidam dicunt standum ei, qui melioribus rationibns movetur, quod tenuit Panormitanus in cap.: Significavit, de elect. et in quadam disputatione, quae incipit: Episcopus, sed irrationabiliter[m]) ut ibi probatur, et eo casu Papa deberet omnes audire, et ex motu sui cordis (quod a Deo[n]) in talibus regitur) deberet formare iudicium, unde standum esset Pontifici bona fide et maturo consilio procedenti, quia sine concilio habet irrefragabile iudicium, ut probatum est, non autem concilium sine Papa, ut etiam probatum[o]) est.

Et 5. quod partibus aut Patribus concilii invi-

---

h) Quale fuit novissimum Lateranense. i) Scilicet, quia plus est in uno capite Papae, quam in tota ecclesia Christi. k) Satan. l) Quid est in se? ne admittat facile concilium, ob periculum reformationis ecclesiae. m) Id est, non Silvestraliter. n) A Deo huius mundi, qui operatur in filiis diffidentiae. o) Probatum est.

cem dissidentibus in materia fidei Papa aut Legatus p) vice eius praesidens concilio iudicium formare non debet secundum iudicium maioris, sed sanioris partis, sive cuius rationes sunt meliores, etiamsi esset unus solus, nam et Paphnutius q) contradixit Nicenae Synodo, et obtinuit di. XXXI. Nicena.

Et 6. ibi multa obiecta solvuntur.

Libri secundi caput primum, quod sit haereticum r) dicere, quod in ecclesia catholica non possint fieri verae indulgentiae, contra adversarium, qui ex promulgatis veniis occasionem sumpsit impingendi [1]) contra apostolicam sedem.

Et ibi 1. quid importet indulgentiae verbum, ac veniae et remissionis.

Et 2. quid sit indulgentia.

Et 3. quod in ecclesia facit veras indulgentias Pontifex Maximus, et episcopi, vel alii quidam sub limitatione Pontificis.

Et 4. ibi dissolvuntur plura obiecta.

Et 5. quod Sancti, qui ad eiusmodi venias elargiendas moti sunt, non ex voluntate, sed ex ratione processerunt, quod probatur ibi ex probabilibus, et pene statim ex necessariis s).

Et 6. quomodo in nostro bono opere, puta eleemosyna, est meritum et satisfactio, et primum semper est operantis, non secundum, sed eius pro quo intendimus satisfacere.

Et 7. quod merita Christi aut Sanctorum non esse plene remunerata est ab aliquibus canonistis improprie t) dictum, intendunt autem, quod talium satisfactiones non sunt omnes evacuatae, vel applicatae, alioquin iam passio Christi non esset u) satisfactio pro quotidie poenitentibus.

---

p) Vel etiam magister Palatii vel notarius aliquis. q) Pulchrum argumentum a sancto viro ad impium. r) Haereticum secundum fidem Silvestri, qua creditur impietati, ut apostolus praedixit. s) Et per se notis ac primis principiis libri Elenchorum. t) Silvester impropriista. u) Quasi Christi passio et merita Sanctorum habeant ullam proportionem. Sic Silvestraliter disputat.

1) In ed. Jen.: impinguendi.

Et 8. declaratur, quomodo in ecclesia sit thesaurus, quod etiam pene statim post astruitur in Cap. ultimo, et quidem irrefragabiliter [v]).

Et 9. per quos dispensari possit iste thesaurus.

Et 10. arguitur ad probandum venias et thesaurum probabiliter, deinde etiam necessario [w]), prius tamen recitata Extrava. Cle. VI. facta de assidentium consilio, in qua est prolixa mentio de dicto thesauro.

Et 11. quod haereticum [x]) sit dicere, ecclesiam non posse facere veras indulgentias, quod multipliciter probatur, et recitatur B. Antonium sic tenuisse et Feli.

Cap. 2. Quod nunc sit haereticum dicere, quod in ecclesia fieri nequeant verae indulgentiae pro defunctis.

Et ibi 1. quod de ista quaestione olim opiniones fuere inter theologos et canonistas.

Et 2. quod opinio tenentium indulgentias valere defunctis per modum suffragii est vera [y]), et probatur multipliciter.

Et 3. quod dicta opinio iam nunc non est opinio, sed doctrina sententiaque ecclesiae [z]) et opinio opposita pari ratione nunc error [a]) est, et non opinio solum.

Et 4. quod haereticum sit asserere, quod veniae defunctis non prosint.

Et 5. declaratur, quomodo intelligendum sit, per modum suffragii.

Et 6. contra praedicta solvuntur obiecta per multa.

Cap. 3. Quod virtualiter et per consequentiam haereticum est dicere, non posse per Papam indulgentem relaxari aliquam poenam, taxatam per iustitiam divinam.

---

v) Ex Aesopi fab. prima. w) Tandem et per se. x) Haereticum in via Thomae apostatica. y) Veritate Thomistica. z) Thomistarum. a) In theologia Thomistica.

Et ibi 1. quod post contritionem et gratiam remanet homo obligatus reatu poenae exsolvendae temporaliter, quod multipliciter per scripturas b) et Doctores et Canones probatur, licet hoc neget adversarius.

Et 2. quod est aliquis locus purgandarum poenarum post contritionem, a purgando dictus, et ibi, quomodo sit purgatorium duplex, ordinarium, quod creditur c) communiter esse sub terra, licet hoc incertum sit, et dispensatorium, quod saltem aliquando est in hoc d) mundo.

Et 3. quod in purgatorio remittitur aut solvitur poena taxata per iustitiam divinam.

Et 4. probatur haereticum esse dicere, quod non possit Papa per indulgentias abolere poenam taxatam per iustitiam divinam.

Et 5. de quadam opinione nova et falsa, quae est, quod possit quidem Papa dictas remittere, sed tamen hoc de facto[1]) non facit etiam, quando plenarie indulget, sed semper remittit iniunctas a sacerdote, haec opinio necdum est promulgata, vel publicata potius.

Cap. 4. Quomodo sint indulgentiae e) intelligendae in se.

Cap. 5. Quomodo sint intelligendae ex parte dantis.

Cap. 6. Quomodo intelligendae ex parte accipientis.

Cap. 7. Quod[2]) vera sunt fundamenta, quae olim ieci contra adversarium.

Et ibi 1. quod ecclesia universalis essentialiter est convocatio in divinum cultum omnium credentium in Christum. Ecclesia vero universalis reprae-

---

b) Id est, per conflatum quintum Silvestri. c) Nota, creditur verbum impersonale est fundamentum Thomisticae et Romanae Theologiae, hoc enim probant omnia sua. d) Autoritas Silvestri. e) Indulgentiae habent triplex esse, metaphysicum, naturale et logicum, quartum tacetur, quod est, chimericum et propriissimum.

1) In coll. Jen.: de hoc facto. 2) In coll. Wittemb.: quam.

sentative est concilium rite celebratum. Ecclesia [f]) vero universalis in virtute est ecclesia romana, ecclesiarum omnium caput, et Pontifex Maximus.

Et 2. quod ecclesia romana repraesentative vel eminentiore modo est collegium reverendissimorum dominorum Cardinalium, virtualiter autem est Pontifex summus, qui ecclesiae romanae et universalis caput est, alio tamen modo quam Christus.

Et. 3. quod sicut ecclesia universalis errare non potest, decidendo de fide et moribus, ita nec verum concilium, faciens quod in se est, ut intelligat veritatem, quod [g]) intelligo incluso capite, et tandem ac finaliter, licet forte prima facie fallatur, quo usque durat modus inquirendae veritatis, imo etiam aliquando erravit, quamquam statuendo potius quam decidendo, licet per Spiritum sanctum ab errore educeretur.

Et similiter nec ecclesia romana, nec Pontifex decidendo de fide aut moribus, ea ratione, qua Pontifex, id est, ex officio suo pronuncians, et faciens quod in se est, ut intelligant [h]) veritatem [1]).

Et 4. quod quicunque non innititur doctrinae [i]) ecclesiae Romanae Romanique Pontificis, tanquam Regulae fidei, id est, credendorum infallibili, a quo etiam robur trahit aut traxit sacra scriptura, haereticus est.

Et 5. quod ecclesia romana sicut verbo, ita et facto potest circa fidem et mores aliquid decernere, nec in hoc differentia ulla est, praeter id quod verba ad hoc sunt accommodatiora quam facta, unde hac ratione consuetudo vim obtinet legis.

Et 6. corollarie, quod qui sentit, quod ecclesia [k]) romana facere non possit in spectantibus ad fidem, quod de facto facit, haereticus est, aliter

---

f) Hic autor corrigit se ipsum prius tres ecclesias, iam quinque habens, sic Romae crescit sapientia. g) Magistralis et scientificissima distinctio. h) Ut exsugat censibus orbem, vere hic non errat, proh dolor. i) Hic Satan ex imo tartaro loquitur. k) Capiendo ecclesiam romanam sexto modo pro Magistro Palatii.

1) In coll. Jen. et Vittemb.: intelligat veritatem.

sentiens de spectantibus ad fidem, quam ecclesia romana.

Cap. 8[1]). Quod adversarii sunt aliqui errores, praeter eos, quos in suis conclusionibus et earum resolutionibus tenet.

Et ibi 1. probatur esse errorem, quod in spectantibus ad fidem Papa sit sub concilio, nisi intelligatur de fide l) ipsius Pontificis, cum tamen adversarius loquatur de spectantibus ad fidem simpliciter et universaliter.

Et secundus error improbatus est, quod Papa decidendo de fide errare potest, et oportet (ut ibi probatur) quod loquatur, in quantum est Papa m).

Et tertius est, quod decreta Romanorum Pontificum frigidissima sunt et nihil.

Et quartus, quod romana ecclesia non sit caput, nisi per decreta frigidissima romanorum pontificum nata a quater centum annis, contra quae, inquit, sunt historiae authenticae mille centum annorum.

Et quintus, quod liceat n) appellare futurum concilium.

Et sextus, quod ecclesia romana aut Pontifex non sit virtute ecclesia catholica.

Et septimus, quod pessimum sit dicere, Deum impossibilia non praecepisse.

Et octavus, quod illud verbum Matth. 16: Quodcunque ligaveris, non sit privilegium Petri, sed aequaliter convenit omnibus apostolis et sacerdotibus et toti prorsus ecclesiae.

Cap. 9. Quod o) sit error asserere Pontificem summum non posse remittere per venias ullas poenas, nisi iniunctas per sacerdotes vel canones.

Et ibi 1. recitatur error et ex dictis ostenditur esse reprobatus.

Et 2. respondetur ad omnia fundamenta adver-

---

l) Quia hanc palatinam magistralem distinctionem ignoravit. m) Id est, Nimm Brod[2]). n) O quam dolet hoc vulnus et ulcus. o) Istos errores Lutheri ostendit, sed in secreto suo cubiculo in nocte.

1) In ed. princ., collect. Jen. et Vittemb.: Cap. 7. 2) In coll. Jen. et Vittemb. additum legitur: ja Gold.

santis, et ostenditur, quod leviter processit, quia p) scripturas male citat, ita quod non solum non concludunt, sed nec etiam sunt ad propositum, nisi raro, et hoc per totum librum facit.

Cap. 10. Quod sit error asserere, quod Papa non possit plenarie indulgere, vel hic vel in futuro.

Et ibi 1. ostenditur, quod hoc sit error intelligendo de poenis, quas divina iustitia a nobis exigit pro peccatis, seu quae veniunt in foro animae tolerandae.

Et 2. dissolvuntur omnia eius argumenta.

Et 3. ostenditur esse errorem, quod in Purgatorio Papa non possit remittere poenam Canonum, non quidem in specie propria, sed in aequivalenti.

Et 4. improbatur alius error, quo asserit, omnem poenam huius vitae mutari in poenam mortis voluntarie toleratam.

Et 5. probatur ecclesiam romanam tempore Gregorii fuisse caput, quod iste negat.

Et ultimo, Fundamenta eius, quae nihil sunt, diruuntur.

Cap. 11. Quod iste adversarius male sentiat de Purgatorio, ubi et hi errores improbantur, et dissolvuntur contraria argumenta.

Primus, via hominis, quantum ad crementum habituum et merita operum, non finitur in morte.

Secundus, imperfecta caritas morituri necessario secum fert magnum timorem, etiam post mortem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

Tertius, hic timor et horror satis est se solo (ut alia taceam) facere poenam purgatorii, cum sit proximus desperationis horrori.

Quartus, videtur infernus, purgatorium et coelum differre, sicut desperatio, prope desperatio et securitas differunt.

Quintus, necessarium videtur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita crescere caritatem.

---

p) Sic etiam Coloniens. et Lovaniens. respondent, estque hic solennis magistrorum nostrorum modus respondendi: *Male* citasti et exposuisti Scripturam.

Fundamenta autem, quibus ad istos errores ponendos movetur, ostenduntur deficere multipliciter, specialiter autem, quia q) sacram scripturam male adducit, et aliter intelligit, quam literales expositores, et solvendo multa pulchra dicuntur.

Cap. 12. Rursus, quod adversarius male sentiat de purgatorio, ubi denuo multi errores et multa falsa cum suis fundamentis evertuntur.

Primum falsum nec probatum videtur, inquit, ullis aut scripturis aut rationibus, quod animae purgatorii sunt extra statum meriti, seu augendae caritatis. Haec ille.

Cuius falsitas r) vel in hoc apparet, quod nos oppositum probavimus ratione, autoritate Sanctorum et canonum, item autoritate scripturarum [1]), item autoritate scripturae et Sanctorum simul. B. enim Gregorius in 4. Dialog. ad propositum nostrum probandum, scilicet, quod in purgatorio merita non mutantur, adducit multas scripturas, ut patuit capitulo priore.

Secunda falsitas, nec hoc, inquit, probatum videtur, quod sint de sua beatitudine certae et securae, saltem omnes, licet nos certissimi simus. Haec ille.

Quod utique s) falsum est, quia nos probavimus oppositum ex probabilibus, deinde vero ex necessariis, et sua fundamenta ostendimus nulla esse, maxime illud quod assumit totam ecclesiam tenere easdem esse poenas purgatorii et inferni, cum tamen nullus hoc dicat, sed sit falsissimum, cum t) in Purgatorio non sit peccatum blasphemiae, aut desperationis assequendae gloriae, quae sunt maximae miseriae et poenae damnatorum, peius enim malum est [2]) culpa quam poena, cum culpa Deo, poena autem creatura privet.

---

q) Quam Colonialiter loquitur. r) Pulcherrima omnium consequentia Sylvester oppositum dicit, ergo est falsum. s) Eadem consequentia Silvestrica. t) Non sunt eaedem culpae, ergo non eaedem poenae, iterum Silvestraliter.

1) In coll. Vittemb.: scripturam. 2) In coll. Jen. deest: est.

Tertia falsitas, quis scit, inquit, si omnes animae purgatorii velint redimi? Haec ille.

Sed ista falsitas improbatur multiplici ratione, quae autem pro se adducit, sunt nulla, praecipue illud, quod Paulus vel Moyses appetiverit a Deo esse anathema perpetuo pro aliis, et ex Scripturis, quas adducit, hoc non habetur, sed eas male intelligit, et citat u).

Cap. 13. Quod adversarius male sentiat de potestate Pontificis, et ibi multi errores recitantur, reprobantur, et eorum fundamenta ostenduntur esse nulla.

Primus error, Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando et approbando remissam a Deo, aut certe remittendo casus sibi reservatos. Haec ille.

Qui istum errorem fundat in alio, quod per sacramenta v) novae legis gratia non conferatur contra doctrinam communem Doctorum celebrium, Augustini, Hieronymi, Hugonis, Magistri Senten. Bedae. Raba. Petri de pal. et Conc. Flo.

Secundus error, in sacramento (inquit) poenitentiae contritio non est adeo necessaria, ut fides, qua quis credit, se absolutum, et incomparabiliter plus consequitur fides absolutionis, quam fervor contritionis. Et in his, inquit, qui credunt in verbum Christi, Quodcunque solveris, non potest clavis errare. Haec ille.

Qui et rursus, erret, inquit, vel non erret sacerdos, tu non erras, si credideris, scilicet te absolutum. Haec iste.

Et hic etiam tractatur de evacuatione purgatorii per Papam, in responsione ad primum eius artic: Et probatur, quod sicut Papa w) per venias potest unam animam a purgatorio educere, ita et

---

u) Solutio eadem Coloniensium est. v) Mentiris, Silvester, Lutherus per sacramenta gratiam dari melius sentit, quam tu. w) Hoc et Lutherus dicit, sicut potest unam, sic potest multas extrahere. Stat enim similitudo, quia nullum potest extrahere.

duas et tres, et sic in infinitum quamdiu exstaret pro singulis rationabilis causa educendi, puta, si singulae haberent eos, qui sibi ad plenum iuxta mandatum Papae suffragarentur.

Tertius error, laboriosa, inquit, et inutilis est ars confitendi, imo desperandi et perdendi animas, qua hucusque docti sumus arenam numerare, id est, singula peccata discutere, colligere atque ponderare ad faciendam contritionem. Haec ille.

Quartus error, indulgentia data per modum suffragii non plus valet quam suffragium solum.

Quintus error, me, inquit, nihil movet, quid placeat vel displiceat summo Pontifici, homo est sicut et ceteri. Multi fuerunt summi Pontifices, quibus non solum errores et vitia, verum etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam ut Papam, id est, ut in canonibus loquitur, aut cum concilio determinat, non autem quando secundum suum caput loquitur. Haec ille, qui et ponit exemplum de caedibus Julianis.

Sextus, solius Papae, inquit, non est novos articulos fidei statuere, sed secundum statutos iudicare et discindere fidei quaestiones. Hic autem erit articulus novus, scilicet de veniis, ideo ad universale concilium pertinebit eius determinatio, multo magis quam Conceptio B. Virginis, praesertim cum hic nullum, illic multum et magnum sit periculum animarum, alioqui, cum Papa sit unus, qui errare potest in fide et moribus, periculo assiduo laboraret totius ecclesiae fides, si quicquid sibi visum fuerit, necesse sit verum credi. Haec ille.

Septimus, si Papa, inquit, cum magna parte ecclesiae sic vel sic sentiret, nec[1]) etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum approbatum, alterum reprobatum, quod, ne multis agam, illo uno probatur, quod ecclesia romana etiam cum universali

1) In ed. Jen.: et.

concilio Basiliensi, ac tota ferme ecclesia sentit, B. Virginem sine peccato originali conceptam, et tamen quia altera pars non est reprobata, non sunt haeretici, qui contrarium sapiunt. Haec ille.

Octavus, nam sentit, quod episcopus in sua diocoesi et Curatus in sua parochia aequalem cum Pontifice in purgatorium habeant potestatem, quod hic aliqualiter tangitur et declaratur.

Nonus, nam poenae, inquit, purgatorii sine potestate clavium per solam contritionem remittuntur, quia perfecte contritus quoad Deum a purgatorio absolutus est.

Decimus, nam in plenaria, inquit, indulgentia, id est, omnium poenarum, fallitur maior pars populi. Haec ille, qui declarando habet tanquam inconveniens, quod alii dicunt, post talem indulgentiam animam decedentis nullo alio admisso peccato evolare [1]). Deinde sic subiungit: Nec mirum, inquit, quando illi sic scribunt, legunt, clamant, quod si quis venias consecutus ante recidivum moreretur, statim evolaret. Haec enim, inquit, quasi non sint peccata nisi actualia, ac si fomes relictus nulla sit immunditia, nullum impedimentum, nullum medium, quod moretur ingressum regni, cum nisi ipse sanetur, impossibile sit intrare coelum, etiamsi nullum adsit [2]) actuale. Haec ille.

Cap. 14. Quod [3]) adversarius male sentiat de spirituali ecclesiae thesauro, unde venias elargitur.

Et ibi 1. datur intellectus talis thesauri.

Et 2. ostenditur, quod possibile sit esse talem in ecclesia.

Et 3. ostenditur probabiliter ita esse de facto.

Et 4. ostenditur idem demonstrative.

Et 5. ostenditur, quod quaecunque iste in contrarium adducit, nihil concludunt, et nihil pene ad propositum citatur, et quod omnia eius fundamenta nihil sunt, nisi mordacitates et detractiones. Et in

---

1) In ed. Vittemb.: volare. 2) In ed. Jen. et Vittemb.: *sit*. 3) In ed. Vittemb.: quam.

hoc cap. respondendo adversario infinita x) pulcherrima tractantur.

Cap. 15. Completo secundo volumine adiectum, visa disputatione cum Eccio, et resolutione Lutherana de potestate Papae, quod ex dictis sparsim supra improbentur novi errores istius.

Et ibi 1. quod romanus antistes divino iure sit primus, et dignitate et[1]) iurisdictione, autoritate doctorum latinorum.

Et 2. autoritate Graecorum.

Et 3. autoritate conciliorum.

Et 4. autoritate scripturarum, quibus per istum insufficienter y) respondetur, et ultimo idem astruitur theologicis rationibus irrefragabiliter.

Cap. 16. Quod ex dictis solvantur omnia adversarii maledicta.

Et ibi 1. quod suae rationes, quibus sine divino iure probare nititur romani Praesulis primatum, sunt ei, etsi non aliquae in se vanae, sunt quoque omnes insidiosae.

Et 2. quod solutio eius ad illam scripturam: Tibi dabo claves, nihil sit, et septem eius argumenta solvuntur.

Et idem 3. probatur de solutione ad illam: Pasce oves meas, et quatuor eius argumenta solvuntur.

Et 4. quod iniuste et ignoranter rideat ad decretum Leonis, dist. XIX: Ita Dominus, et dissolvuntur quatuor eius argumenta.

Et 5. quod ignoranter rideat decretum Leonis IV. di. II. de libellis.

Et 6. idem probatur de ca. cleros di. XXI. et solvuntur tria eius argumenta, maxime illud, quod ex concilio Africano di. XCIX. in ca. primae sedis, ubi iste deceptus aequivocatione z) primitatis sedis illud cap. tam patens, quod glossam non meruit, minime intellexit.

---

x) Infinita forte Melyssi Anaxagorae Leucippi. y) Quia Thomistice. z) Quid mirum, cum quotidie novas fingunt de corde suo aequivocationes.

1) In ed. Jen. deest: et.

Et 7. quod iniuste impugnat decretum Anacleti di. XXI. in novo, et ostenditur testimonio etiam graeci imperatoris [a]), sacerdotium novae legis ab antiqua Roma in omnes effluere.

Et 8. idem de Pelagii decreto di. XXI. sancta, et 4. eius argumenta solvuntur.

Et 9. quod ignoratissime impetat decretum Nicolai di. XXI. Inferior, et ostenditur, quod nihil sint, quae in contrarium adigit tela.

Et 10. idem de cap. omnes di. XXII. et septem eius calumniae repelluntur.

Et 11. idem de Anacleti decreto di. XXII. sacrosancta, et sex eius calumniae repelluntur.

Et 12. quod iniuste et maligne impetat Pascalem in decretali: significasti, de eleemosyna.

Et ultimo, quod suam Conclusionem XIII male probet [b]), sed omnes eius probationes aut ex malitia, aut inscitia magna procedunt. Caveat autem iste, quia, quantum ego capio, cervice sua Dei iudicium baiulat. De iuridica et irrefragabili veritate romanae ecclesiae romanique Pontificis Liber tertius finit.

Ad Lectorem

Martinus Lutherus [1]).

Haec quisquis legis, Christiane frater, a Silvestro [2]) satanae organo prolata, intelligere debes, non nisi summo odio et incredibili metu generalis concilii esse conficta. Agunt enim Romanistae iam dudum furore impietatis suae insanientes, quo impunitam licentiam quidvis audendi habeant, ne aliquando concilii remedio afflictae et vastatae ecclesiae succurratur, et Romanensibus Nimrothis [3]), Is-

---

a) Id est, iure divino. b) Et hoc Colonialiter et Lovanialiter dictum.

1) In ed. princ. deest: Martinus Lutherus. 2) In ed. *Jen.*: Silvestro. 3) In ed. princ.: Nimbrottis.

maelitis, sanguisugis, Sybaritis, Zodomitis, Antichristis orbem totum fictis (ut Petrus *) prophetavit) verbis seducentibus modus aliquis ponatur.

Cum itaque futurum videant, ut concilium prohibere nequeant, fingunt Papam esse supra concilium, sine eius autoritate nullum cogi, nullum durare, nullum obligare, et prorsus nihil facere ullum concilium, ipsum vero Papam esse regulam infallibilem veritatis, autorem intelligendae scripturae. Quibus figmentis et mendaciis plus quam tartareis, si cogantur concilium admittere, tamen ante eluserint, quam admittant, et sic undique impunitam suam Sodomam et Babylonem redemerint.

Mihi vero videtur, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam ut imperator, reges et principes vi et armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum, remque non iam verbis, sed ferro decernant. Quid enim fallant perditi homines, etiam communi sensu privati, quam id quod antichristus facturus praedicitur, ac si nos insensatiores, quam trunci sunt, habeant.

Si fures furca, si latrones gladio, si haereticos igne plectimus, cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas et totam istam romanae Sodomae colluviem, quae ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, et manus nostras in sanguine istorum lavamus? tanquam a communi et omnium periculosissimo incendio nos nostrosque liberaturi. O felices christianos, ubiubi fuerint, modo sub tali romano antichristo, sicut nos infelicissimi, non fuerint.

Ego interim me expediam, et testatam meam hanc tum conscientiam, tum monitionem relinquam, quod romani Pontificis autoritas, sive sit divini sive humani iuris, non altius quam quarto praecepto, id est, primo secundae tabulae, praecipitur, ubi dicitur: Honora patrem tuum et matrem tuam. Hinc assero

---

*) 2. Petr. 2.

ipsum esse omnibus nobis parem in praeceptis Dei, maxime primis tribus, ut, ubi contra horum unum aliquid fecerit, subiectus sit cuilibet fideli ad monendum et accusandum, iuxta illud Matth. 18.: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te non audierit, assume tecum alium, aut duos. Si hos non audierit, dic ecclesiae, id est, palam coram omnibus, si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

Quis est, qui Papam et papistas ab hac evangelii lege excipere possit? An Papa non est frater? an non omnibus suis haec Christus praecipit? Da locum scripturae, qui probet, Papam non licere in hanc regulam cogi? An figmentis suis daemoniacis nos territare tentant, ut huic Christi praecepto non obediamus, ob hominem in Deum peccemus, et timore traditionis humanae Dei praeceptum irritum faciamus?

Vere nunc intelligo, de quibus locutus sit Petrus, 2. Petr. 2: Erunt et [1]) in vobis pseudomagistri, per quos via veritatis blasphemabitur, Deum, qui eos emit, negantes, qui in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. An non est hoc viam veritatis blasphemare, si neges, verbum Christi in aliquem hominem peccatorem valere? Ego sum excusatus, et pronuncio ex his verbis Petri et Christi: Si principes, episcopi, et quicunque fideles Papam errantem quolibet crimine non monuerint, corripuerint, accusaverint, pro ethnico habuerint, esse omnes blasphemos viae veritatis, et negatores Christi, cum Papa aeternaliter damnandos. Dixi.

---

1) In coll. Jen. et Vittemb. deest: et.

R. Patris Fratris Johannis Nannis Viterbiensis

ordinis Praedicatorum, Theologiae professoris, de monarchia Papae disputatio, scripta Anno MCCCCLXXXI. Cum postfatione Martini Lutheri in tam solennem Disputationem.

Lutherus libello suo, quo Silvestri Prieriatis Epitomen de iuridica et irrefragabili veritate romanae ecclesiae romanique Pontificis cum epistolis atque glossis suis divulgavit, celebris theologi romani Johannis Nannis Disputationem de monarchie Papae adiunxit*) et singulari epilogo et epicrisi illustravit. Nannis ille (sive Nannius s. Annius), Viterbii (s. Fani Voltumnae), in Etruriae oppido, anno c. 1432 natus, ordini Dominicanorum adscriptus erat et, quum magna doctrinae theologicae laude floreret, gratiam sibi comparavit Paparum Sixti IV et Alexandri VI atque in Magistri S. Palatii apostolici dignitatem provectus est. Decessit de vita d. XIII. m. Novembris a. 1502. Anno 1480 Genuae forma quartanaria scriptum in lucem edidit, quod inscriptum erat: De futuris christianorum triumphis in Turcas et Saracenos ad Sixtum Papam IV. et reges, principes et senatus christianos. Hoc libro ille Apocalypsin Johannis apostoli explicare studebat atque inde perspexisse sibi videbatur, Turcarum imperium mox interiturum atque ecclesiam Latinam splendidam de eo reportaturam esse victoriam.

---

*) In exemplari Monacensi editionis Wittemb. Epitomae, quod nobis praesto erat, haec Nannis disputatio non redditur.

Quae cum multis verbis exponeret, Papae dignitatem atque maiestatem summis extulit laudibus et plurimis defendere studuit argumentis, Christum ait sive agnum et eius vicarium Pontificem romanum iure divino esse regem regum seu monarcham temporalem huius mundi et ob eam rem Constantinum Imperatorem obligatum fuisse, ut Sylvestro Papae urbe Roma cederet.

Plura de eo homine disserunt Walchius in praefatione, quam ad Tom. XVIII Opp. Lutheri conscripsit p. 26, et Seckendorfius in hist. Lutheranismi L. I. Sect. 15. §. XXXII.

Nos textum reddidimus huius libelli ex ed. Jen. Opp. Luth. 1556. l, p. 72; in ed. Wittemb. hic libellus non redditur, Walchius in tom. XVIII. Opp. Lutheri versionem Germanicam huius disputationis Nannis non affert, Lutheri epilogum in linguam germanicam versum reddit, T. XVIII p. 247.

R. Patris Fratris

Johannis Nannis Viterbiensis ordinis Praedicatorum, Theologiae professoris, de monarchia Papae disputatio, scripta Anno MCCCCLXXXI. Cum Postfatione Martini Lutheri in tam solennem Disputationem. M. L.

Invenies hic, Lector, de Donatione Constantini articulum ecclesiae papalis, solenniter et magistraliter defensum, quod et multi alii fecerunt, ut scias neque iocum neque ludum fuisse eis istud decretum de donatione Constantini, licet hodie quosdam istius pudeat, et negare libenter vellent, sed Papa non patietur etc.

Excerpta est haec Disputatio ex Commentario eius super apocalypsin, in quo plus quam italico fastu sibi arrogat prophetiam de perdendo Turcarum imperio et de triumpho glorioso ecclesiae latinae, statim ab anno MCCCCLXXX futuro, sed res ipsa declaravit eius prophetiam italicam arrogantiam et vanitatem fuisse, cum Zelimus, Turcarum Imperator, quem *hic concacatus* propheta ultimum et pereuntem facit

maxime res Turcarum extulerit, capta Aegypto et duobus Soltanis caesis etc.

Disputatio de Monarchia Pontificis Maximi.

Dubitatur, an agnus et vicarius eius Pontifex maximus, sit iure divino rex regum, sive monarcha temporalis huius mundi, et videtur quod non, his rationibus: Primo, quia omnis monarcha temporalis defensat suam monarchiam, sed Christus eam temporaliter non defensat, imo, ut evidentia declarat, potius flagellat et minuit. Ergo non habet monarchiam in hoc mundo temporalem. Et confirmatur dicto Christi Johannis 19. cap. dicentis ad Pilatum: Regnum, inquit, meum, non est de hoc mundo. Sed monarchia temporalis est de hoc mundo. Ergo ius monarchiae Christi non est in hoc mundo, sed exspectatur in alio.

Ad hoc firmissime tenentes respondemus *), quod nedum in futuro seculo, sed etiam in praesenti Christus solus habet monarchiam iuridicam. Et hoc primo declaratur ex secundo capitulo Danielis, ubi dicitur, quod lapis abscisus de monte sine manibus, qui est Christus, confregit statuam, et ipse factus est mons magnus, et implevit universam terram. Sed ibi ad literam loquitur angelus de successione monarchiarum mundi, et lapis replet etiam coelum et terram universam. Ergo monarchia Christi universalis est, nedum coelestis, sed temporalis. Et confirmatur per exponendi Danielis modum, sic ibi dicentis: In diebus autem regnorum illorum, scilicet subiectorum Romanis, suscitabit Deus coeli regnum videlicet Christianorum, ut omnes catholici exponunt, de quo regno sic dicit statim: Regnum illud non dissipabitur, et alteri populo non tradetur, sed comminuet et consumet universa Regna, ipsum autem stabit in aeternum.

Ex qua autoritate hoc colligitur **). Omne

---

*) Ergo baculus stat in angulo. **) Vide dialecticam pulcherrimam et perfecte magistraliterque nostralem.

regnum quod potest impugnari et affligi temporaliter, sed non deleri, est regnum temporale, quia regnum in alia vita nec impugnari potest nec affligi. Sed regnum Christi potest affligi temporaliter et impugnari a bestia, sed non deleri, ut patet ex dicta autoritate, et ex septimo capitulo eiusdem Danielis et in toto libro huius apocalypsis. Ergo Christi monarchia est etiam temporalis, quae licet impugnata et afflicta sub septem sigillis, et septem tubis, et septem phialis, tamen eius iurisdictio non tradetur a Deo alteri populo, ut ait Daniel secundo capitulo, sed tandem auferet a bestia omne regnum, quod est subter omne coelum, et dabit populo Christiano, ut ait idem septimo capitulo. Et ita regnum temporale Christi dissipabit omnia alia regna et ipsum stabit in aeternum. Quia omnia terminabuntur regna, solum autem Christianorum regnum stabit, quia neque in praesenti, neque in futuro huius regni erit finis, ut dixit angelus ad Mariam Lucae primo capitulo.

Et confirmatur, quia Danielis septimo capitulo, ut ibi declaravimus, circa finem capituli ad literam loquitur de Maumeth, qui loquitur contra excelsum sermones, et putavit posse mutare leges Christi in alcoranum, et tempora ab anno salutis voluit mutari ab annis Maumethi, et sibi intitulari. Ubi duo habemus. Primum, quod auferetur regnum a bestia et dabitur populo Sanctorum, sed Regnum, quod iudicium Dei auferet a bestia, est temporalis eius monarchia. Ergo Christus et vicarius eius Pontifex maximus sunt divino iure temporales monarchae. Aliud dicitur, quod populo Christiano dabitur magnitudo regni, quae est subter omne coelum. Sed subter coelum non est nisi tempus. Ergo Christi monarchia est temporalis etiam in hoc seculo.

Et consonat huic dictum Christi Matthaei ultimo, Data est (inquit) mihi omnis potestas in coelo et in terra. Sed omnis potestas est universalis monarchia, quia Saracenorum non est omnis potestas. Ergo Christo et vicario eius data est monarchia,

nedum coelestis, sed etiam terrestris. Atque ita agnus cum populo latino, ut ait hic Iohannes, pugnabit temporaliter cum bestia et Saracenis, et agnus vincet illos, quia iure divino soli sibi est tradita universalis monarchia, et est solus rex regum et dominus dominantium, et latini qui sunt cum eo, sunt vocati ad bellandum, et electi ad regnandum universaliter*), et fideles ad conservandam evangelii monarchiam. O quanta erit gloria Latinorum. Certi ipsi soli sunt Enoch et Helias reservati ad pugnandum contra antichristum et felices victores.

Ad rationem dicimus, quod aliud est non defensare et minuere, aliud emendare et corrigere. Negamus igitur, quod Christus non defensaverit ecclesiam suam, aut diminuerit, sed bene in his flagellis permisit partes ecclesiae leprosas et haereticas atque scismaticas flagellari. Hoc autem non est ius suum non defensare, aut de iure suae monarchiae minuere, sed solum languidae parti occurrere, atque mederi per illas medicinas et media tyrannica bestiae, quae sua sapientia novit melius expedire.

Ad secundam rationem dicimus cum Augustino super illo verbo Christi: Ego non sum de hoc mundo. Aliud, inquit, est esse de hoc mundo et hinc, aliud autem esse in hoc mundo, et hic. Esse enim de hoc mundo est habere iura sua a mundo et more mundi. At Christus non habuit ius sui regni a mundo, sed a Deo promittente per scripturas Danielis et angeli, quod suae monarchiae non erit finis, sicut praecedentes.

Similiter non acquisivit eam more mundi, militum multitudine et armis, sed miraculis et morte vicit, ut exposuimus super secundo Esaiae prophetae dicentis de Messiae militibus. Convertent gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit ultra gens apostolica contra gentem

*) Manet alta mente repostum imperium Italiae fractique iniuria regni.

gladium. Et hoc est, quod Christus non negat Pilato regnum suum esse hic, et in hoc mundo, sed esse hinc et de hoc mundo dicens: Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei utique armis more mundi decertarent, ut non traderer Iudaeis, nunc autem regnum meum non est hinc.

Hoc loco surgit dubitatio. Si regnum Christi non armis acquiritur, quomodo Iohannes Evangelista in sequentibus capitulis ponit latinos acquisituros universalem bestiae monarchiam pugnis, bellis et armis. Et respondemus, quod latinus exercitus, licet usurus sit armis, tamen magis erunt pro signo, quam effectu, quia illa arma nihil valebunt contra tantam Saracenorum potentiam et exercitus, sicut et arma Petri nihil*) valuerunt nisi ad abscisionem auriculae. Sed accident multa miracula et divinae virtutes, quibus territi infideles subiugabuntur. Nam ut ait apostolus primae ad Thessalonicenses ultimo: Dominus Iesus interficiet impium spiritu oris sui. Et hoc idem asserit Esaias cap. 11, ut ibi ad literam exposuimus. Ergo in armis latinorum non operabitur vis armorum, quam Turci non trepidant, sed spiritus Iesu miraculosus. Et ideo Iohannes, cum hic dicit, quod vocati et electi ac fideles latini pugnabunt, non dicit arma eorum, sed agnus vincet illos, quoniam rex regum est, et haec de litera capituli.

Ex his multa dignissima memoratu occurrunt. Primum est, quod ius omnium monarchiarum a solo Deo est, hoc patet Danielis quarto cap. quando Nabochodonosor dictum est. Scias, quod excelsus dominatur in regno hominum, et cuicunque voluerit dabit illud.

Secundum est, quod solae quinque monarchiae sunt a iure divino, s. Chaldea, Persa, Graeca, Romana, Christiana, quarum quatuor primae ad tempus concessae fuerunt a Deo, ultima vero stabit in

---

*) (Nihil) Etiam mentiendo nimium vera loqueris, *proh dolor.*

aeternum, et ius eius alteri populo non tradetur. Hoc probatur Danielis secundo et septimo capitulis, et Lucae primo.

Tertium est, quod omnes aliae dominationes his non subiectae tyrannicae erant ac permissivae. Et ratio est Iob, quia Deus non facit regnare hypocritam sive tyrannum contra instituta a se dominia, nisi propter peccata populi.

Quartum est, quod verus monarcha est Pontifex maximus, ratio, quia ei soli delegata est universalis Christi potestas, non solum ligandi et solvendi, sed et in fide confirmandi et omnes oves et agnos temporaliter pascendi, ut patet ex evangeliis.

Quintum est, quod prohibitiones duas Christus in passione revocavit in resurrectione. Prima prohibitio fuit, ne irent ad praedicandum Samaritanis et paganis, sed solum ovibus Israel. In resurrectione hanc relaxavit propter promulgationem evangelii dicens: Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Secunda prohibitio fuit de pecuniis non portandis et gladiis. Quia, cum Iudaeis praedicarent, ab eis recipiebantur: sed quia futurum erat dominium mundi in eis*) et successoribus. Idcirco in passione ius illud abrogavit et aliud pro futura monarchia condidit dicens: Quando misi vos sine sacculo et pera et calciamentis, nihil vobis defuit. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet arma, vendat tunicam et emat gladium**).

Sextum est, quod absque voluntate senatus et populi Romani Constantinus debuit resignare imperium Silvestro. Hoc patet, quia iam ad Christum erat devoluta monarchia iure divino. Quod autem est de iure divino, absque senatus consulto debuit fieri.

Septimum est, quod Silvester imperii gloriam

*) (Eis) Qui fuerunt isti Eis? An apostoli fuerunt domini in mundo. **) Habes ergo hic Pontificem gladio ornatum, autoritate Christi.

suscipere potuit a Constantino, et beatus Sixtus potuit thesauros imperii a Philippo imperatore suscipere, et thesauros ecclesiae appellare. Ratio, qui potest monarchiam suscipere iure divino, potest et eius annexa suscipere eodem iure, potissime cum Christus relaxaverit ius non utendi pecuniis et armis.

Octavum est, quod beatus Laurentius martyr invito imperatore Decio dictos thesauros potuit dare pauperibus, ratio, thesauri non erant tyranni, sed monarchae veri. At verus monarcha erat Sixtus Pontifex urbis iure divino, et Decius erat ex consequenti tyrannus. Et idcirco beatus Laurentius nec dici, nec esse potuit fur et raptor.

Nonum est, quod Caesar et primogenitus ecclesiae imperator ille est, quem vicarius agni Caesarem instituit ad defensionem monarchiae.

Ultimo sequitur, quod, qui Christi vicario contradicunt, sive Caesares, sive reges ac principes et potentatus, statim iure divino tyranni efficiuntur, suntque magis sub bestia maomethani tyranniade, quam sub iuridica divina monarchia immaculati agni. Haec igitur hactenus dicta sunt.

Martinus Lutherus Pio Lectori.

Legimus Iohan. XII. quod Iudas Ischarioth indignatus sit, cum tantam videret unguenti perditionem, quam Magdalena in corpore Christi prodegerat, religiosisime causatus, potuisse pauperibus tantum thesaurnm multo sanctius distribui. Fuit haec sane magnifica et miranda pietatis species in tam perdito et nefario homine, ita ut et ceteri quoque apostoli ea verbi magnificentia seducti crederent (sed simplicitate apostolica) hominem serio et vere talia loqui, sed postea, re ipsa docti, viderunt (sicut Iohan. dicit) eum furem fuisse, et furandi causa tam religiose de ecclesia pauperum curanda mentitum.

Hunc plus quam gnavissime romanus Pontifex imitatus, postquam vidit in corpus Christi (quae *est* ecclesia eius) magnos thesauros per fideles,

optimas Magdalenas, id est, animas credentium, et principum Christianorum profusos, pro fovendis ministris ecclesiae, et alendis membris Christi in hac vitae miseria, captus insanissimo furandi et rapiendi furore coepit et ipse clamare, per omnes decretales et scripta suorum adulatorum, sese curam omnium ecclesiarum spectare, et oves Christi pascendas sibi commendatas esse, specie non modo Ischariotica, sed plus quam angelica, per hoc mendacium totius ecclesiae opes furari et ad sese rapere conatus, cum nullum sit post ipsius satanae, patris mendaciorum mendacia impudentius et impurius mendacium sub sole proditum, quam quod romanus episcopus sit pastor totius ecclesiae.

Et fuit Iudae mendacium apostolis sine periculo, cum ignari crederent fallacibus verbis pro officio caritatis (quae omnia credit) nec in eius verba fidentes mori voluissent. At noster romanus Ischarioth sic adornavit nobis Christianis suum mendacium, ut, nisi pro articulo fidei adoraremus, non modo periculum salutis immineret, sed certa, praesens et latae sententiae damnatio nos iamdudum ante secula hausisset. Et delectabat eum ista credula et stulta simplicitas fidelium, in qua pro libidine sua ludere, quae vellet, stilo liceret curiali, nam (si voles) historias percurre et observa, an unquam e Papae curia prodierit una pagina, imo duo versus doctrinae Christianae, vel saltem decalogi, cum tamen interim decretalium et bullarum de praebendis, palliis, dignitatibus et aliis profanissimis nugis, sine intermissione, sine fine, sine modo tempestates et maria exundarint in omnem ecclesiam.

Quae omnia cum tot seculis videamus, palpemus, sentiamus, experientia ipsa ita sese habere, nihilominus os istud durum et impudens romanae lupae audet gloriari, sese velle pascere oves Christi, et omnes ecclesias, satanica et furiali nequitia verbum pascendi huc detorquens, ut significet ei, temporaliter et corporaliter in rebus fidelium, ad perditionem animarum licere tyrannisare et furere. Quasi vero animae fidelium valde bene pascantur,

si loco puri verbi Dei, quo aluntur in vitam aeternam, devorare cogantur merdas, stercora, cloacas bullarum et decretalium de primatu, dignitate, potentia et similibus portentis tyrannicis, quibus venter papae et esca eius in hoc seculo glorificatur et in Deum exaltatur, his qui pereunt. Atque utinam essent duntaxat merdae et cloacae pessimorum hominum, et non potius venena aspidum insanabilia, et ova basiliscorum (ut Isaiae verbo *) utar) ipso visu interficientium.

Nam tolerasse has cloacas aut etiam devorasse satis fuerit magna miseria generis humani, sed pro articulis fidei necessariis ad salutem recipere, et in eis confidere et mori, tanquam obedientia salutari ad vitam, hoc est novissimum malum et ultimi temporis, quod Paulus periculosissimum et saevissimum fore praedixit, hoc non pertinet nisi ad purpuratam illam meretricem, matrem fornicationum et abominationum terrae, mysticam Babylonem, ebriam sanguine Sanctorum et sanguine martyrum Iesu, quae gestatur a coccinea bestia, nominibus blasphemiarum plena. Sic enim describit ille curiam papae, et tale est revera regnum papae, tantum tantorum malorum infernum praevaluit inducere in orbem una falsa glossula huius verbi, Pasce, dum non de evangelio docendo, quod pontifices Ischariothici ne summo quidem digito attingunt, sed de potestate dominandi docuerunt intelligere, nihil veriti Christi verbo dominationem in ecclesia prohibentis **): Vos non sic (inquit) ut gentes dominari, sed invicem servire debetis, et Petrus ***): Non dominantes in clero, sed forma gregis efficiamini.

Proinde, si romanum Ischariothem compares ceteris in orbe tyrannis, qui fuerunt, sunt vel esse possunt, videbis illos fuisse pene umbras tyrannicas, corpus vero tyrannicum ipsum esse romanum idolum. Mira de Hattilae Hunnorum regis tyrannide

*) Isai. 39. **) Lucae 22. ***) 1 Petr. 5.

scribunt historici, qui se appellarit flagellum Dei et metum orbis terrarum, et de Thamerlane Schytarum tyranno, qui se iram Dei et vastitatem orbis iactaverit, sed hi figura et ludus fuerunt prae curia romana. Nam fuerunt illi brevis cuiusdam temporis calamitates, et, quod optimum fuit, illorum furores bona et secura conscientia et illaesa fide Christi ferri potuerunt. Romanus vero Hattila et Thamerlanes perpetuo et sempiterno furore ecclesias Dei vastavit, nec solum res et corpora perdidit, sed fidem Christi et conscientiam bonam oppressit et exstinxit suis pestilentissimis decretis, quibus re vera et nimis diu fuit metus summus orbis, ira et flagellum Dei. Illi gladio terruerunt orbem, salva fide Christi, hic mendacio sub nomine Dei proposito terruit et domuit omnia, et pro iustitia et veritate coegit adorare.

His malis non contentus homo peccati et filius perditionis, nec aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta quaerit (ut de Antiocho scribitur) regnare super duo regna, imperiique romani arrogat sibi dominium. Ad quod non minoribus mendaciis nititur, nam postquam Carolum magnum episcopus romanus unctione et corona declarasset Rom. Imperatorem, licet ipsum invitum, non destiterunt postea per omnia tempora succedentes Pontifices hoc exemplo in spem sublati, sibi usurpare potestatem conferendi imperii quibus vellent, et se plane dominos feudi, imperatores vero et reges suos vasallos reputare, se ipsos veros et pleno iure esse dominos dominorum, reges regum, iudices thronorum, ut per suos adulatores fremunt.

Nec defuit operationi erroris successus per fictam excommunicationem, tum per prodigia et signa mendacia Satanae, donec nullo genere doli, fraudis, artis et nequitiae et malitiae omisso multa regibus raperent, et quod rapere non possent, furarentur, quod furari non possent, impiis cultibus et ceremoniis extorquerent, tandem etiam conculcarent ipsa colla Regum, eosque occiderent ferro, et orbem caedibus et bellis vastarent.

Exstat epistola cuiusdam boni viri Iacobi Meyer Cancellarii Moguntini ad Cardinalem Aeneam Sylvium expostulatoria de tyrannide Papae et curiae suae, sed Aeneas Sylvius, homo non tantum Italus, sed Cardinalis quoque gemina superbia, utraque immensa, scilicet Italica et Cardinalitia, ita respondet atrociter amico, ut ius esse contendat, non tyrannidem, quicquid Papa in Germanos saeviret, ausus hoc asserere, Germaniam hoc debere romanae sedi, quod imperium romanum haberet, quod tam culta facta esset ex horrida et barbara terra, quod tam lata et ampla nunc floreret, prius angustis terminis inclusa, breviter, Germaniam pene creaturam Papae facit, ideo debere patientem et gratam esse expilatori romano.

Credidit homo Italici supercilii et fastus, historias a Germanis neque legi neque teneri, cum satis constet ex omnibus historiis, Carolum Magnum non solum nihil accepisse a romano episcopo, sed contra multa illi dedisse, ut potius rom. episcopus ipsam suam sedem Carolo salvam debebat, ut quam ei restituit defensam contra regem Longobardorum. Nam Carolus iam tum tenebat Germaniam, Galliam, Lombardiam, ante coronationem papalem, neque voluit a Papa etiam ipsum titulum imperii datum accipere, sed ab imperatore Constantinopolitano, ut prorsus nihil Pontifici deberet, sed contra Pontifex illi deberet omnia.

Sed hac historiae veritate nihil commoti Romanenses tyranni perpetua insania sese largitores imperii clamaverunt, ut, si qua fata sinerent et tempora concederent, ipsi sibi tandem imposito diademate, regibus omnibus exstinctis, priscum illud romanum imperium recuperarent, et ita alieno labore partam gloriam in sese transferrent, et pro titulo dato rem ipsam acquirerent. Tantum putant sese habere salis nebulones perditi.

Ex istorum numero offero tibi legendum (optime lector) ridendum etiam hunc prophetam Viterbiensem, ut videas, quid spectarint? quid hinnierint? quid hiaverint, semper romanae lernae mon-

stra, quam ecclesiam pascere studuerint? quod regnum Dei, et quam iustitiam eius quaesierint? ut, cum ista perspexeris, sine periculo mendacia Papae, sub nomine Christi in ecclesiam diffusa, contemnere discas. Nam hinc scies, quod Papae, qui totus est ipsum mendacium filiusque mendacis diaboli, non sit ulla syllaba credendum, etiamsi iuret trecentos Deos.

Nihil enim est in curia Papae, quam fallere, mentiri, rapinari, lupinari, vulpinari, quod nunc vocant, Romanari, idque sub nomine Christi, id est, horribili blasphemia in Spiritum sanctum, ideo et finis eius venire nunc coepit. Deo gratia per Christum Dominum nostrum. Amen.

Resolutiones disputationum

de indulgentiarum virtute F. Martini Lutheri Augustiniani Vuittembergensis, ad Leonem decimum Pontif. omnibus modis summum.

Liber.

Candidum et liberum lectorem volo.

Lutherus paulo postquam theses de indulgentiarum virtute proposuit, his virorum doctorum illius aetatis morem secutus probationes sive resolutiones adiungere paravit. Id iam mense Novembri a. 1517 egisse eum apparet ex epistola, quam Spalatino tunc dedit et in qua haec scripsit: „Fuit heri apud me Dominus Abbas Leninensis nomine et vice reverendi Domini Episcopi Brandenburgensis, cuius et literas ad me attulit, referens mihi mandato eiusdem Domini Episcopi nostri, optare se et petere, ut paululum differam editiones probationum mearum et quarumlibet lucubrationum, si quas haberem: de indulgentiis tamen (de Wette: tum) sermonem vulgarem editum valde nollet et deinceps non edendum nec vendendum rogavit. — Licet enim nihil erroris in illis, sed omnia catholica esse censeret, ipseque damnaret illas indiscretas (ut vocant) proclamationes indulgentiarum, tamen propter scandalum iudicaret aliquantulum tacendum et differendum". (Epp. Luth. ed. Aurif. I, 40. de Wette I, p. 71). Cernere hinc licet iam tunc inter Lutherum et episcopum Brandenburgensem commercium quoddam epistolarum de indulgentiis fuisse, et ob eam rem Seckendorfius in Historia Luther. I, p. 32 recte haec monet: „non dubitandum, quin iam tempore *publicatarum* thesium ultimo Oct. 1517 vel prius

Lutherus Episcopo huic, Dioecesano utpote suo, propositum suum aperuerit, licet literae non aeque ac illae, quas tunc ad Archiepiscopum scripsit, exstent: et sic lucem capiunt, quae Lutherus in literis ad Pontificem paulo post datis refert, se privatim monuisse aliquos magnates ecclesiae." Nec minus coniicere inde possumus, Lutherum ipsum probationes sive resolutiones, quas paulo post theses propositas atque iam ante annum 1517 finitum paratas fuisse modo cognovimus, sive ratione Episcopi sui habita sive spe aequa impetrandi commotum typis evulgare aliquantum distulisse. Quum vero non deessent, qui ob has theses obiurgare eum, impugnare, tanquam haereticum infamare non desinerent, probationes earum in vulgus edere apud animum suum constituit et iam die IX. mensis Maii a. 1518, quum Heidelberga reverteretur Wittembergam, Erfurdiae, ubi tum in Augustinianorum monasterio fruebatur deversorio, Jodoco Eisenacensi, suo quondam praeceptori et theologiae professori Erfurdiensi, quem voce adire per famulum ostiarium, quod domini valetudo obstaret, ipsi non permissum est, haec scribit: „Ego sane fateor, vellem quod nullae essent in tota ecclesia indulgentiae, quas nec Itali curant vel pilum: nisi quod lucrum tantum promovent, imo ipsum lucrum atque aliud nihil promovent: ut latius dicam in probationibus meis, Deo volente, statim vulgandis." (Luth. Epp. ed. Aurif. I, 61, de Wette I, p. 109.) Wittembergam igitur sabbatho post Ascensionis dominicae festum (Luth. Epp. ed. Aurif. I, 62, de Wette I, p. 110) reversus iam d. XXII m. Maii has Resolutiones descriptas Hieronymo Sculteto, Episcopo ecclesiae Brandenburgensis, ordinario suo, misit eiusque arbitrio ac iudicio maxima cum reverentia subiecit (Luth. Epp. ed. Aurif. I, p. 63 sqq. de Wette I, 112 sqq.), et paulo post die XXX mensis Maii easdem Johanni Staupitio misit rogans „ut ineptias suas susciperet et qua fieri posset industria ad Pontificem Leonem decimum transmitteret, ut essent sibi adversus studia malignantium vice ali-

cuius paracleti." Eodem fere tempore has Resolutiones typographo tradidisse videtur excudendas, sed segnius quam ipse exspectabat hoc opus perficiebatur, itaque die X. (vel XV.) [pro die 12 Fratrum leg. aut: die 7 Fratr. M. M. aut: divis. Apostolorum] mensis Julii Wenceslao Lineo, theologo et ecclesiastae monasterii Eremitarum Nurmbergensium, haec scribit: „Misissem probationes mearum positionum, sed tam segnis est noster chalcographus, ut et ipse mire discrucier a dilatione: sunt ferme 18 conclusiones absolutae, quas tentavi ut mitterem." Medio tandem mense Augusto resolutiones typis erant confectae, parum tamen correctis, itaque per Spalatinum principi Friderico eas d. XXI m. Augusti mittens haec scribit: „Mitto resolutiones mearum propositionum, sed mendose excusas: ita obfuit mea aliquanta absentia."

Lutherus in his resolutionibus singulas theses propositas ita distinguit, ut plerasque pro veris asserat, quasdam vero non nisi probabiles et disputabiles, ideoque pertinaciter non defendendas declaret, omnino autem hoc tractatu summam eruditionem, pietatem, animi generositatem praestitit, „easque, Seckendorfius inquit in Histor. Lutheran. I, p. 37, si absque praeoccupatione considerassent, in tantas iras non exarsissent" (cf. Walchii introd. in T. XVIII Opp. Luth. p. 41 sq.). Etiam Lutheri adversarii profitentur eum his probationibus multorum benevolentiam sibi comparavisse, nam Maimburgius Jesuita in historia Lutheranismi haec tradit: „Haec (Lutheri in thesibus suis probandis ac resolvendis exhibita) methodus multorum benevolentiam et approbationem ei conciliavit credentium, bona fide ab eo agi nec aliud quam veritatem quaeri, unde ab adversariis, quorum fraudes et abusus detexerat, iniuste pro haeretico eum haberi putabant" (Seckend. Hist. Luth. I, p. 28). Qua denique tum fuerit Lutherus reverentia in Papam, apparet ex literis, quas una cum resolutionibus ad Leonem X dedit.

In reddendo textu resolutionum nos secuti su-

mus editionem principem, quae in bibliotheca Scheurliana asservatur, cuius titulus hic est:

Resolutiones disputationum F. Martini Luther Augustiniani, de indulgentiarum virtute, ab ipso earum auctore, a pluribus mendis repurgatae, Vittenbergae (s. l. et a., forma quart.) Tituli paginae impressa est imago, Christum proponens, quem de cruce demunt, et in inferiore eius parte leguntur haec verba: Liber: Candidum ac liberum lectorem volo. In extrema pagina legitur: Lipsiae apud Melchiorem Lottherum, Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo octavo. — In pagina altera exscripta est Lutheri epistola Staupitio data, quae incipit: Memini etc.; tum sequitur epistola papae data, cuius exordium est: Beatissimo patri Leoni X etc. Auditum audivi etc. In fine epistolae, hac inscriptione: Protestatio reverendi P. Martini Lutheri, non addita, leguntur haec: „Quia haec theologica — sentiunt vel cupiunt", quae excipiunt Resolutiones ipsae, quarum initium est: Conclusio prima etc.

Praeter hanc vetustissimae harum Resolutionum editiones sunt:

Resolutiones disputationum de Indulgentiarum virtute F. MARTINI LUTHER Augustiniani Vittenbergensis. Liber. Candidum et liberum lectorem opto. (Vittenbergae) Anno Domini M.D.XVIII. 4.

(Panzer Ann. typogr. IX, 71.)

Resolutiones disputationum de Indulgentiarum virtute Frat. Mart. Luth. Augustiniani Wittembergensis. Ad Joh. Staupitium, S. T. Professorem Augustinianae familiae Vicarium. Epistola Lutheri ad Leonem X Pont. Max. 1518, 4.

(v. d. Hardt Autogr. Luth. III, 14.)

Resolutiones disputationum F. MARTINI LUTHERI Augustiniani, de indulgentiarum virtute, Vuittenbergae. Praecedit epistola nuncupatoria ad Johannem Staupitium S. T. professorem, Augustinianae familiae Vicarium. Excipit illam Martini Lutheri ad Leonem X P. M. Epistola. In fine: Lip-

siae., apud Melchiorem Lottherum. Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo nono. 4.
(Panzer Ann. typ. VII, p. 206.)

In collectionibus Opp. Lutheri hae Resolutiones latine leguntur: in collect. a. 1519 et Basileae 1520 editis, in coll. Vittemb. t. 1, p. 102 sqq., in coll. Jenens. I, p. 76 sqq., germanice in coll. Lips. T. XVII p. 29, in edit. Walchii T. XVIII p. 290 sqq.

Epistolas Lutheri ad Staupitium et ad Leonem X datas reddidimus ex editione principe, quam supra laudavimus, epistolam ad Hieronymum, episcopum Brandenburgensem, missam ex ed. Epp. Lutheri, quam Aurifabro debemus, collatis editionibus Jenensi et de Wettiana. Adnotationes, quas addidimus, ex edit. Jenensi sunt repetitae.

Reverendissimo in Christo

Patri ac Domino, Domino Hieronymo, ecclesiae Brandenburgensis Episcopo, clementissimo Domino suo in primis gratioso, F. Martinus Lutherus Augustinianus Vuittembergensis.

Jesus.

Salutem. Quum nuper circum nostras regiones, optime Praesul, audiri coepissent nova et inaudita de apostolicis indulgentiis dogmata, ita ut tam docti quam indocti plurimi passim admirarentur et moverentur, fui ego a multis, tum familiaribus, tum ignotis facie, rogatus multis literis et colloquiis, quid mihi de istorum verborum novitate (ne dicam licentia) videretur. Dissimulabam aliquamdiu, tandem urgebant disputationibus acribus usque ad periculum pontificalis reverentiae.

Ego vero quid facerem? Non erat meum in hac re quidquam statuere, et verebar illis contradicere, quos non nisi vera praedicasse cupiebam videri quam maxime. Isti vero sic instabant evidentibus argumentis falsa et inania probare, ut me

(vera fateor) omnino captivarent atque concluderent.

Ut ergo utrisque satisfacerem, visum est id optimum consilium utrisque neque consentire, neque dissentire, sed interea[1]), de tanta re disputare, donec ecclesia sancta statueret, quid sentiendum foret. Itaque emisi disputationem, invitans et rogans publice omnes, privatim vero, ut novi, quosque doctissimos, ut vel per literas suam sententiam aperirent. Quandoquidem in iis rebus neque scripturas, neque doctores ecclesiasticos, neque ipsos canones, praeter paucos canonistas, et hos sine textu loquentes, et aliquos scholasticos doctores similiter opinantes, nihil etiam probantes, suffragari mihi viderem.

Mihi id sane[2]) omnium longe absurdissimum videtur, aliquid scilicet in ecclesia Dei praedicari et audiri, quod cum haeretici expostulaverint, unde rationem reddamus, et nos non possimus, Christum et ecclesiam eius relinquamus illis ridiculum et ludibrium.

Porro scholasticis doctoribus et canonistis constat nullam deberi a nobis fidem, dum suas opinantur opiniones. Et ut vulgo dicitur: Turpe est iuristam loqui sine textu, at multo turpius est theologum loqui sine textu, non Aristotelis dico, nam hunc plus valde nimis satis loquuntur, sed nostro, id est, scripturae sacrae, canonum, ecclesiasticorum Patrum.

Proinde mihi visum est, rem hanc esse mei studii et officii, disputare scilicet de rebus omnium dubiosissimis, sed, simul si falsae[3]) sint, periculosissimis assertu, quando hucusque licitum est Scholasticis, de iis etiam rebus sacratissimis reverendisque, quas per tot secula nullus dubitavit Christianus, disputare.

Quod vero humilis et deiecta eorum sit religio seu reverentia, qui de potestate ecclesiastica seu sum-

---

1) In ed. Jen.: interim. 2) In ed. Jen.: sane id. 3) Aurif.: false.

mi Pontificis putent non disputandum sed tacendum, et gratias agendum, quis non vel palpet, quaeso? Cur non etiam tacent et gratias agunt, et suas frivolas disputationes omittunt de potestate et sapientia et bonitate eius, qui dedit istam potestatem ecclesiae? Denique quid est secretum [1]), vel in illa summa maiestate vel sacratissima humanitate, quod non prope [2]) nugis ita contaminaverint, ut omnium bene et affectum et reverentiam cordium assiduitate nugandi in Deum exstinxerint. Sed de hoc alias.

Igitur cum in hanc harenam vocarem omnes, veniret vero nullus, deinde viderem disputationes meas latius vagari, quam volueram atque passim, non ut disputabilia, sed asserta acciperentur, coactus sum praeter spem et votum meam infantiam et ignorantiam in vulgus mittere, et declarationes ac probationes earum in publicum edere, satius ratus me facere, si imperitiae meae infamiam incurrerem, quam illos errare sinerem, qui forte putant omnia esse asserta. Inter quae sunt, de quibus dubito, nonnulla ignoro, aliqua et nego, nulla vero pertinaciter assero, sed omnia ecclesiae sanctae suoque iudicio submitto.

Cum vero tu, optime Praesul, nobis per misericordiam Christi datus sis huius loci ordinarius (ut vocant), qui quidem bonos et eruditos non modo diligis [3]) mirifice, quod in multis multi plurimum praedicant, verum pro tua singulari humanitate, et humilitate prope usque ad periculum pontificalis dignitatis etiam veneraris et colis (facessat [4]) adulatio, non te, sed Christi dona in te praedico): iustissimum fuit, ut tibi (ad quem pertinet huius loci studia inspicere et iudicare) potissimum offerrem et pedibus tuis primum subiicerem, quicquid id fuerit, quod operor.

Itaque digneris, clementissime Praesul, susci-

---

1) In ed. Jen. et de Wette: tam secretum. 2) In ed. Jen.: non meris prope. 3) Ibid.: diligas. 4) Ibid.: facesset.

pere has meas ineptias, atque ut omnes sciant, quam nihil audacte asseram, non solum permitto, sed etiam obsecro, ut reverenda Paternitas tua arrepto calamo, quaecunque visum est, aboleat, aut igne facto totum comburat, mea prorsus nihil refert. Scio quod Christus mea opera non eget, absque me nunciabit prospera ecclesiae suae, quando secundum Gregorium Nazanzenum [1]), nec vera tutum est loqui in ecclesia, praesertim gravibus peccatoribus.

Idcirco mei non oblitus his verbis protestor, me disputare, non determinare, disputo, inquam, non assero, ac disputo cum timore, non quod eorum bullas et minas timeam, qui nullo prorsus timore tacti quicquid vel somniaverint velut evangelium credi volunt. Horum enim audacia et inscitia simul coegit (fateor) etiam timori meo non credere, quae nisi tanta esset, nullus me praeterquam angulus meus cognovisset. Si opus ipsum non fuerit suum, omnino volo, ut nec sit meum, sit vero nihil et nullius. Ego nihil debui quaerere, nisi ut nulli essem erroris occasio. Gloriam habeat ille solus, cuius solius est, qui est benedictus in omnia secula, Amen.

Datum sabbatho post [2]) Exaudi, Anno MDXVIII.

F. Martinus Lutherus.

Reverendo et Vere Patri

Johanni Staupicio S. Theologiae Professori, Augustinianae familiae Vicario, F. Martinus Luther discipulus Salutem et se ipsam.

Memini, Reverende Pater, inter iucundissimas et salutares fabulas tuas, quibus me solet Dominus Jesus mirifice consolari, incidisse aliquando mentio-

1) de Wette: Nanzianzenum. 2) In ed. Jen. deest: post.

nem huius nominis Poenitentia, ubi miserti conscientiarum multarum carnificumque illorum, qui praeceptis infinitis eisdemque importabilibus modum docent (ut vocant) confitendi, te velut e coelo sonantem excepimus, quod poenitentia vera non est, nisi quae ab amore iustitiae et Dei incipit, et hoc esse potius principium poenitentiae, quod illis finis et consummatio censetur.

Haesit hoc verbum tuum in me sicut sagitta potentis acuta, coepique deinceps cum scripturis, poenitentiam docentibus, conferre. Et ecce iucundissimum ludum, verba undique mihi colludebant, planeque huic sententiae arridebant et assultabant, ita, ut cum prius non fuerit ferme in scriptura tota amarius mihi verbum quam poenitentia (licet sedulo etiam coram Deo simularem, et fictum coactumque amorem exprimere conarer), nunc nihil dulcius aut gratius mihi sonet, quam poenitentia. Ita enim dulcescunt praecepta Dei, quando non in libris tantum, sed in vulneribus dulcissimi Salvatoris legenda intelligimus.

Post haec accessit, quod studio et gratia eruditissimorum virorum, qui nobis Graeca et Ebraea officiosissime tradunt, didici, idem verbum Graece *μετάνοια* dici, a *μετά* et *νοεῖν*, id est, a post et mentem, ut sit poenitentia seu *μετάνοια* resipiscentia, et post acceptum damnum et cognitum errorem, intelligentia sui mali, quod sine mutatione affectus et amoris fieri est impossibile. Quae omnia Paulinae theologiae ita respondent apte, ut nihil ferme aptius Paulum illustrare possit, meo saltem iudicio. Denique profeci et vidi, *μετάνοιαν* non modo a post et mentem, sed a trans et mentem posse deduci (sit sane violentum) ut *μετάνοια* transmutationem mentis et affectus significet, quod non modo affectus mutationem, sed et modum mutandi, id est, gratiam Dei videbatur spirare. Nam transitus ille mentis, id est, verissima poenitentia, celeberrimus est in sacris literis, ut quem phase illud vetustum olim significavit, Christus exhibuit, et longe ante Abraham quoque figuravit, quando

transitor, id est, Ebraeus vocari coepit; traiectus scilicet in Mesopotamiam, ut Burgen. docte docet. Huic et titulus ille Psalmi concinit, ubi Idithun, id est, transiliens cantator inducitur.

His inhaerens ausus sum putare, eos falsos esse, qui operibus poenitentiae tantum tribuerunt, ut poenitentiae vix reliquum nobis fecerint praeter frigidas quasdam satisfactiones et laboriosissimam confessionem, latino scilicet vocabulo abducti, quod poenitentiam agere actionem magis sonet, quam mutationem affectus, et Graeco illi μετανοεῖν nullo modo satisfacit.

Haec mea, cum sic ferveret meditatio, ecce subito coeperunt circum nos strepere, imo clangere nova indulgentiarum classica, et remissionum buccinae, quibus tamen non ad strenuum belli studium animaremur, breviter, neglecta verae poenitentiae doctrina adeo magnificare praesumpserunt non poenitentiam, non saltem vilissimam eius partem, quae satisfactio dicitur, sed eiusdem vilissimae partis remissionem, ut nunquam sit ita magnificari audita. Denique impia et falsa et haeretica docebant, tanta autoritate (temeritate volui dicere), ut qui vel contra mutiret, statim haereticus, igni devotus esset, et aeternae maledictionis reus.

Ego horum furori occurrere non potens, statui modeste eis dissentire, et in dubium vocare eorum dogmata, fretus omnium doctorum totiusque ecclesiae sententia, quod etiam satisfacere melius sit, quam satisfactionem remitti, id est, indulgentias redimere, nec est ullus, qui aliter unquam docuit. Itaque disputavi, id est, summa, media, infima, omnia in malum capitis mei irritavi, quantum per hos pecuniarum (heus animarum dicendum fuit) zelatores fieri ac perfici potest. Sic enim suavissimi homines, crassissima astutia instructi, cum negare non possint ea, quae dixi, fingunt summi pontificis potestatem laedi meis disputationibus.

Haec est causa, reverende Pater, quod ego nunc infeliciter in publicum prodeo, qui semper anguli amator fui, et ipse eligens spectare pulcher-

rimum nostro seculo ingeniorum ludum magis quam spectari et rideri. Sed (ut video) oportet et corchorum inter olera videri, et nigrum statui inter alba, decoris scilicet et veneris gratia.

Rogo itaque, has meas ineptias suscipias, et qua fieri potest industria ad optimum pontificem, Leonem decimum, transmittas, ut sint ibi mihi adversus studia malignantium vice alicuius paracleti, non quod te mihi coniungi periculo velim, meo solius periculo haec egisse volo. Christus viderit, suane sint an mea, quae dixi, sine cuius nutu nec summi pontificis sermo est in lingua eius, nec cor regis in manu sua, hunc enim exspecto iudicem e Romana sede pronunciantem.

Ceterum minacibus illis meis amicis nihil habeo quod respondeam, nisi illud Reuchlinianum, qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere. Res nec habeo nec cupio, famam et honorem si habui, assidue nunc perdit, qui perdit. Unum superest imbecille et assiduis fatigatum incommodis corpusculum, quod si qua vi vel dolo abstulerint (in obsequium Dei) forte una vel duabus vitae horis me pauperiorem facient. Sufficit mihi dulcis redemptor et propitiator Dominus meus Iesus Christus, cui cantabo, quamdiu fuero. Si quis autem noluerit cantare mecum, quid ad me? ululet, si libet, vel secum. Ipse Dominus Iesus servet te in aeternum, mi Pater suavissime. Vuittembergae, die S. Trinitatis, anno M. D. XVIII [1]).

Beatissimo Patri Leoni Decimo

Pont. Max. F. Martinus Luther Augustinianus aeternam Salutem.

Auditum audivi de me pessimum, beatissime Pater, quo intelligo quosdam amicos fecisse nomen meum gravissime coram te et tuis foetere, ut qui [2]) autoritatem et potestatem clavium et summi ponti-

---

1) In edit. Jen. hic interpositum est: Epistola Lutheri *ad Leonem X. Ro. Pon.* 2) In ed. Jen.: quia.

ficis minuere molitus sim. Inde haereticus, apostata, perfidus et sexcentis nominibus, imo ignominiis accusor. Horrent aures et stupent oculi. Sed unicum stat fiduciae praesidium, innocens et quieta conscientia. Nec nova audio, talibus enim insignibus et in nostra regione me ornaverunt homines isti honestissimi et veraces, id est, pessime sibi conscii, qui sua portenta mihi conantur imponere, et mea ignominia suas ignominias glorificare. Sed rem ipsam, beatissime Pater, digneris audire ex me infante et inculto.

Coepit apud nos diebus proximis praedicari iubilaeus ille indulgentiarum apostolicarum, profecitque adeo, ut praecones illius sub tui nominis terrore omnia sibi licere putantes, impiissima haereticaque palam auderent docere, in gravissimum scandalum et ludibrium ecclesiasticae potestatis, ac si decretales de abusionibus quaestorum nihil ad eos pertinerent. Nec contenti, quod liberrimis verbis haec sua venena diffunderent, insuper libellos ediderunt et in vulgum sparserunt, in quibus, ut taceam insatiabilem et inauditam avaritiam, quam singuli pene apices olent crassissime, eadem illa impia et haeretica statuerunt, et ita statuerunt, ut confessores iuramento adigerent, quo haec ipsa fidelissime instantissimeque populo inculcarent.

Vera dico, nec est, quo se abscondant a calore hoc. Exstant libelli, nec possunt negare. Agebantur tum illa prospere, et exsugebantur populi falsis spebus, et ut propheta*) ait: Carnem desuper ossibus eorum tollebant. Ipsi vero pinguissime et suavissime interim pascebantur.

Unum erat, quo scandala sedabant[1]), scilicet terror nominis tui, ignis comminatio et haeretici nominis opprobrium. Haec enim incredibile est quam propensi sunt[2]) intentare, quandoque etiam, si in meris opiniosisque nugis suis contradictionem

1) In ed. Jen.: sedebant. 2) Ibid.: sint.
*) Mich. 3.

senserint, si tamen hoc est scandala sedare, ac non potius mera tyrannide schismata et seditiones tandem suscitare.

Verum nihilominus crebrescebant fabulae per tabernas de avaritia sacerdotum, detractionesque clavium summique pontificis, ut testis est vox totius huius terrae. Ego sane (ut fateor) pro zelo Christi, sicuti mihi videbar, aut si ita placet, pro iuvenili calore urebar, nec tamen meum esse videbam in iis quicquam statuere aut facere. Proinde monui privatim aliquot magnates ecclesiarum. Hic ab aliis acceptabar, aliis ridiculum, aliis aliud videbar, praevalebat enim nominis tui terror et censurarum intentatio. Tandem, cum nihil possem aliud, visum est saltem leviuscule[1]) illis reluctari, id est, eorum dogmata in dubium et disputationem vocare. Itaque schedulam disputatoriam edidi, invitans tantum doctiores si qui vellent mecum disceptare, sicut manifestum esse etiam adversariis oportet ex praefatione eiusdem disceptationis.

Ecce, hoc est incendium, quo totum mundum queruntur conflagrari, forte quod indignantur me unum, autoritate tua apostolica magistrum theologiae, ius habere, in publica schola disputandi, pro more omnium universitatum et totius ecclesiae, non modo de indulgentiis, verum etiam de potestate, remissione, indulgentiis divinis, incomparabiliter maioribus rebus. Nec tamen multum moveor, quod hanc mihi facultatem invideant, a tuae[2]) B. potestate concessam, qui eis favere cogor invitus multo maiora, scilicet, quod Aristotelis somnia in medias res theologiae miscent, atque de divina maiestate meras nugas disputant contra et citra facultatem eis datam.

Porro, quodnam fatum urgeat has solas meas disputationes prae ceteris, non solum meis[3]), sed omnium magistrorum, ut in omnem terram pene exierint, mihi ipsi miraculum est. Apud nostros et

---

1) In ed. Jen.: leniuscule. 2) Ib.: tua. 3) Ib.: eis.

propter nostros tantum sunt editae, et sic editae, ut mihi incredibile sit, eas ab omnibus intelligi. Disputationes enim sunt, non doctrinae, non dogmata, obscurius pro more, et aenigmaticos positae. Alioqui si praevidere potuissem, certe id pro mea parte curassem, ut essent intellectu faciliores.

Nunc quid faciam? Revocare non possum, et miram mihi invidiam ex ea invulgatione video conflari, invitus venio in publicum, periculosissimumque ac varium hominum iudicium, praesertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eruditione, deinde nostro florentissimo seculo, quod pro sua in literis et ingeniis felicitate etiam Ciceronem cogere possit ad angulum, lucis et publici alioqui non ignavum sectatorem, sed cogit necessitas me anserem strepere inter olores.

Itaque, quo et ipsos adversarios mitigem et desideria multorum expleam, emitto ecce meas nugas, declaratorias mearum disputationum, emitto autem, quo tutior sim, sub tui nominis praesidio et tuae protectionis umbra, beatissime Pater, in quibus intelligent omnes, qui volent, quam pure simpliciterque ecclesiasticam potestatem et reverentiam clavium quaesierim et coluerim, simulque quam inique et false me tot nominibus adversarii foedaverint. Si enim talis essem, qualem illi me videri cupiunt, ac non potius omnia disputandi facultate recte a me tractata fuissent, non potuisset fieri, ut illustriss. Princeps Fridericus Saxoniae dux, Elector Imperii etc., hanc pestem in sua permitteret universitate, cum sit catholicae et apostolicae veritatis unus facile amantissimus, nec tolerabilis fuissem viris nostri studii acerrimis et studiosissimis. Verum actum ago, quando illi suavissimi homines non verentur mecum et principem et universitatem pari ignominia conficere palam.

Quare, beatissime Pater, prostratum me pedibus tuae B. offero cum omnibus quae sum et habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit, vocem tuam vocem Christi in te praesidentis et loquentis agnoscam. Si mortem merui,

mori non recusabo, Domini enim est terra, et plenitudo eius, qui est benedictus in secula, Amen, qui et te servet in aeternum, Amen[1]). Anno M. D. XVIII.

Protestatio Reverendi

Patris Martini Lutheri Augustiniani Vuittembergensis etc.[2]).

Quia haec est theologica disputatio, quo pacatiores faciam animos, nudo disputationis textu forte offensos, repetam hic denuo protestationem in scholis fieri solitam.

Primum protestor, me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in et ex sacris literis primo, deinde ecclesiasticis patribus, ab ecclesia Romana receptis, hucusque servatis, et ex canonibus ac decretalibus pontificiis habetur et haberi potest. Quod si quid ex iis probari vel improbari non potest, id gratia disputationis duntaxat, pro iudicio rationis et experientia tenebo, semper tamen in his salvo iudicio omnium superiorum meorum.

Unum illud addo et mihi vendico iure Christianae libertatis, quod opiniones B. Thomae, Bonaventurae, aut aliorum scholasticorum vel canonistarum nudas, sine textu et probatione positas, volo pro meo arbitrio refutare vel acceptare, secundum consilium Pauli*): Omnia probate, quod bonum est tenete. Etsi scio quorundam Thomistarum sententiam, volentium B. Thomam ab ecclesia esse approbatum in omnibus, constat satis, quantum B. Thomae valeat autoritas. Hac mea protestatione credo satis manifestum fieri, quod errare quidem potero, sed haereticus non ero, quantumlibet fremant et tabescant ii, qui aliter sentiunt vel cupiunt.

Finis.

1) In ed. Jen additum est.: Die S. Trinitatis.
2) Haec verba: Protestatio etc. non leguntur in ed. principe.
*) 1. Thess. 5.

Resolutiones Disputationum

de indulgentiarum virtute, R. P. ac sacrae theologiae doctoris Martini Lutheri Augustiniani Vuittembergensis, Ad Leonem decimum Pontif. omnibus modis summum.

Candidum et liberum lectorem opto.

Conclusio I.

Dominus et magister noster Iesus Christus, dicendo: Poenitentiam agite etc. omnem vitam fidelium poenitentiam esse voluit.

Hanc assero, et nihil dubito.

Probo tamen eam vel rudis ingenii causa primo ex ipso verbo Graeco μετανοεῖτε, id est, poenitentiam agite, quod rigidissime transferri potest, transmentamini, id est, mentem et sensum alium induite, resipiscite, transitum mentis et phase spiritus agite, ut scilicet nunc coelestia sapiatis, qui hucusque terrena sapuistis, quod Apostolus Rom. 12. dicit: Renovamini novitate mentis vestrae. Qua resipiscentia fit, ut redeat praevaricator ad cor odiatque suum peccatum.

Certum est autem, quod ista resipiscentia, seu odium sui tota vita fieri debeat, iuxta illud *): Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Et iterum: Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Et ibidem: Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth. 5: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et Paulus Rom. 6. et 8. aliisque multis locis iubet mortificare carnem, et membra, quae sunt super terram. Et Gal. 5. docet carnem crucifigere cum concupiscentiis eius. Et 2. Corinth. 6. dicit: Exhibeamus nosmet ipsos in multa patientia, in ieiuniis multis etc. Haec sic late profero, tanquam cum eis agam, qui nostra ignorant.

Ideo secundo probo et ratione eandem[1]). Quia Christus magister spiritus est, non literae, et verba

---

1) In ed. Jen.: eadem. *) Johann. 12.

eius sunt vita et spiritus, ideo necesse est, ut eam doceat poenitentiam, quae in spiritu et veritate agitur *), non autem eam, quam foris agere possunt superbissimi hypocritae, in ieiuniis suis facies exterminantes, in angulis orantes, et cum tubis eleemosynam facientes. Eam, inquam, doceat Christus oportet, quae in omni vitae genere agi potest**), quam rex in purpura, sacerdos in munditia, principes in dignitate non minus possunt agere, quam monachus aut mendicus in suis ritibus et paupertate, sicut egerunt Daniel et socii sui ***) in media Babylone. Omnibus enim hominibus, id est, omnium conditioni debet convenire doctrina Christi.

Tertio, per totam vitam oramus et orandum est: Dimitte nobis debita nostra, ergo tota vita poenitentiam agimus, et displicemus nobis, nisi quis sit ita stultus, ut ficte putet orandum sibi pro remittendis debitis. Vera enim sunt, et non contemnenda debita, pro quibus orare iubemur, etiamsi sint venialia, non tamen nisi eis remissis salvari possumus [1]).

Conclusio II.

Quod verbum de sacramentali poenitentia (confessionis et satisfactionis, quae sacerdotum ministerio celebratur) non potest intelligi.

Hanc etiam assero et probo.

Primo, quia poenitentia sacramentalis est temporalis, nec potest omni momento agi, alioqui assidue cum sacerdote loquendum esset nec aliud quicquam agendum, nisi peccata confitendum [2]), atque satisfactionem impositam exsequendum [2]). Ideo non potest esse crux illa, quam Christus praecipit tollere, nec est mortificatio passionum carnis.

Secundo, sacramentalis est externa tantum, et praerequirit internam, sine qua nihil valet. Sed haec interna est, et sine sacramentali esse potest.

Tertio, sacramentalis potest esse ficta, haec

1) In ed. Jen.: possimus. 2) Ibid.: confitendi-exsequendam. *) Johann. 6 **) Matth. 6. ***) Dan. 3.

non nisi vera et sincera esse potest. Quod si sincera non fuerit, hypocritarum est, non ea, quam Christus docet.

Quarto, de sacramentali poenitentia nullum habetur praeceptum Christi, sed est per pontifices et ecclesiam statuta (saltem quoad tertiam sui partem, scilicet satisfactionem), ideo et mutabilis arbitrio ecclesiae. Sed poenitentia evangelica est lex divina, nulla hora mutabilis, cum ipsa sit iuge illud sacrificium, quod vocatur, cor contritum et humiliatum.

Quinto, huc pertinet, quod uno consensu doctores scholastici discernunt poenitentiam virtutis a poenitentia sacramentali, ponentes poenitentiam virtutis velut materiam seu subiectum poenitentiae sacramenti.

Conclusio III

Non tamen solam intendit interiorem, imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

Et hanc assero et probo.

Primo, Roma. 12, praecipit apostolus, corpora nostra offerre hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Atque id quomodo fiat, ibidem clare et late exponit, dum docet humiliter sapere, invicem servire, diligere, orationi instare, patientiam habere etc. Quomodo et 2. Corinth. 6. ait: Exhibeamus nosmet ipsos in multa patientia, in ieiuniis et vigiliis etc. Sed et Christus Matth. 5. et 6. docet recte ieiunare, orare, eleemosynas dare, item alibi*): Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda vobis.

Unde sequitur, quod illae tres partes satisfactionis, ieiunium, oratio, eleemosyna, non pertinent ad sacramentalem poenitentiam, quoad substantiam factorum, quia sunt de praecepto Christi, sed per-

---

*) Luc. 5.

tinent ad eam, quoad certum modum et tempus, secundum quod ecclesia ordinaverit, videlicet quamdiu sit orandum, ieiunandum, dandum; item, quantum et quid orandum, quantum et quid non comedendum, quantum et quid dandum.

Verum ut sunt de evangelica poenitentia, ieiunium habet in se omnes castigationes carnis, sine delectu ciborum, aut differentia vestium, oratio vero omne studium animi meditando, legendo, audiendo, orando, eleemosyna vero omne obsequium erga proximum, ut ita per ieiunium sibi serviat, per orationem Deo, et per eleemosynam proximo, per primum vincat concupiscentiam carnis, et vivat sobrie et caste, per secundum superbiam vitae et vivat pie, per tertium coucupiscentiam oculorum, et vivat iuste in hoc seculo. Quare omnes mortificationes, quas homo compunctus sibi infert, sunt de poenitentia interiore, tanquam fructus eius, sive sint vigiliae, labores, inopiae, studia, orationes, fuga sexus ac deliciarum, in quantum promovent spiritum.

Secundo, sic ipsemet egit Dominus, et omnes sancti eius cum eo. Sic denique praecepit *): Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera. Nam sine dubio opera bona foris sunt fructus poenitentiae et spiritus, cum spiritus non faciat nisi vocem turturis, id est, gemitum cordis, radicem operum bonorum.

Adversus has tres meas conclusiones quidam **) indignatus, et sub pelle leonis incedens posuit deblaterans errorem esse, si quis verbum illud, poenitentia, negaverit etiam de sacramento poenitentiae intelligi. Primum, non est propositum meum singulas eius positiones confutare, quae sunt adeo insulse et indocte compositae, ut mihi impossibile sit creditu, eas fuisse intellectas, tam ab eo, cuius titulo vulgantur, quam ab eo, qui eas conflavit, quod et cuique mediocriter ingenioso et in scripturis

---

*) Matth. 5. **) In quendam blateronem, Johann. Tetzel.

erudito facile patet. Tamen ut et eis ipsis suam inscitiam ostendam (si capaces esse poterunt), hanc primam diiudicabo.

Admitto sub nomine poenitentiae posse intelligi etiam Iudae poenitentiam, etiam Dei poenitentiam, etiam pictam, et (ut logici solent) materialiter et secundo intentionaliter sumptam poenitentiam, ideo et sacramentum (id est, satisfactionem). Aut[1] quis negat hucusque theologis quibusdam non paucis licuisse, totam ferme scripturam corrumpere audacibus suis distinctionibus et amphibologiis nuper confictis, adeo ut pro Paulo et Christo Paulocentonas et Christocentonas legamus? Ego de germana et propria verbi locutus sum significatione, quam Christus in eo verbo voluit, aut saltem, quam Johannes Baptista voluit, qui non habuit autoritatem instituendi sacramenti, et tamen venit praedicans baptismum poenitentiae dicens: Poenitentiam agite. Quod verbum Christus repetiit, ac si non de sacramento locutus satis credo intelligitur, tamen esto illorum somnium verum, videamus quid sequatur.

Christus sine dubio legislator divinus est, et doctrina eius ius est divinum, id est, quod nulla potestas mutare aut dispensare potest. At si poenitentia in eo loco a Christo docta significat poenitentiam sacramentalem (id est, satisfactionem) et hanc potest papa mutare, et de facto mutat pro arbitrio suo, ergo vel papa habet in arbitrio ius divinum, vel est in Deum suum impiissimus adversarius, irritum faciens mandatum Dei. Quod si hoc audent asserere ii[2], qui ad laudem Dei et defensionem catholicae fidei, et sanctae sedis apostolicae honorem, et pro veritate revelanda et erroribus supprimendis gloriantur sese disputare, denique si sic honorant ecclesiam tuenturque fidem, qui terrifico et immaniter (pene dixissem inaniter) iactato titulo haereticae pravitatis inquisitores volunt videri, quid, quaeso, relictum est vel insanissimis haereticis,

---

1) In ed. Jen.: At. 2) Ibid.: hi.

quo et ipsi papam et sedem apostolicam blasphement et criminentur? Hos ego non inquisitores, sed insitores haereticae pravitatis libera voce pronunciarem. Tales et tam prudenter positae sunt fere omnes conclusiones, quas amplissima illa et innocentissima papyrus passim circumfert, subiecta vanitati non volens. Quas si omnes vellem confutare, grandi volumine opus foret, et totum pene chaos Quarti Sententiarum evolvendum cum suis scribentibus, sed tu, lector, esto liber et candidus, quo possis ex hac una discere omnes.

Conclusio IV.

Manet itaque poena, donec manet odium sui (id est, poenitentia vera intus), scilicet usque ad introitum regni coelorum.

Et hanc assero et ostendo.

Primo, certa sequela tanquam corollarium sequitur ex dictis, quia si omnis vita est poenitentia et crux Christi, non solum in voluntariis afflictionibus, sed etiam in tentationibus diaboli, mundi et carnis, quin etiam in persecutionibus et passionibus, ut ex praedictis, ex scriptura tota, ex ipsiusmet Sancti sanctorum, et omnium martyrum exemplis patet, certum est, quod crux illa usque ad mortem, et sic ad introitum regni durat.

Secundo, illud patet etiam in aliis sanctis. S. Augustinus Psal. 7 poenitentiales sibi fecit scribi, et eos cum lacrimis orabat, et meditabatur dicens: Etiamsi episcopus quicunque iuste vixerit, non debere tamen sine poenitentia de hoc mundo eum discedere. Ita et B. Bernardus agonizans clamavit: Perdite vixi, quia tempus perdidi, nihil habeo, nisi quod scio, quia cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Tertio, ratione tam diu crux illa poenitentiae debet durare, donec secundum apostolum destruatur corpus peccati, et pereat vetustas primi Adae cum sua imagine et perficiatur novus Adam ad imaginem Dei. Sed peccatum manet usque ad mortem, licet

quotidie minuatur per renovationem mentis de die in diem.

Quarto, saltem poena mortis manet in omnibus, timor etiam mortis, certe poena omnium poenarum, et ipsa gravior morte, in plurimis, ut taceam de timore iudicii et inferni, de tremore conscientiae etc.

Conclusio V.

Papa non vult, nec potest remittere ullas poenas praeter eas, quas vel suo, vel canonum arbitrio imposuit.

Hanc disputo, et doceri humiliter peto, et ut in praefatione rogavi, ita adhuc rogo, manum porrigat qui potest, et mea motiva attendat. Primo colligamus genera poenarum, quas fideles possunt pati.

Prima est aeterna, gehenna damnatorum, de qua nihil ad propositum. Certum est enim, quod haec nec in summi nec infimi pontificis potestate est, ut omnes in tota ecclesia tenent, quam solus Deus per remissionem culpae remittit.

Secunda est purgatorii, de qua infra videbimus in sua conclusione, interim accipimus non esse eam in potestate pontificis, aut ullius hominis.

Tertia ipsa voluntaria et evangelica, de qua supra dictum est, quod eam operetur poenitentia spiritualis, secundum illud 1. Cor. 11: Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur a Domino. Haec est crux illa et mortificatio passionum, ut supra conclus. III. Cum autem haec sit praecepta a Christo, et de essentia poenitentiae spiritualis, ac omnino de necessitate salutis, nullo modo est in potestate ullius sacerdotis, neque ut augeat, neque ut minuat. Non enim ex arbitrio pendet hominis, sed ex gratia et spiritu. Imo haec poena minus est in potestate papae, quam omnes aliae poenae, cuiuscunque nominis sunt. Siquidem aeternam, purgatoriam, afflictivam saltem oratione potest tollere apud Deum, sicut potest gratiam iustificantem impe-

trare peccatori, hanc autem non potest tollere, nec oratione quidem. Quin potius eam debet impetrare peccatori et imponere, id est, impositam nunciare non minus quam gratiam impetrat, alioquin evacuaret crucem Christi, et reliquias Cananaeorum copularet filiis et filiabus suis, et hostes Dei (id est, peccata) non occideret ad internecionem, nisi videret aliquos nimio fervore plus sese affligere, quam expediret eorum saluti et aliorum necessitati. Tunc non solum remittere, sed prohibere debet, sicut S. Paulus Timotheo dicit: Noli adhuc aquam bibere.

Quarta est castigatoria et flagellatio Dei, de qua Psal. 89: Si autem peccaverint filii eius, et legem meam non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus hominum peccata eorum. Hanc poenam extra manum esse pontificum, quis dubitat? Quandoquidem sese innocentibus eam dicit imponere, Jere. 49: Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes. Et eiusdem 25: Ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere, et vos quasi innocentes eritis? non eritis innocentes. Inde S. Petrus 1. Pet. 4: Nunc tempus inchoandi iudicium a domo Dei, quod si primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt evangelio? Apoc. 3: Ego quos amo, castigo, et Ebrae. 12: Flagellat autem omnem filium quem recipit. Quod si summus pontifex hanc remittere vellet, aut peccator remitti crederet, certe futurum est, ut adulterini et spurii fierent, ut Ebrae. 12: Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis. Hanc enim Johannes Baptista et sanctissimi pertulerunt.

Admitterem tamen per orationes ecclesiae posse tales aliquas pro infirmis tolli, scilicet morbos, aegritudines, pestes, febres, sicut B. Jacobus docuit presbyteros ecclesiae induci et ungi infirmum, ut Dominus eum alleviet infirmum propter orationem fidei. Et quid moror? quasi ulli Christiano dubium

sit, flagella Dei non potestate clavium, sed lacrimis et oratione tantummodo posse tolli, et magis per impositionem aliarum poenarum, quam per remissionem. Sicut Ninivitae per poenitentias suas humiliter sese affligentes meruerunt avertere flagellum subversionis eis intentatum. Alioqui si sacerdos ecclesiae sive summus sive infimus potest hanc poenam potestate clavium solvere, pellat ergo pestes, bella, seditiones, terrae motus, incendia, caedes, latrocinia, item Turcas et Tartaros, aliosque infideles, quos esse flagella et virgam Dei nemo nisi parum Christianus ignorat. Dicit enim Esa. 10: Vae Assur, virga furoris mei et baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Licet plurimi nunc et iidem magni in ecclesia nihil aliud somnient quam bella adversus Turcam, scilicet non contra iniquitates, sed contra virgam iniquitatis bellaturi, Deoque repugnaturi, qui per eam virgam sese visitare dicit iniquitates nostras, eo quod nos non visitamus eas.

Quinta est canonica poena, scilicet ab ecclesia constituta. Hanc esse plenario iure in manu summi Pontificis, non est dubium, sic tamen, ut subsit (ut aiunt) iusta causa remissionis earum, et clavis non erret. Verum ego (mea temeritate) illam iustam causam non ita rigide acciperem, ut multi solent. Sufficere enim videtur pia voluntas pontificis, atque haec satis iusta sit causa. Nec video quomodo in hac remissione error clavis contingat, aut si contingit, quid noceat, cum nihilominus salva sit anima, etiamsi poenae eiusmodi per errorem non remitterentur.

Illud magis advertendum, quod summus pontifex in remissione plenaria nec omnes canonicas poenas remittit, quod patet, quia non remittit ingressionem seu intrusionem quorundam in monasterium, quae tamen poena non incelebris est in canonibus, sed nec civiles seu potius criminales poenas a iure civili inflictas, licet id legati faciunt alicubi, ubi personaliter sunt praesentes. Videtur ergo solum eas remittere, quae de ieiuniis, oratio-

nibus, eleemosynis, aliisque laboribus et disciplinis impositae sunt, aliae ad septennium, aliae minus, aliae plus. Et in ista poena comprehendo etiam, quam arbitrio suo imponit sacerdos ecclesiae. Nunc itaque vide, et doce me, qui potes. Quatuor priores non potest remittere, quam aliam remittit, nisi canonicam et arbitrariam?

Iterum hic Leonte*) illa mihi oggannit, remitti, quae a iustitia divina exigitur, vel in purgatorio est luenda. Cui et ego respondeo, impiissimum esse sentire, quod papa habeat potestatem mutandi ius divinum, et id relaxare, quod iustitia divina inflixit. Non enim dicit: Quodcunque ego ligavero, tu solves, sed quod tu solves, solutum erit. Non autem omnia ligata solves, sed a te ligata duntaxat, non a me ligata. Illi vero sic intelligunt: Quodcunque solveris sive in coelo, sive in terra, solutum erit, cum Christus in terra addiderit, dedita opera restringens clavem ad terram, futurum sciens, quod perforaturi alioquin essent omnes coelos.

Sexta est, quam volo fingere, donec aliter erudiar, quam illi dicunt secundum iustitiam divinam requiri, ut satisfiat iustitiae divinae**). Haec autem si est alia a tertia et quinta (sicut oportet, si debet sexta esse), non potest vel imaginari, nisi quod ubi tertia et quinta non essent satis, tunc ipsa imponeretur, scilicet plus orationis, ieiunii, eleemosynae. Ac sic[1]) solo intentionis gradu distaret a quinta vel tertia, non enim potest intelligi poena civilis, quia hanc (ut dixi) non remittit, alioquin literae indulgentiarum tollerent omnia patibula et carnificinas per ecclesiam. Sed nec potest intelligi poena canonica per iudicium contentiosi fori de facto imposita, quia non remittit excommunicationes, interdicta, aut ullas censuras ecclesiasticas inflictas, ut

---

1) In ed. princ. : si.

*) Adversario respondet, quem Leontem vocat, hoc est, pellem leonis, quae graece λεοντῇ dicitur. Nota est de asino fabula. **) Satisfactoria iustitiae divinae, et haec est a recentioribus reperta.

patet satis ad experientiam. Restat ergo, quam modo fingere me dixi.

Sed quod illa nulla sit, ita mihi ipsi persuadeo. Primo, quod nulla autoritate scripturae, doctorum, canonum, ratione probabili potest doceri, talem esse aliquam poenam, et vehementer absurdum est in ecclesia aliquid docere, cuius nec in scriptura, nec doctoribus, neque canonibus, neque saltem rationibus potest causa dari.

Secundo, quod si etiam esset talis poena aliqua, non tamen ad remissionem papae pertineret, cum sit voluntaria et ultra canones imposita, imo non imposita, sed sponte suscepta, quia est alia ab iis, quae imponuntur, ut supra dictum in poena quinta.

Quod si diceres: Quomodo tunc satisfieret iustitiae divinae, si quo modo canonicae vel sacerdotales non essent satis? Respondeo: Abunde satis fit per tertiam et quartam, secundum mensuram, quam novit Deus. Neque enim legitur uspiam Deus aliquam requisivisse, nisi tertiam aliquando et quartam, ut in David et filiis Israel in lib. Iudicum et Regum. Sed fere semper contentus est corde contrito et poena tertii generis, et hinc ego miror quorundam negligentiam, qui, ut satisfactionem astruant, dicunt, Christum absolvisse adulteram illam in evangelio sine satisfactione, Mariam vero Magdalenam non sine satisfactione. Et ideo in Maria, non in adultera imitandum esse Dominum, ut sine satisfactione nulli remittatur peccatum. Nam nec leprosos mundavit, nisi imposito, ut satisfacerent legi, et ostenderent se sacerdoti. Haec ergo est illa poena, quam iustitia divina requirit ultra iam dictas.

Sed respondeo: Ista adultera*) (meo iudicio) plus poenarum tulit, quam Maria Magdalena, et magis satisfecit, nempe iam mortem patiebatur, non aliud videns, nisi durissimum iudicium. Ideo mire cruciabatur, et dolebat longe plus quam Maria, cui

*) Iohan. 8.

iudicium mortis non imminebat. Ideo de quarta specie et tertia fuit eius poena, quia flagellum mortis tulit in corde contrito, Maria vero Magdalena in tertia specie poenas luebat, neque potest doceri aliam fuisse eius poenam, ut patet. De leprosis vero dico, quod non ad satisfactionem ostendere se iussi sunt, sed ad testimonium. Non enim erat lepra peccatum, sed significabat peccatum, ostensio autem peccati non est satisfactio, sed iudicium quaerit sacerdotis, ut haec nota sunt satis.

Secundo, probo conclusionem sic: Illae duae potestates ligandi et solvendi sunt aequales et super eandem materiam. Sed summus pontifex nullam habet ligare et imponere poenam praeter canonicam seu quintam, ergo nec ullam solvere et tollere. Aut dicendum, duas illas potestates esse inaequalis latitudinis. Quod si hoc dicitur, nemo tenetur credere, quia nullis scripturis canonibusque probatur, cum sit clarus textus, ubi Christus ligare super terram et solvere super terram dedit, aequaliter utramque mensurando et extendendo.

Tertio, extra de poe. et re. lib. 5. c.: Quod autem, expresse dicit, remissiones eis non valere, quae non fuerint ab eorum iudice factae, cum nullus ligari aut solvi possit a non suo iudice. Sed certum est, quod homo non est sub iurisdictione papae in I. II. III. IV. VI. poenis, sed tantummodo in V, ut clare patet, et magis infra patebit.

Coroll. sequitur.

Quod satisfactio sacramentalis non dicitur, quia pro culpa satisfacit simpliciter (quia pro culpa satisfacit tertia et quarta poena) sed quia pro culpa secundum statuta ecclesiae satisfacit. Maxime enim Deo satisfit per novam vitam etc. *).

Sed per scripturas quoque probandum est, non requiri aliquam satisfactionem pro peccatis. Hic

---

*) Nova vita optima satisfactio.

adest Iohannes Baptista, qui in hoc missus secundum propositum atque decretum Dei, ut poenitentiam praedicaret, qui et dixit: Poenitentiam agite, et iterum: Agite itaque dignos fructus poenitentiae. Quae verba ipse exposuit, cum interrogantibus turbis, quid facerent? respondit*): Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui escas habet, similiter faciat. Nonne vides, quod pro poenitentia non nisi observantiam praeceptorum Dei imposuit, atque ideo poenitentiam non nisi conversionem et mutationem novae vitae intelligi voluit?

Sed clarius**): Ecce venerunt publicani, et dixerunt: Magister, quid faciemus? At ille dixit: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. Nunquid hic dixit: Oportet vos satisfacere pro praeteritis peccatis? Item militibus dixit: Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris. Nunquid hic aliud, quam praecepta Dei communia imposuit? Quod si hic poenitentiae doctor a Deo in hoc ipsum institutus non docuit nos satisfactionem, nimirum fefellit nos, nec satis docuit poenitentiae officium.

Secundus Ezechiel 18: Si conversus fuerit impius ab impietate sua, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, non morietur. Ecce nil nisi iudicium et iustitiam imponit, quae tota vita facienda sunt, iuxta illud: Beati qui faciunt iudicium et iustitiam in omni tempore. Etiam hic ergo nos fefellit?

Tertius Micheas 6: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te, utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et ambulare sollicitum cum Deo tuo. Vides quid requirat ab homine Deus pro satisfactione, denique praemittens irridet eos, qui per opera satisfacere volunt, dicens: Quid dignum offeram Domino? Nunquid ei offeram holocaustomata, et vitulos anniculos? Nunquid placari potest in milibus arietum, aut

---

*) Lucae 3. **) Luc. 3.

in multis milibus hircorum? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animae meae? q. d.[1]): Non, quia Deus pro peccato nulla talia requirit, sed iudicium et misericordiam et timorem, ut dictum est, id est, novam vitam.

Conclusio VI.

Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando et approbando remissam a Deo, aut certe remittendo casus reservatos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

Prima pars est tam manifesta, ut etiam confessi sint quidam esse impropriam orationem, quando papa dat remissionem culpae, alii vero, se non intelligere. Omnes enim confitentur a solo Deo remitti culpam, secundum illud Esa. 43: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor, et Iohan 1: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, et Psalm 130[2]): Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, et infra: Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio, et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius, et Ps. 51[2]): Cor mundum crea in me Deus etc. Multa alia in scripturis. Et beatus Augustinus contra Donatistas tam frequentibus operibus nihil aliud agit, quam quod a solo Deo remittuntur peccata.

Secunda pars similiter satis patet: quia qui contemneret casus reservatos, certe non remitteretur ei ulla culpa. Qui vos spernit, inquit, me spernit, imo nullus venit remissa culpa a Deo, nisi simul secum portet reverentiam clavium.

Hanc conclusionem quia omnes veram concedunt, non est necesse, ut mea assertione firmetur. Hic tamen signabo, quae me movent, et iterum

---

1) In ed. Jen. deest: q. d. 2) In ed. princ.: 129. 50.

confitebor ignorantiam meam, si quis dignetur me erudire, et hanc rem planius elucidare. Primo circa primam partem videtur esse ista oratio vel sententia impropria, et evangelico textui incongrua, quando dicitur summum pontificem solvere (id est, declarare solutum) culpam, seu approbare. Textus enim non dicit: Quodcunque ego solvero in coelis, tu solves super terram, sed contra: Quodcunque tu solveris super terram, ego solvam, seu solutum erit in coelis. Ubi magis intelligitur Deus approbare solutionem sacerdotis, quam e contra.

Secundo circa secundam partem certum est, quod quos casus solvit papa, eosdem solvit et Deus, nec potest quis Deo reconciliari, nisi reconcilietur prius ecclesiae, saltem voto. Nec offensa Dei tollitur, manente offensa ecclesiae. Sed quaeritur: Utrum reconciliatus ecclesiae mox sit etiam reconciliatus Deo? Textus certe habet, quod omnia soluta in ecclesia sint et in coelo soluta, sed non videtur hinc sequi, quod ideo omnia sint simpliciter soluta in coelo, sed ea duntaxat, quaecunque in ecclesia sunt soluta. Nec sunt parvi ponderis hae duae quaestiones meo iudicio, de quibus forte in conclusione sequenti meum iudicium latius aperiam.

Conclusio VII.

Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subiiciat in omnibus humiliatum sacerdoti suo vicario.

Hanc assero, nec eget disputatiene aut probatione, tanto omnium consensu approbata. Sed in eius intelligentia adhuc laboro. Et ut meum sensum stultus primo dicam, quia ista cum sua praecedente conclusione id asserunt, quod Deus non remittat culpam, nisi sit prior remissio sacerdotis (saltem in voto), sicut clare textus sonat: Quodcunque ligaveris etc. Et illud Matth. 5: Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Et illud*): Reddite Caesari, quae sunt

*) Matth. 22.

Caesaris, et quae sunt Dei, Deo. Et oratio Dominica: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. In quibus omnibus omnino prior remissio in terra significatur, quam ea, quae est in coelis. Merito quaeritur: Quomodo ante gratiam infusam (id est, ante remissionem Dei) haec fieri possint? cum sine gratia Dei primo remittente culpam nec votum remissionis quaerendae habere possit homo.

Hic ita dico et sapio. Quando Deus incipit hominem iustificare, prius eum damnat, et quem vult aedificare, destruit, quem vult sanare, percutit, quem vivificare, occidit. Sicut 1 Sam. 2 [1]) et Deut. 32 dicit: Ego occidam et vivificabo etc. Hoc autem facit, quando hominem conterit, et in sui suorumque peccatorum cognitionem humiliat ac tremefacit, ut dicat miser peccator *): Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, non est sanitas in carne mea a facie irae tuae. Sic enim montes fluunt a facie Domini, sic mittit sagittas suas, et conturbat eos, ab increpatione tua, Domine, et ab inspiratione spiritus irae tuae. Sic convertuntur peccatores in infernum, et implentur facies eorum ignominia. Quam conturbationem et quassationem saepius expertus David multis eam in diversis Psalmis confitetur gemitibus.

In ista autem conturbatione incipit salus, quia initium sapientiae timor Domini. Hic Dominus (ut ait Nahum **) mundans neminem facit innocentem, et in tempestate et turbine viae eius, et nebulae pulvis pedum eius, hic allucent fulgura eius, videt et movetur terra. Hic sagittae eius transeunt et infiguntur, et vox tonitrui eius volvitur, id est, rotatur, vident aquae et timent. Hic denique operatur opus alienum Deus, ut operetur opus suum. Haec est vera contritio cordis, et humiliatio spiritus gratissimum Deo sacrificium. Hic est mactata

---

1) In ed. princ.: Reg.
*) Psalm 38. **) Nahum 1.

victima in membra conscissa, et pelle detracta in holocaustum incensa. Et hic infunditur (ut vocant) gratia, sicut ait Esa. 41: Persequetur eos, transibit in pace, et 66: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum et humilem, trementem sermones meos? Et Ezechias Esa. 38: Domine, si sic vivitur, et talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me.

Verum tunc adeo ignorat homo sui iustificationem, ut sese proximum putet damnationi. Nec infusionem gratiae, sed effusionem irae Dei super se hanc putet esse. Beatus tamen, si suffert hanc tentationem, quoniam cum se consumptum putaverit, orietur sicut lucifer.

Stante autem hac misera conscientiae suae confusione non habet pacem, neque consolationem, nisi ad potestatem ecclesiae confugiat, suisque peccatis et miseriis per confessionem detectis postulet solatium et remedium, neque enim suo consilio vel auxilio sese poterit pacare, imo absorberetur[1] tandem tristitia in desperationem. Hic sacerdos talem videns humilitatem et compunctionem de fiducia potestatis sibi ad faciendam[2] misericordiam traditae plenissime praesumat et solvat, solutumque pronunciet, ac sic pacem ei conscientiae donet.

Absolvendus vero omni studio caveat, ne dubitet*) sibi remissa esse apud Deum peccata sua, sitque quietus in corde. Nam etsi prae suae conscientiae confusione sit incertus (sicut regulariter oportet fieri, si compunctio vera est), tamen stare tenetur alterius iudicio, non propter ipsum Praelatum aut potestatem eius ullo modo, sed propter verbum Christi, qui mentiri non potest, dicendo: Quodcunque solveris super terram. Fides enim huius verbi faciet pacem conscientiae, dum iuxta illud sacerdos solverit. Qui vero pacem alia via quaerit, utputa experientia intus, hic certe Deum videtur

1) In ed. Jen.: absorbetur. 2) Ibid.: faciendum.
*) Usus privatae absolutionis.

tentare, et pacem in[1]) re, non in fide velle habere. Tantum enim habebis pacis, quantum credideris verbo promittentis: Quodcunque solveris etc. Pax enim nostra Christus est, sed in fide. Quod si quis huic verbo non credit, etiamsi plus[2]) millies absolvatur a papa ipso, et toti mundo confiteatur, nunquam erit quietus.

Haec igitur est illa dulcissima potestas, de qua summas gratias ex imo cordis agere debemus Deo, qui talem dedit potestatem hominibus*), quae est unica consolatio peccatorum et infelicium conscientiarum, si modo Christum vera promisisse credant.

Ex istis nunc patet, quod supra quaerebatur, scilicet, quod licet remissio culpae fiat per infusionem gratiae ante remissionem sacerdotis, talis tamen est infusio gratiae, et ita sub forma irae abscondita (siquidem vestigia eius non cognoscuntur, Psalm 77, et semita in pedibus eius non apparet, Isa. 41), ut homo incertior sit de gratia, cum fuerit ipsa praesens, quam cum est absens. Ideo ordine generali non est nobis certa remissio culpae, nisi per iudicium sacerdotis, nec per ipsum quidem, nisi credas Christo promittenti: Quodcunque solveris etc. Donec autem nobis incerta est, nec remissio quidem est, dum nondum nobis remissio est, imo periret homo peius, nisi fieret certa, quia non crederet sibi remissionem factam.

Sic Christus de Maria Magdalena ad Simonem leprosum dixit: Remittuntur ei peccata**), quo utique significavit gratiam ei iam infusam. Sed hanc infusionem ipsa non cognovit, nondum erat pax ossibus suis a facie peccatorum suorum***), donec ad eam conversus diceret: Remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te salvam fecit (scilicet, qua credidit remittenti). Ideo sequitur, Vade in pace.

Et adulterae illi †) iam remissa erant peccata,

---

1) In ed. Jen. deest: in. 2) Ibid.: millies.
*) Matth. 9. **) Luc. 7. ***) Psal. 38 †) Iohan. 8.

antequam Christus se erigeret. At non illa hoc cognovit, cum tot starent circum eam accusatores, donec audiret vocem sponsi dicentis: Nemo te condemnavit, mulier? nec ego te condemnabo.

Et David*) certe, cum peccasset et a propheta Natan fuisset reprehensus ex mandato Dei, mortuus fuisset subito, quando operante in eo gratia iustificationis exclamavit: Peccavi (haec est enim vox iustorum, se ipsos primo accusantium), nisi statim velut absolvens Natan dixisset: Dominus quoque abstulit peccatum tuum, non morieris. Quare enim addidit: Non morieris, nisi quia videbat eum terrore peccati sui conquassari et deficere?

Et Ezechias**) quoque audito, quod moreretur, fuisset mortuus, nisi rursus ab Esaia consolationem accepisset, et signum intrandi templum, cui credens simul et pacem peccatorumque remissionem obtinuit, sicut ait: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Et omnino in veteri Testamento, quomodo fiducia eorum de misericordia Dei ac remissione peccatorum potuisset consistere, nisi Deus nunc apparitionibus, nunc inspirationibus, nunc oblationum incensionibus, nunc nebulae ostensionibus, et aliis signis ostendisset, sese gratum habere, quicquid operarentur? quod nunc vult fieri verbo et iudicio sacerdotum.

Igitur remissio Dei gratiam operatur, sed remissio sacerdotis pacem, quae et ipsa est gratia et donum Dei, quia fides remissionis et gratiae praesentis. Et hanc meo sensu dicerem esse eam, quam nostri doctores dicunt per sacramenta ecclesiae efficaciter conferri. Non autem ipsam primam iustificantem, quam ante sacramentum oportet adesse in adultis, sed ut Roma. 1 dicitur: Fides in fidem, oportet enim accedentem credere. At baptisatum oportet etiam credere, se recte credidisse et accessisse, aut pacem nunquam habebit, quae non nisi

---

*) 2 Sam. 12. **) Esai. 38.

ex fide habetur. Non ergo prius solvit Petrus quam Christus, sed declarat et ostendit solutionem, cui qui crediderit cum fiducia, vere obtinuit pacem et remissionem apud deum (id est, certus fit, se esse absolutum) non rei, sed fidei certitudine, propter infallibilem misericorditer promittentis sermonem: Quodcunque solveris etc. Sic. Ro. 5: Iustificati gratis per gratiam ipsius pacem habemus ad Deum per fidem, non utique per rem etc.

Quae si recte et vere sapio, non est falsum neque improprium (ut illi volunt) dicere quod papa remittat culpam; imo remissio culpae est incomparabiliter melior, quam remissio quarumcunque poenarum. Licet hanc ita solam praedicent, ut remissionem culpae fecerint nullam esse in ecclesia, cum contra potius sit, ubi enim homo per remissionem culpae (quam sibi ipsi dare nequit, cum nemo sibi ipsi credere debeat, nisi qui malit ex una turbatione duas facere) per fidem absolutionis acceptam pacatus fuerit, omnis poena ei nulla poena est. Conscientiae enim confusio facit molestam poenam, iucunditas vero conscientiae optabilem facit poenam.

Et hanc intelligentiam in populo de potestate clavium videmus abundare, qui simplici fide quaerunt et accipiunt absolutionem. Doctiores vero quidam suis nituntur sese contritionibus et operibus atque confessionibus facere quietos, et nihil aliud agunt, quam quod de inquietudine in inquietudinem eunt, quia in se et sua confidunt, cum, si sentirent conscientiae malum, deberent Christo credere dicenti: Quodcunque solveris etc.

Ad hoc autem conscientiae malum theologi recentiores nimis feliciter cooperantur, dum sacramentum poenitentiae sic tractant et docent, ut populus discat per suas contritiones et satisfactiones confidere se peccata sua posse delere. Quae vanissima praesumptio nihil aliud potest efficere, quam ut cum haemorrhoissa evangelica *) ac [1]) consumpta

*) Marc. 5.
1) In ed. Jen. deest: ac.

in medicos tota substantia peius et peius habeant.

Fides primo in Christum, gratuitum remissionis largitorem, docenda erat, et desperatio propriae contritionis et satisfactionis persuadenda, ut sic fiducia et gaudio cordis, de misericordia Christi firmati, tandem hilariter odirent peccatum, et contererentur [1]), et satisfacerent.

Nec iuristae eiusdem carnificinae segnes sunt autores, qui, dum nimio studio extollunt potestatem papae, plus fecerunt aestimari et mirari potestatem papae, quam verbum Christi honorari fide, cum docendi sint homines, ut non in potestatem papae, sed in verbum Christi papae promittentis confidere discant, si modo velint esse pacati in conscientiis suis. Non enim, quia papa dat, aliquid habes, sed si credideris te accipere, habes, tantum habes, quantum credis, propter promissionem Christi.

Nisi autem potestas clavium sic valeret ad pacem cordis et remissionem culpae, tum vere (ut aiunt quidam) vilificarentur indulgentiae. Quid enim magni confertur, si remissio poenarum confertur, cum Christianorum sit etiam mortem contemnere.

Item cur dixit Christus *): Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, nisi quod non sunt remissa ulli, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti? Ideo in verbo: Quorum remiseritis peccata, confertur potestas, sed in verbo: Remittuntur eis, provocatur peccator ad fidem remissionis. Sicut et in verbo: Quodcunque solveris, potestas datur. In verbo: Soluta erunt, fides nostra excitatur. Poterat enim dicere: Quorum remiseritis poenas vel vindictas, si voluisset id intelligere, sed scivit, quod conscientia iam iustificata per gratiam sua trepiditate evomeret gratiam, nisi succurreretur ei per fidem de gratiae praesentia ministerio sacerdotis, imo pec-

---

1) In ed. princ.: contemnerentur.
*) Johan. 20.

catum maneret, nisi remissum crederet. Non etiam sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissam. Et hoc est testimonium, quod reddit spiritus Dei spiritui nostro, quod sumus filii Dei, quia esse filium Dei est tam absconditum (cum appareat sibi esse hostis Dei), ut, nisi credatur ita esse, non possit esse. Sic enim mirificat Dominus sanctos suos, quod nemo sustineret manum iustificantis et medentis, nisi credat eum iustificare et mederi. Sicut medicus corporis incidens infirmum non creditur id studio medendi facere ab infirmo, nisi boni amici persuadeant ei.

Sive ergo sacerdos sit causa sine qua non, sive alia remissionis peccatorum, non curo, dum verum esse aliquo modo constet, sacerdotem remittere peccata et culpam. Sicut amicis infirmi vere imputatur sanitas, dum sua suadela effecerunt, ut crederet infirmus caedenti medico.

Nec hic oportet cogitare, quid si sacerdos erraret? quia non in sacerdote, sed in verbo Christi nititur remissio illa. Ideo sive sacerdos id faciat lucri vel honoris causa, tu modo optes remissionem sine fictione, et credas promittenti Christo, imo etiamsi ex levitate absolveret, adhuc obtineres pacem ex fide tua, sicut baptismum seu eucharistiam dat, sive ille lucrum quaerat, sive levis ac ludens sit, tua fides plenum accipit, tanta res est verbum Christi, et fides eius.

Nam legimus inter gesta martyrum quendam Mimum ioco, imo illudendo baptismum, baptizari[1]) voluisse, et inter baptizandum conversum, vere baptizatum a suis collusoribus gentilibus, et statim martyrio ab eisdem coronatum.

Item S. Athanasius puer pueros baptizavit, quos episcopus Alexandriae postea baptizatos iudicavit, ut in Eccle. histo. [2]). Et B. Cyprianus pacem a quodam episcopo Therapio datam praepropere reprehendit quidem, sed ratam esse voluit. Igitur

---

1) In ed. princ. semper scriptum legitur: baptisari etc.
2) In ed. Jen. additum est: lib. 10. cap. 14.

fide iustificamur, fide et pacificamur, non operibus, neque poenitentiis, aut confessionibus.

Circa hanc sextam et septimam conclusionem Leonte illa nostra cum gloria triumphat, imo de me cantat encomium ante victoriam. Et ex sentina illa opinionum aliam distinguit poenam satisfactivam, et vindicativam, aliam medicativam et curativam, quasi necesse sit, haec vel somniantibus credere, quamquam coram populo hanc distinctionem prudentissime celant, ne vilescant indulgentiae, vel potius lucra, si populus intelligeret tam modicas et steriles vindicativas (id est, confictas) remitti poenas.

Deinde, ut notum faceret omnibus, sese nescire, quid sit vel vetus, vel novum sacerdotium, introducit aliam verborum caliginem et distinctionem clavium, alias autoritatis, alias excellentiae, alias ministeriales. Adeo nihil noverunt etiam magistri nostri eximii, haereticae pravitatis inquisitores et catholicae fidei defensores, nisi quod ex laciniosis et praerancidis quaestionibus quarti Sententiarum suxerunt, volentes forte, quod quicquid Christus solverit clavibus excellentiae in coelo (nam in terra non solvit ipse) solutum erit in super coelo apud Deum. Rursum ut et Deus sit pontifex, alius [1]) fingendus est Deus superior, apud quem sit solutum, quicquid ipse solverit clavibus autoritatis in super coelo. Sed facessant nugae, unas novimus claves, tantum in terra traditas.

Jam quod inferunt, Ergo errat, qui dicit, sacerdotem novae legis tantum approbando et declarando solvere, hoc enim Iudaici erat sacerdotii. O acumen ingenii et pondus ingens eruditionis, dignissimi plane viri, qui inquirant haereticos et defendant catholicam fidem, sed adversus lapides et ligna. Quanto rectius apostolus Paulus sacerdotium vetus asserit constitisse in iudicandis leprosis, in iustificationibus et munditiis carnis, in cibo et potu, et vestitu, et festis diebus etc. Quibus ut figura

1) Ibid.: alias.

significatae sunt iustificationes in spiritu, et munditiae cordis, quas ministerio novi sacerdotii operatur in ecclesia Christus.

Quamquam igitur sextam conclusionem ipse non posui ex animo, ut dixi ibidem, sed quia alii sic sentiunt, tamen quia nec ipsi adversarii cum omnibus suis magistris usque hodie possunt ostendere, quomodo sacerdos remittit culpas, nisi haereticam illam, sed usitatam sententiam proferant, qua dicitur sacramenta novae legis iustificantem gratiam dare illis, qui non ponunt obicem, cum sit impossibile sacramentum conferri salubriter, nisi iam credentibus, et iustis et dignis. Oportet enim accedentem credere. Deinde non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. Ideo quicquid blaterent opiniosi sophistae, vero similius est, quod sacerdos novae legis declarat duntaxat et approbat solutionem Dei (id est, ostendit), et hac ostensione et iudicio suo quietat conscientiam peccatoris, qui eius iudicio tenetur credere, et pacem habere. Quomodo vetus [1] sacerdos quietabat eos, quos corpore vel veste mundos iudicabat, cum tamen ipse nullum posset mundare, nec se ipsum. Quod enim ille in corporibus, hoc iste in conscientiis operatur. Et sic respondet spiritus literae, et veritas figurae. Et exspecto hos catholicae fidei defensores, quomodo sine pravitate haeretica aliter possint exponere clavium virtutem.

Conclusio VIII.

Canones poenitentiales solum viventibus sunt impositi nihilque morituris secundum eosdem debet imponi.

Hanc disputo, etsi multi sunt, qui mirentur eam esse dubiam.

Primo probatur per illud Roma. 7: Lex domi-

1) In ed. Jen.: verus.

natur in homine quanto tempore vivit etc. Quod cum apostolus de lege divina interpretetur, multo magis verum est de lege humana. Unde ibidem dicit: Cum mortuus fuerit vir eius, soluta est mulier a lege viri. Multo magis ipse mortuus est solutus a lege uxoris viventis. Arguit enim a minori apostolus: Si vivus solvitur per mortem alterius, multo magis ipse mortuus, per quem solvitur vivus.

Secundo, leges canonicae sunt alligatae circumstantiis temporis, loci, personarum, sicut omnes aliae leges positivae, dist. XXIX (ut omnibus notum est), de solo enim verbo Christi dictum est: In aeternum, Domine, permanet verbum tuum, in seculum seculi veritas tua. Et iustitia eius manet in seculum seculi. Verbum autem et iustitia hominum manet ad tempus duntaxat, quare illis mutatis cessant et leges. Nisi dicendum est, quod vastata civitate adhuc ipse locus desertus teneatur ad omnia, quae prius faciebat civitas, quod est absurdum.

Tertio, si ius cogit, etiam cum viventibus dispensare, et legem mutare, quando legis conditio cessat vel in peius vergit, cum (ut [1]) Leo Papa dicit) non debet contra caritatem militare, quod pro caritate statutum est, ita certe, quod contra unitatem, pacem etc. coeperit militare. Quanto magis morituris leges sunt tollendae, cum non solum cesset ibi conditio legum, sed ipse quoque, cui et cuius conditionibus positae fuerunt.

Quarto, ex ipsis verbis legis, in quibus exprimuntur clare dies et anni, ieiunium, vigiliae, labores, peregrinationes etc. quae manifestum est esse huius vitae et per mortem cessare, ubi homo longe in aliam vitam migrat, ubi nec ieiunat, nec plorat, nec comedit, nec dormit, ut qui non habet corpus. Inde Johannes Gerson damnare audet indulgentias titulo multorum milium annorum donatas, ut mihi miraculum sit, quidnam acciderit haereticae pravitatis inquisitoribus, ut hunc vel mortuum non com-

1) Ibid. deest: ut.

busserint, qui contra morem omnium stationum urbis, tum maxime contra usum effusoris illius indulgentiarum Sixti quarti tanta fiducia pronunciat, ut etiam moneat praelatos officia sua, in his [1]) corrigendis atque providendis, fatuas et superstitiosas appellans titulationes talium indulgentiarum etc.

Quinto, respiciendo ad intentionem latoris canonum, quos certum est ne cogitasse quidem, ut eiusmodi canones imponerentur morituris. Finge enim nos interrogare pontificem tales ferentem: Quos intelligis, o Pater, in lege tua? vivos aut mortuos? Quid respondebit, nisi, imo vivos, quid enim cum mortuis agere possum, qui egressi sunt forum meum?

Sexto, crudelissime faceret sacerdos Christi, si non relaxaret fratri, sicut sibi vellet fieri, et non est causa, quare non debeat, cum sit in eius potestate.

Septimo, si canones poenitentiales manent mortuis, eadem ratione et ceteri omnes. Celebrent ergo, agant festa, et ieiunia, vigilias, dicant horas canonicas, non comedant ova, lac, carnes certis diebus, sed tantum oleum, pisces, fructus, legumina, induant vestes pullas vel candidas pro differentia dierum, et alia onera gravissima, quibus nunc premitur misera illa, olim liberrima ecclesia Christi. Nec enim ulla est ratio, quare aliqui cessent [2]) canones propter tempus, et non omnes. Quod si cessant illa, quae tamen sunt bona et meritoria ad vitam, cur non magis afflictiva illa et sterilia atque impeditiva? An hic etiam permutationem nobis fingimus, ut sicut alias poenas pro illis proportionatas patiuntur, ita et alia opera illis proportionata ibidem faciunt, ut nihilominus dicendi sint, legere horas canonicas?

Octavo, de facto infirmis corpore, etsi non sunt morituri, tolluntur canones tam poenitentiales, quam mortales. Sacerdos enim infirmus non tene-

---

1) Ibid.: officii sui, in iis. 2) In ed. Jen.: cessant.

tur orare, celebrare, deinde alii quoque nec ieiunare nec vigilare, nec a carnibus, ovis, lacte abstinere. Suntque omnia non modo libera, imo prohibita, quae prius erant sanis praecepta. Alioquin cum eos iam manus Domini tangat, diceretur eis: Quare me persequimini sicut Deus, et carnibus meis (id est, infirmitatibus) saturamini.

Arguo itaque: Canones sunt impositi non infirmis, sed sanis et valentibus, ergo multo minus mortuis, sed viventibus. Aut si morituri et mortui non sunt liberi, cur infirmi etiam non eisdem premuntur et vexantur? denique recepta sanitate non tenentur repetere omissa in infirmitate, quomodo ergo credentur post mortem repetendi aut solvendi canones.

Sed hic dicunt quidam: Quid, si quis sanus impositas poenitentias omiserit, et postea moriturus confiteatur? videtur, quod tales omnino necesse sit in purgatorio solvere, etiamsi aliae non imponendae sint, aut non imponantur? Respondeo, quod nequaquam, quia per talem omissionem nihil est factum aliud, quam quod contra praeceptum ecclesiae peccatum est, de quo dolendum est, non denuo repetendum ac implendum pro praeterito, sed pro futuro tantum. Sufficit diei malitia sua, crastinus sollicitus erit sibi. Quod si praecepti transgressio ullius esset repetenda, ut nulla maneret, maxime id in Dei praeceptis fieri deberet, sed est impossibile, ut adulterium non sit factum omissae castitatis.

Nono, quicunque maiorem poenam subit, quam sibi imposita est, huic merito et naturali iure remittuntur minores, sed moriturus subit ultimam, summam et maximam poenarum, silicet mortis. Quare praesente morte omnis alia debet tolli, cum vix ullus sufficiat huic soli poenae. Et iterum finge coram legislatore moriturum sese ad mortem offerentem, an non ille suas statim retractabit?

Decimo, illustres quidam in ecclesia doctores dicunt, quod Christianus quilibet sit ditissimus, quia per mortem voluntariam potest omnia solvere, et

statim evolare. Cum nihil sit maius voluntaria morte propter Deum suscepta, ergo frustra canones illuc reservantur. Huius sententiae sunt Vuilhel. Parh. *), Gerson, et sequitur eos non irrationabilis multitudo.

Undecimo, si mors satis poenarum non est, nisi mortuus et canones ferat, ergo canonum poena maior erit mortis poena, quippe quae ultra mortem durat, et fiet iniuria morti Christianorum, de qua dictum est**): Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Duodecimo, finge peccatorem rapi, et in ipsa confessione Christi statim subire martyrium, antequam canonibus satisfecit (ut de S. Bonifacio martyre legitur), hunc ergo remorabitur purgatorium, ne sit cum Christo? Et fiet, ut oretur pro martyre in ecclesia? At omnis voluntarie moriens (de hoc enim loquitur, id est, de Christiano) etiam pro voluntate Dei moritur.

Tertio decimo, cur non civiles quoque leges post mortem manent solvendae, cum et ipsae ligent coram Deo et in coelis, non sua virtute, sed Christi, et apostolorum Petri et Pauli ***), qui tradunt ex animo, et propter conscientiam illis subiici oportere, quia sic est voluntas Dei?

Quarto decimo, canones cessant, quando laicus poenitens mutat statum, scilicet in sacerdotium, aut sacerdos in episcopatum, aut in monachatum. Et haec cessatio fit in hac vita, et non cessat in mutatione mortis? Quid absurdius?

Quinto decimo, quod talis sententia de canonibus post mortem solvendis prorsus nullam habet autoritatem scripturae, canonum aut rationis probabilis, sed videtur sola inertia et negligentia sacerdotum introducta, sicut et multa alia superstitiosa.

Decimo sexto, ad hoc habemus exempla patrum antiquorum, et certe unus Cyprianus vel rigidissimus ecclesiasticarum censurarum et disciplina-

---

*) Vuilhelmus Parhisien. **) Psalm. 116. ***) Roma. 13. 1. Pet. 2.

rum observator, is tamen Epist. 17. lib. 3. praecipit pacem dandam iis, qui periculo mortis sunt obnoxii, ut ad Dominum cum pace veniant, facta confessione sua vel presbytero, vel diacono, ut ibidem dicit. At datio pacis illa nihil est, quam id, quod nunc remissio plenaria vocatur, ut patet intuenti.

Concludamus ergo, quod canones non nisi viventibus, nec iis nisi sanis et valentibus imponendi sunt, imo non nisi pigris, et qui sponte sua melius agere nolunt. Haec certe non tam late produxissem, si non scirem quosdam nimis tenaciter asserere contrarium, quod tamen nulla via probare possunt, nam si cum ingeniosis et eruditis vellem agere, melius tacerem, quam loquerer.

At hic dicat aliquis: Sic [1]) dicere est nimis vilificare indulgentias, si solum canonicae poenae, nec omnes tamen, nec nisi huius vitae remittuntur. Respondeo: Praestat viles fieri indulgentias, quam crucem Christi evacuari, et melius est viles habere indulgentias, quam aliquid in ecclesia docere, quod fictionis possit argui in ecclesiae confusionem. Ego sane libera fronte confiteor atque protestor, me non magnopere curare indulgentias, quoad remissionem poenarum (in qua illi sola gloriantur), sed maxime veneror, amplector, gratulor in eis, quoad remissionem culpae, secundum sensum meum supra positum, quam illi nullam esse putant [2]).

Huic octavae obiicitur pugio unus plumbeus, quod videlicet in iuribus invenitur, etiam mortuos excommunicari, ut prae ceteris testatur c. A nobis, extra de sen. excom.: Quam timebam, ne etiam inveniri dicerent poenas sensibiles, et satisfactiones infligi mortuis. At bene est, quod tantum excommunicari dixerunt mortuos, ita et absolvi mortuos, nemo est qui negat. Sed quid ista absolutio ad remissionem poenarum? Haeccine est illa subtilissima dialectica, sine qua docent non fieri theologum? forte in quinta figura tenet illa consequentia. Aliquis

1) In ed. Jen.: si. 2) Ibid.: putent.

absolvitur ab excommunicatione, ergo remittuntur ei poenae satisfactoriae? Ut quid ergo passim indulgentias profundunt, si absolutus a peccato mox etiam remissionem habet poenarum? Si autem absolutis adhuc remanet satisfactio, quomodo ergo absolutio mortuis prodest aut tollit poenam?

Igitur futilis est iste syllogismus, quod sicut excommunicatio sese extendit ad mortuos, ita et remissio poenarum. Imo ut ipsimet iuristae dicunt: Excommunicatio mortui mortuo nihil infert, sicut absolutio nihil confert, sed omnia haec nobis fiunt in terrorem, nisi quod non pro tali publice oratur. Non plus igitur ille patitur a tali excommunicatione, quam pateretur domus vel vestis, si excommunicaretur, sic rursus nihil plus iuvatur absolutione.

Sed quiescam deinceps confutare contradictiones istas garrulas, cum nihil in se contineant, quam opiniones scholasticas, nec in scripturis, nec ecclesiasticis patribus, nec canonibus fundatas. Semper enim petit principium, aut si hoc non facit, more iratarum muliercularum saltem blaterat haec verba: Errat, furit, insanit. Error, errare, in his enim verbis summam sapientiae et scientiae suae constitutam vult videri.

Conclusio IX.

Inde bene nobis facit spiritus sanctus in papa, excipiendo in suis decretis semper articulum mortis et necessitatis.

Ista conclusio magis est probatio praecedentis. Certum est enim, quod si articulos necessitatis temporalis summus pontifex vult exceptos, multo magis necessitatem aeternam, ad quam homo per mortem vadit, cum infirmus aut impeditus legitime solum temporali impotentia teneatur. Quin etiam si qua [1]) summus pontifex non excipit necessitatem, tamen excepta non minus intelligitur, cum necessitas non habeat legem, at mors necessitas necessi-

1) In ed. princ.: si quam.

tatum, et impedimentum impedimentorum omnium ultimum et maximum est.

Conclusio X.

Indocte et male faciunt sacerdotes ii, qui morituris poenitentias canonicas in purgatorium reservant.

Et hoc quoque corollarium manifestum est conclusionis 8. Et certe sunt nonnulli, qui mirantur [1], si haec fiant a sacerdotibus. At utique fiunt. Cum vero id sit plus obedientiam canonum quam obedientiam vocantis Dei ponderare, et viliora canonum opera praeferre pretio pretiosissimae mortis Christianorum, nescio si illi rectae fidei regulam teneant, qui tali imbuti sunt opinione.

Secundo id notum est, et insignibus autoribus celebre in ecclesia: Si quem Deus hominem in mediis ipsis operibus obedientiae ecclesiasticae ad ecstasin raperet vel singularem illuminationem, tenetur homo tum opus intermittere et obedientiam ecclesiae relinquere *) et Deo obsequi magis, quam hominibus. Imo dicunt in ipsis horis canonicis attentionem verborum debere omitti, contra praeceptum ecclesiae, si qua arriserit coelestis illustratio et affectio. Si ergo in iis vocationibus feriantur leges ecclesiae, quomodo non feriantur in vocatione et ecstasi tam magna, scilicet mortis? Nisi forte stultorum sequi oportet multitudinem, qui in operibus suis ceremonialibus ita haerent, ut manifestam obedientiam Dei et hominum propter illa saepius postponant, et recte sibi fecisse videantur, si illa tantum, cetera vero nunquam fecerint.

Tertio, esset sane ecclesia tum satis impia in Deum, si scilicet eum in suo foro retineret inferiori, quem Deus iam ad suum tribunal supremum vocat, aut quando patitur summus pontifex reum teneri

---

1) In ed. Jen.: mirentur.
*) Deo plus parendum, quam canonibus.

lege, iuribusque fori inferioris episcopi aut praelati, postquam vocatus est suo foro sisti? an ipse id a suis inferioribus requirit, quod ipse homo suo Deo superiori non permittit? Claudit ergo manum Dei homo, et homo non potest claudere homini? Absit. At certe si morituro imponit canones, clarum est, quod eum secundum suum forum iudicat et punit. Haec[1]) sunt itaque ferme viginti rationes, quae me moverunt (ut spero) non temere dubitare de materia illa canonicarum poenarum, cum in contrariam partem nulla sit autoritas, nec canon, nec ratio, nec universalis usus ecclesiae, sed abusus quorundam tantummodo.

Conclusio XI.

Zizania illa de mutanda poena canonica in poenam purgatorii videntur certe dormientibus episcopis seminata.

Hic rogo, nullus existimet me calumniam R. episcopis struere, quod dixerim eos dormivisse. Evangelii, non mea sunt verba, nisi quod ibi non ponitur nomen episcoporum, sed hominum *). Certum est tamen, quod per homines intelligit maiores et rectores ecclesiae, nisi per tropologiam uniuscuiusque spiritum et mentem super corpus suum acceperis. Igitur pontifices ecclesiae ista quidem non docent, quia (ut dixi) nullus canon, nullum statutum ex illis habemus, unde id possit doceri. Frustra itaque laborant quidam canonistae, dum nituntur ostendere, quales sint illi anni, dies, quadragenae in purgatorio, cum vere nulli sint, aut saltem esse non probetur, sed error inde venit, quod non advertunt, canones esse in tempore huius vitae statutos, et super terram ligantes, sicut qui mutat municipium, et iura quoque municipalia simul, quod si quid debet, prius cogitur satisfacere, quam mutare. Igitur morituris prorsus nihil est imponendum, ne-

---

1) Ibid.: hae.
*) Matth. 13.

que remittendi sunt ad purgatorium cum residuo poenitentiae (ut Gerson in aliquo loco asserit), sed magis (ut idem melius alibi sapit) ad mortem constanter et volenter pro voluntate Dei suscipiendam.

Hic videndum commentum illud et futile cavillum, quo velut puellulos terrere larvis cupiunt, dicentes: Quia sacerdos ignorat mensuram contritionis absolvendi, ideoque forte non imponit tantam satisfactionem, quantam iustitia divina requirit, quare necesse est et huic, vel proprio opere, vel indulgentiis satisfieri.

Primum vide, ut nuda sua verba pro oraculis sonent, sine ulla probatione, cum tamen Propheta *) dicat: Non faciet Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. Nec est credibile, cum Deus noster sit, qui docet nos utilia, sicut per Prophetam loquitur, non etiam hanc suae iustitiae exactionem alicubi revelarit.

Deinde nescio, an sic dicentes Deum velint usurarium aut mercatorem facere, ut qui non remittat gratis, nisi ei velut pretium reddatur satisfactio. An forte volunt, ut cum iustitia Dei tractemus de nostris peccatis, coram qua nullus iustificatur homo.

Tertio, si id ita est, cur ergo papa plenarie absolvit, cum aeque ignoret mensuram contritionis, nec ipse potest supplere contritionis imperfectionem? perfecta autem eius absolutione non eget, nec habet alterius generis potestatem, quam alius sacerdos, sed alterius quantitatis, quia ipse omnium peccata, alii aliqua remittunt, et quantam satisfactionem illi in aliquibus, tantam ipse in omnibus potest remittere, nec amplius. Alioqui monstrum esset ecclesia ex diversi generis potestate constituta.

Quarto, et ecclesia primitiva ignorabat contritionis mensuram et pondus spirituum, nihilo tamen minus remittebat plenarie peccata post peractam

---

*) Amos 3.

poenitentiam, quam satis fuisse non potuit scire, iuxta horum sententiam.

Quinto, iterum somnium procedit ex eo, quod remissionem peccatorum non super fidem et verbum miserentis Christi, sed super opus currentis hominis aedificant, quia satisfactionem[1]) plenariam dari non posse fingunt, nisi perfecte contritis, quorum nullus est in hac vita. Et tamen concedunt eam dari a papa etiam imperfecte contritis.

Sexto, si iustitia Dei aliquid requirit, iam extra manum est ecclesiae, quae nihil habet mutare, quod Deus vult aut imponit. Stat enim firma sententia: Consilium meum stabit, et voluntas mea fiet.

Eadem ratione et illud confutatur, quod alii dicunt poenas canonicas esse declaratorias poenarum a iustitia divina requisitarum. Primum illud non probatur, ergo eadem facilitate contemnitur. Si declarat, ergo impossibile est, ut relaxet ecclesia easdem, quia non imposuit, sed impositas a Deo declarat. Aut dicere cogentur, quod verbum Christi sic sit ordinandum: Quodcunque ego ligavero, tu solves.

Conclusio XII.

Olim poenae canonicae non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta verae contritionis.

Iterum probat octavam haec duodecima, quia canonicae poenae adeo sunt temporales, ut finem sui habeant ipsam absolutionem. Cum autem nullus moriturus non debeat absolvi, (ceteris paribus) patet, quod non imponendae, sed etiam impositae et imponendae, sunt potius relaxandae. Quod si mos ille priscus ecclesiae hucusque fuisset servatus, non fuisset error iste natus. Nunc vero cum absolutio praecedat poenas, factum est, ut in absolutionis iniuriam non absolutum remittant in mortem, et rem monstro faciant simillimam, dum absolvendo non absolvunt, et absolutum eadem voce ligant.

---

1) In ed. Jen.: remissionem.

Primo probatur conclusio ex ipso usu solennis poenitentiae, in canonibus descriptae, cuius vel exemplum vel reliquum vestigium adhuc agitur in homicidii poenitentia. Cur enim hic viventem absolvunt a poena, et non remittunt eum ad alias in vita agendas, qui tam rigidi sunt in morituros?

Secundo, sic B. Hieronymus scribit Fabiolam suam absolutam. Sic B. Ambrosius suum Theodosium absolvit. Denique apud nullum frequentius id legitur, quam apud gloriosum martyrem Cyprianum, lib. 3. epistolorum suarum, item in ecclesiastica et tripartita historia. Item apud Dionysium in ecclesiastica hierarchia status poenitentium et energumenorum describitur. In iis omnibus videmus non fuisse receptos tunc ad gratiam et absolutionem peccatores, nisi peracta poenitentia.

Tertio neque Christus absolvit Mariam Magdalenam et adulteram, nisi post lacrimas, unctionem et vehementissimam et humillimam afflictionem.

Quarto, sic legimus Gene. 44, Joseph fratres suos multis afflixisse tentationibus, ut exploraret, an vere essent erga se et Beniamin affecti, quo cognito revelavit se eis, et in gratiam recepit.

Conclusio XIII.

Morituri per mortem omnia solvunt, et legibus canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.

Haec concludit praedicta et satis patet. Esset enim haec res mira satis, si moriturus solvitur ab omnibus operibus, rebus, legibus, hominibus, insuper ab ipsis legibus Dei, scilicet ubi praecipitur eleemosyna, oratio, ieiunium, crux, labor, et quicquid per corpus geri potest, denique ab ipsis sanctae dilectionis (quae nunquam excidit sola) operibus erga proximum, et solae rerum sint canones, a quibus non possit solvi. Tum Christianus miserabilior erit cunctis gentibus, puta, quem etiam mortuum vexent leges vivorum, cum ipse potius talis sit ut etiam

inter mortuos esse debeat liber per Christum, in quo vivit.

Colligamus nunc tandem epilogum, ut videamus, quantis remittuntur poenae per indulgentias. Sextuplex hominum genus mihi videtur exceptum, quod non egeat indulgentiis. Primo mortui seu morituri, secundo infirmi, tertio legitime impediti, quarto qui non commiserunt crimina, quinto qui crimina, sed non publica commiserunt, sexto qui meliora operantur. Ostendamus haec et faciamus[1]) saltem verisimilia.

Primum, quod forte maxime movet, scilicet quod publicis criminibus solum necessariae sunt indulgentiae, ut sunt adulteria, homicidia, usurae, fornicationes, ebrietas[2]), rebelliones etc. Tales enim si fuerint occulti, ad canones non videntur pertinere. Primo, quod canones statuunt publicas poenitentias, nec habet ecclesia iudicare foris de occultis. Secundo, quod peccatum occultum, sicut non debet publice puniri, ita nec eget publice remitti, sed indulgentiae sunt remissiones publicae, et in facie ecclesiae fiunt, ut patet, imo sunt nonnulli, qui nonnihil distare putant inter indulgentias publicis Bullis concessas, et privatim in foro conscientiae donatas. Tertio, occultis peccatis non est offensa ecclesia, sed solummodo publicis, ideo non tenentur ad poenitentiam publicam, ut resarciant scandala, et rursum aedificent quod destruxerunt. Quarto, et nunc iurisconsulti non damnant publice criminosos, nisi fuerint iure notorii, tolerantes facto notorios. Quorum sententiam certe non reprobo, neque erronea mihi videtur, cum nulli liceat alterum iudicare, damnare, despicere, quantumlibet peccatorem, nisi potestatem habuerit iudicandi super eum, ne dicatur ei: Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Negligentia tamen caritatis reprehendenda est, tum praelatorum, tum[3]) subditorum, quod notorios facto

---

1) In ed. Jen.: ostendemus — faciemus. 2) Ibid.: ebrietates. 3) In ed. princ. deest: tum.

sinunt libere agere, nec curant, ut fiant notorii iure, secundum illud praeceptum Christi*): Dic Ecclesiae, si ecclesiam non audiret etc.

Secundo, credo omnibus patere, quod solum pro criminibus imponantur poenae canonicae, ergo indulgentiae (si sunt remissiones canonum) non nisi criminosis sunt utiles. Ideo qui communi vita agunt, quae sine peccatis venialibus non agitur, non habent opus veniis, maxime cum nec debeat institui poena venialibus, imo nec confiteri teneantur, multo minus venias redimere opus habent. Alioquin esset necesse, poenas canonicas ab omnibus omni tempore ferri, cum nemo (ut dixi) sine venialibus vivat. Atque amplius loquar, nec pro omni peccato mortali sunt veniae redimendae, quod sic ostendo: Nemo certus est, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium. Si ergo super omni mortali starent canonicae poenae, non esset tota vita fidelium, ultra crucem evangelicam, nisi etiam canonicarum poenarum carnificina. Quare et semper redimendae essent indulgentiae, atque nihil aliud agendum. Quod si hoc absurdum est, patet, indulgentias non esse nisi super peccatis a canonibus punitis. Peccata autem a canonibus puniri nulla possunt, nisi certa et publica crimina, aut si multum urgear, saltem, quae sibi certa sunt esse crimina, ut dixi de adulterio, furto, homicidio etc. id est, manifesta opera foris. Quare consensus cuiuscunque mortalis non pertinet ad canonicas poenas vel imponendas vel remittendas, ut nec verbum oris, nisi sit occasio operis futuri, ut etiam ex verbis canonum patet.

Tertio, nec sic sunt criminibus impositi canones, quin cessent, si quis melius quid operetur, ut si intret monasterium, aut se deputet servitio pauperum et hospitalis, aut pro Christo patiatur, aut pro voluntate Dei moriatur, aut simile vel maius quippiam his fecerit. In iis[1]) claret, quod canoni-

1) Ibid.: his.
*) Matth. 18.

cae poenae cessant, nec indulgentiae eis aliquid prosunt. Unde solum inertibus, frigide poenitentibus, delicatis scilicet peccatoribus, sunt impositae, ideo et solummodo duris et impatientibus indulgentiae proprie concedi videntur.

Quarto, impeditis iustissima causa, ut poenas ferre non possint, non est dubium, non impositas intelligi, ut si quis captivus esset Turcis et infidelibus, si servus alicuius Domini, cui tenetur obedire sub praecepto evangelii, aut etiam debitum reddere, servire uxori et liberis, opere manuum, et victum[1]) quaerendo. Illis enim impeditus non tenetur ea dimittere, imo tenetur[2]) ea facere et canones omittere, et Deo obedire. Quare nec remissiones illorum habet necessarias, quorum non fuit capax impositionis.

Quinto, infirmis nihil imponunt canones, sanus ergo quaeritur, et qui non sit de numero illorum, qui dicunt: Manus Domini tetigit me. His enim non impositio poenarum, sed visitatio et consolatio debetur, secundum illud Christi: Infirmus fui, et non visitastis me. Alioquin dicetur pontificibus? Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Et illud Job*): Quare me persequimini sicut Deus, ergo nec his sunt necessariae veniae.

Sexto, tandem mortuis et morituris, de quibus dictum est: Vides ergo, quam multi sint Christiani, quibus veniae non sunt necessariae, nec utiles. Sed ad conclusionem tandem revertor, ut hanc materiam aliquando finiam, et proprio eos fodiam gladio.

Constat apud ómnes in ecclesia, quod in agone et articulo mortis quilibet sacerdos papa est, ergo omnia remittit morituro. Quod si deest sacerdos, certe votum sufficit, quare absolutus est ab omnibus, quibus a papa potest absolvi, ergo indulgentiae defunctis nihil conferre[3]) videntur prorsus, cum quic-

---

1) Ibid.: victu. 2) Ibid. deest: tenetur. 3) Ibid.: conferri.

*) Job. 19.

quid solvi potest solutum sit in morte. Ex quo simul patet, quod graduum et legum differentia solum super viventes et[1]) sanos intelligitur. Igitur veniae sunt utiles manifeste criminosis, viventibus, sanis, ac validis, non impeditis, et melius agere non volentibus[2]). Hic si erro, revocet me, qui potest et scierit.

Si autem quaeras: A quibus ergo poenis rediмuntur animae, vel quas patiuntur in purgatorio, si canonicae nihil respondens patiuntur? Dico: Si id ego scirem, quid disputarem et quaererem? Ego non sum tam expertus et sciens, quid Deus faciat cum animabus separatis, ut illi copiosissimi animarum redemptores, qui omnia adeo secure pronunciant, ac si fuerit impossibile eos esse homines. Accedit ad difficultatem, quod sunt doctores, qui putent animas nihil ab igne, sed in igne tantummodo pati, ut sit ignis non tortor, sed carcer animarum. Idcirco et hic ingredior multo maxime dubiam et disputabilem materiam, et quid super iis rebus perceperim, profero.

Conclusio XIV.

Imperfecta sanitas seu caritas morituri necessario secum fert magnum timorem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

Patet per illud 1 Johan. 4: Timor non est in caritate, perfecta caritas foras mittit timorem, quia timor poenam habet. Igitur si perfecta caritas foras mittit timorem, necessarium est, ut imperfecta timorem non mittat foras, ac per hoc timor sit cum caritate imperfecta. Sed ubi est illa perfecta caritas? et (ut digrediar paululum) quis est sine timore mortis, iudicii, inferni? Nam in homine quantumcunque sancto reliquiae sunt vetustatis et peccati, et non possunt filii Israel in hoc tempore Jebusaeum, Cananaeum, et reliquas gentes penitus delere, manet

---

1) In ed. Jen. deest: et. 3) Ibid.: valentibus.

vestigium prioris Adae. Haec autem vetustas est error, concupiscentia, ira, timor, spes, desperatio, mala coscientia, horror mortis etc. Haec enim sunt veteris et carnalis hominis, minuuntur autem in novo homine, sed non exstinguuntur, donec et ipse exstinguatur per mortem, sicut ait Apostolus*): Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, ille, qui intus est, tamen renovatur de die in diem. Igitur ista mala reliquiarum vetustatis per indulgentias non tolluntur, nec per coeptam contritionem, sed incipiunt tolli, ac proficiendo magis ac magis tolluntur. Haec est sanitas spiritus, nihil aliud, quam fides seu caritas in Christo.

Isto sic posito patet conclusio satis, quia, si quispiam fuerit praeoccupatus morte, priusquam sit perfectae caritatis, quae timorem pellat, necessario cum timore et horrore moritur, donec perficiatur caritas, et foras mittat timorem illum. Hic autem timor est ipsa conscientia mala et trepida propter defectum fidei, nulla est enim formidolosa conscientia, nisi quae fide vel vacua vel imperfecta est. Sic enim et Apostolus ait**): Sanguinem Christi liberare conscientias nostras ab operibus mortuis. Et iterum Ebr. 10: Aspersi corda a conscientia mala in plenitudine fidei.

Breviter, si possum probare, quod causa horroris et timoris sit diffidentia, rursum causa securitatis sit fides, credo simul probatum esse, quod moriens in fide imperfecta necessario timet et horret. Sed diffidentiam esse causam terroris, desperationis, damnationis in evangelio saepius legitur. Primum***) quando Petrus Dominum a se iussit exire, quia homo peccator ego sum, inquit. Secundo†), quando coepit mergi propter modicam suam fidem. Tertio, quando discipuli prae turbatione voluerunt clamare, ubi Christum super mare ambulantem phantasma putabant. Quarto††), quando turbati existimabant se spiritum videre, cum intraret ad eos ianuis clau-

---

*) 2. Cor. 4. **) Ebrae. 9. Ebrae. 10. ***) Lucae 5. †) Matth. 14. ††) Lucae 24.

sis. In his omnibus ostenditur diffidentiam esse causam timoris et horroris. Venit ergo omnis turbatio ex diffidentia, omnis securitas ex fiducia in Deum. Fiducia autem ex caritate, quia necesse est, ut is tibi placeat, in quem confidas.

Conclusio XV.

Hic timor et horror satis est se solo facere (ut alia taceam) poenam purgatorii, cum sit proximus desperationis horrori.

Nihil de igne et loco purgatorii loquor, non quod ea negem, sed quod alia est illa disputatio, nec a me nunc instituta, deinde quod nesciam, ubi sit locus purgatorii, licet B. Thomas illum sub terra esse putet. Ego vero interim cum B. Augustino remaneo, scilicet quod receptacula animarum abdita sint, et remota a nostra cognitione. Quae ideo dico, ne Pighardus haereticus in me sibi videatur obtinuisse, purgatorium non esse, quia locum eius ignotum esse confiteor, aut ideo Romanam ecclesiam errare, quia opinionem B. Thomae non explodit. Mihi certissimum est, purgatorium esse. Nec multum me movet, quid blaterent haeretici, quando iam mille et plus centum anni sunt, quod B. Augustin. in suar. confess. lib. 9. pro matre et patre suo orat et orandum petit. Et eadem sancta mater eius moriens (ut ibi scribit) memoriam sui optaverit ad altare Domini, sed et a B. Ambrosio id factum narrat. Quod si etiam tempore apostolorum non fuisset purgatorium (ut superbit fastidiosus Pighardus), nunquid ideo credendum est haeretico, vix quinquaginta annos nuper nato, et fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum, maxime cum ipse hihil aliud faciat, quam quod dicit, non credo, et sic probavit omnia sua et improbavit omnia nostra, quasi non et lignum et lapis non credant. Sed haec suo operi et tempori.

Igitur concessum est, horrorem esse in animabus. Nunc probo eum esse poenam purgatorii vel maximam.

Primo omnes concedunt easdem esse poenas purgatorii et inferni[1]) nisi quod differunt aeternitate. At scriptura describit poenas inferni esse turbationem, pavorem, horrorem, fugam, ut Psal. 1: Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus. Sed et in Job et Esaia, et multis aliis locis impii comparantur stipulae et pulveri, turbine raptis atque dispersis. In quo nimirum significat fugam horribilem damnatorum. Item Psal. 2: Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos. Et Esa. 28: Qui confidit[2]) in illum, non confundetur, id est, non festinabit, non pavebit, neque fugiet confusus et horrens, utique volens, quod non confidentes confundentur et pavebunt. Proverb. 1: Qui me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato, et Psal. 112.[3]): Ab auditione mala non timebit.

His enim et aliis locis scripturae terror, horror, pavor, timor, tremor exprimitur poena impiorum, quando piorum contraria asserit. Denique et B. Jacob. dicit*), quod daemones credunt et contremiscunt. Et Deut. 32. clare pronunciat, poenam impii esse pavorem dicens: Dabit tibi Dominus Deus cor pavidum etc. Nam si pavor ille non esset, nec mors, nec infernus, nec ulla poena esset molesta. Sicut ait in Canticis**): Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Quod satis ostensum est in martyribus adeo, ut de impiis dicat spiritus Psal. 14[4]): Illic trepidaverunt timore, ubi non fuit timor, et Proverb. 28.: Fugit impius nemine persequente. Justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit. Alioquin, cur unus timet mortem et dolet, alius vero contemnit, nisi quia intus iustitiae fiducia destitutus timet, ubi timere non debet.

Secundo, 2 Thess. 1: Qui non credunt evan-

---

1) In ed. Jen. additum: esse. 2) In ed. princ.: confidunt. 3) Ibid.: 111. 4) In ed. princ.: 13.

*) Jacob. 2. **) Can. 8.

gelio, dabunt poenas in interitu aeternas, a facie Domini, et a gloria virtutis eius. Quia scilicet solo vultu virtutis suae torquet eos, et cruciat Deus, cum sit eis insustentabilis, ideo fugient et non effugient, sed deprehendentur inter angustias. Sic illud Sapient. 6[1]: Cito apparebit vobis horrende. Et Psal. 21.[2]: Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Alioquin unde illa vox*): Montes cadite super nos, et colles operite nos. Et illud Esa. 2: Ingredere petram, et abscondere in fossa humo, a facie furoris Domini, et gloria maiestatis eius. Et illud Job.**): Quis mihi tribuat, ut inferno protegas me, et abscondas me, donec transeat furor tuus? Patet itaque, quod a facie Domini oritur eorum maxima poena, dum confunduntur a foedissima sua immundicia ad tantam puritatem comparata.

Tertio, et ecclesia in persona animarum psallit et gemit Psal. 6: Conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde, et Psal. 115[3]): Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me. Unde et usitatissima oratio est, ut eis requiem optemus, utique intelligentes, quod sunt inquietae. At poenae non faciunt inquietudinem, ut patet in martyribus et constantibus viris, sed horror et fuga poenarum, quae oritur ex infirmitate fiduciae in Deum. Sicut credit unusquisque, sic fit ei, et tales sunt ei poenae et omnia, qualis fuerit et ipse. Inde non conturbat iustum, quicquid acciderit ei (ait Sapien.***). Rursum impios terret (Levi. 26.) sonitus folii volantis. Et Isa. 57: Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et luctum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

Quarto, viventes aliqui eas poenas gustaverunt, scilicet inferni, ergo multo magis mortuis credendum est, eas inferri in purgatorio. Nam†) David ex-

---

1) Ibid. deest: 6. 2) Ibidem: 20. 3) Ibidem: 114.
*) Hos. 10. **) Job. 14. ***) Prov. 12. †) Psal. 94. 88. 141. 28. 7.

pertus dicit: Nisi quia Dominus adiuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Et alibi: Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Et rursum: Dissipata sunt ossa nostra secus infernum. Et assimilatus sum descendentibus in lacum. Et iterum: Quam multas ostendisti mihi tribulationes magnas et malas, et de abyssis terrae iterum reduxisti me. Ezechias*) vero dicit: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Et infra: Sicut leo contrivit omnia ossa mea, quod certe non nisi intolerabili factum horrore potest intelligi?

Quinto, quam multi sunt, qui usque hodie has poenas gustant, nam et Johan. Taulerus in suis Teutonicis Sermo. quid aliud docet, quam earum poenarum passiones, quarum et exempla nonnulla adducit? Atque hunc doctorem scio quidem ignotum esse scholis theologorum, ideoque forte contemptibilem, sed ego plus in eo (licet totus Germanorum vernacula sit conscriptus) reperi theologiae solidae et sincerae, quam in universis omnium universitatum scholasticis doctoribus repertum est, aut reperiri possit in suis sententiis.

Sed et ego novi hominem, qui has poenas saepius passum sese asseruit, brevissimo quidem temporis intervallo, sed tantas ac tam infernales, quantas nec lingua dicere, nec calamus scribere, nec inexpertus credere potest, ita ut, si perficerentur aut ad mediam horam durarent, imo ad horae decimam partem, funditus periret, et ossa omnia in cinerem redigerentur.

Hic Deus apparet horribiliter iratus, et cum eo pariter universa creatura. Tum nulla fuga, nulla consolatio, nec intus, nec foris, sed omnium accusatio. Tunc plorat hunc versum: Proiectus sum a facie oculorum tuorum**). Nec saltem audet dicere: Domine, ne in furore tuo arguas me***). In hoc momento (mirabile dictu) non potest anima credere,

---

*) Esa. 38. **) Prov. 31. ***) Psal. 6.

sese posse unquam redimi, nisi quod sentit nondum completam poenam. Est tamen aeterna, neque potest eam temporalem existimare, solum relinquitur nudum desiderium auxilii, et horrendus gemitus, sed nescit unde petat auxilium.

Hic est anima expansa cum Christo, ut dinumerentur omnia ossa eius, nec est ullus angulus in ea, non repletus amaritudine amarissima, horrore, pavore, tristitia, sed iis omnibus non nisi aeternis.

Et ut dem simile utcunque, si sphaera transeat super lineam rectam, quilibet punctus linea tactus totam fert sphaeram, non tamen comprehendit totam sphaeram. Ita anima in suo puncto, dum tangitur a transeunte inundatione aeterna, nihil sentit et bibit, nisi aeternam poenam, sed non manet, iterum enim transit. Igitur si viventibus contingit illa inferorum poena, id est, intolerabilis ille pavor et inconsolabilis, multo magis animarum in purgatorio videtur talis esse poena, sed continua. Et[1]) est ignis ille internus multo atrocior, quam externus. Quod si quis ista non credit, non contendimus, sed id tantum efficimus, quod illi veniarum praecones multa dicunt, quae vel ignorant vel dubitant, nimis audacter. Magis enim credendum est expertis in his, quam illis inexpertis.

Sexto ad id facit autoritas ecclesiae, quae canit, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, item a porta inferi. Quibus verbis certe videtur significari, esse animas velut iam in porta, et introitu damnationis, et initio inferni, quod dixi prope desperationem esse, nec vana esse verba ecclesiae credo.

Conclusio XVI.

Videntur infernus, purgatorium, coelum differre, sicut desperatio, prope desperatio, securitas differunt.

Si quis duas praecedentes conclusiones veras

1) In ed. Jen. appositum est: hic.

putaverit, hanc quoque facile admittit, imo cum in coelo credamus regnare pacem, gaudium et securitatem in luce Dei, in inferno vero contra saevire desperationem, dolorem, et horribilem fugam in tenebris exterioribus.

Purgatorium vero sit medium inter utrumque, sic tamen, ut propius sit inferno, quam caelo (quia non habent gaudium et pacem, imo nihil de coelo participant, cum ponatur esse eadem poena cum inferno, sola duratione differente) satis patet, quod et in ipso sit desperatio, fuga, horror, et dolor.

Sed addidi prope desperationem dicens, quia tandem cessat illa desperatio. Alioquin revera, dum est in illo, anima non sentit, nisi desperationem, non quod desperet, sed quod in tanta est perturbatione, et confusione pavoris, ut non sentiat sese sperare. Solus Spiritus adiuvat ibi quam maxime infirmitatem eorum, gemitibus inenarrabilibus pro eis interpellans*).

Sic enim fit et tentatis in hac vita, ut nesciant, an sperent vel desperent, imo sibi desperare videntur, solo superstite gemitu pro auxilio. Ex quo signo non ipsi, sed alii intelligunt eos adhuc sperare. Sed omitto verbosius de ea re loqui, quae est abstrusissima, ne et mihi obiiciant veniales quaestores, quod sine probatione loquar, quamquam non, ut illi, assero, quae ignoro, sed disputo et quaero, et eorum praesumptam certitudinem dubiam, imo nullam esse contendo.

Conclusio XVII.

Necessarium videtur, animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita et augeri caritatem.

Et haec nititur praecedentibus tribus conclusionibus. Sed tamen declaremus eam, et ponamus (sicut coepimus) animarum decedentium tria genera.

Primum earum, quae sunt fide omnino vacuae (id est damnatae), has necesse est in morte excipi

---

*) Rom. 8. **) Psal. 140. 34.

summo horrore et desperatione, iuxta illud *): Virum iniustum mala capient in interitu, et iterum: Mors peccatorum pessima, scilicet, quia non habent fiduciam in Deo, ideo comprehendit eos ira.

Secundum earum, quae sunt fide omnino plenae atque perfectae (id est beatae), hos necesse est in morte excipi summa securitate et laetitia, iuxta illud **): Justus cum ceciderit, non collidetur, Dominus enim supponit manum suam; et iterum: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius; et iterum: Justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Et causa utriusque est, quia iniustus invenit quod timuit, timuit autem semper mortem et poenam. Justus autem satur huius vitae maxime cupivit dissolvi, ideo desiderium eius tributum est ei. Ille non dimidiavit dies suos, iste ultra perfectum prolongavit incolatum suum. Ideo quod ille horret, iste quaerit, diversissimo studio affecti, quod illi summus horror est, huic est summum lucrum et gaudium.

Tertium earum, quae sunt fide imperfectae, et hae variae differentes inter plenam et nullam fidem. Credo autem non negari ab ullo, quasdam animas imperfectae fidei decedere, sed tamen infra id suadebimus latius. Igitur cum imperfectio fidei sit nihil aliud, nisi imperfecta novitas vitae in spiritu, et adhuc reliquum de vetustate carnis et Adae (si enim esset perfecta, non timeret poenam, nec invitus moreretur, aut cum affectu terreno huius vitae migraret), clarum videtur, animabus necessarium esse, non solum tollere poenas, sed etiam addere perfectionem novitatis, et tollere residuum vetustatis (id est, amorem vitae et timorem mortis et iudicii). Nam quantumcunque tolleretur poena (si esset possibile), non per hanc ablationem esset sana, sicut nec in ista vita per ablationem poenarum solam aiquis melior fit, sed per additionem gratiae, et remotionem peccati. Quare et illis primo peccatum

*) Psal. 140. 34. **) Psal. 37. 116. Sap. 4.

auferendum est, id est, imperfectio fidei, spei, caritatis.

Secundo, nulla poena vincitur fuga aut timore. Verum est enim proverbium: Qui timet infernum, descendet in eum, imo qui timet pruinam, cadet super eum nix, Job 6, id est, plus cadet super eum, quam timuit. Omnis poena timore sui augetur et roboratur, sicut amore minuitur et infirmatur. Vincitur autem poena amore et amplexu sui. Deinde nulla poena est molesta, dum fuerit victa, ideo amanti poenas et mortem non sunt molestae, sed dulces, quia per amorem et spiritum victae. Sunt autem molestae timenti, quia per timorem et [1]) literam ei dominantur. Si ergo purgatorium affligit animas, et molestus est eis pavor, evidens est eis deesse amorem et spiritum libertatis, et adesse literam ac timorem. Atque hunc defectum amoris voco imperfectam sanitatem spiritus, cum autem sine perfecta sanitate nullus coelum intrabit, tandem concludo, necessarium illis esse, augeri caritatem et sanitatem, sicut minui horrorem.

Si quis ista negaverit, neque crediderit, contenderitque animas esse ibi perfectas in vita spiritus solumque debita praeterita poenarum luere, respondeo primum, probent et ipsi suam sententiam, quam et ego nego, et certus sum, quod vel nullis vel infirmioribus rationibus sua probabunt. Secundo age, quaero, an negent triplex illud supra positum animarum genus decedentium? Si admittunt tertium quoque genus, respondeant ad praedicta, quomodo auferatur pusillanimitatis spiritus et timor, quando perfectus homo sicut pater eius Deus nihil timet, omnia potest, omnia suffert, in omnibus gaudet ac delectatur. Si non admittunt, sed in morte perfici fidem arbitrantur, ac sic solummodo poenae absolvendae[2]) restent, et hoc totum sit purgatorium, ratio scilicet debitarum poenarum, tum praeter id, quod iam fortissimum et insolubile produxi argumentum, videlicet, quod nulla scriptura, nulla ra-

1) In ed. Jen. deest: et. 2) Ibid.: solvendae.

tione suam sententiam possint probare, tamen adhuc via suasoria procedam. Sic enim et illi opinatores et postillatores faciunt.

Primo, ad quid Deus vult puniri perfectos in spiritu? ad satisfactionem? Contra: Super omnem satisfactionem est caritatis satisfactio, neque enim Deus ipse etiam per poenas quicquam aliud requirit, quam ut perficiatur caritas. Caritas enim (nisi apostolus mentitur) operit multitudinem peccatorum. At illos iam esse perfectae caritatis positum fuit.

Secundo, Deo maxime satisfit per voluntatem, ubi non invenit facultatem, ut cum B. Augustino sentit tota ecclesia. At illi, si sunt perfectae caritatis, talem habent voluntatem necessario, et tamen facultatem non habent defectu vitae. Quare necessario sola voluntate abunde satisfaciunt.

Tertio, perfecti tales omnia reddunt Deo, quaecunque debent, quia nihil amplius debent, quam ut se totos ipsos cum intima voluntate offerant. Deus enim ab homine nihil requirit amplius, quam ipsum totum, sicut dicitur: Praebe, fili, cor tuum mihi. Imo per poenas cogit hominem ad id, ut se totum offerat, quomodo ergo eo facto poenae manent? Ad quid cogunt?

Quarto, finge animam in morte perfectae fidei et caritatis, quae adhuc forte debeat 7 dies ieiunare, aut aliam canonicam poenam implere. Hic ergo Deus tam crudelis est, ut animam, quae summa caritate ad eum sitit eumque super omnia vehementissime diligit, quae proximo suo omnia plenissime ignovit et sibi omnia ignosci vehementissime cupivit, cui propter haec etiam debita fuit apud Deum et homines ignoscentia (talis enim est anima, quae sana caritate moritur), hic, inquam, Deus non remittit septem[1]) dies propter summam in eum et proximum caritatem et humilitatem, quae sunt summae omnium eleemosynarum, qui tamen in evangelio *) dicit, omnia remitti, et munda esse

1) In ed. Jen. additum: illos.
*) Luc. 11. Matth. 18.

iis, qui dant non de corde, sed de his[1]), quae superfluunt, eleemosynas, et servo solum roganti, et nihil facienti, nisi promittenti omne debitum dimisit, etiam promissione data libera. Nec saltem intuetur Deus in hac re, quod tam facilis est viventibus sineque mortis periculo talia concedere, morituris vero et summo iam periculo pressis tam difficilis est ad remittendum tam parva tam magnae caritati? Quis credet? Aut quibus id viis suadebunt? Aut ergo desinant sua tam confidenter praedicare, aut melius roborent, et ista dissolvant.

Nos interim sentiemus, animas in purgatorio non propter solam poenam, imo propter defectum caritatis laborare in poena, quia hic noluerunt laborare, ad perfectionem, aut si perfectae sunt, omnibus poenis amore triumphatis, liberas esse. Nec enim sic de Dei bonitate sapio, quod intuitu perfectae et aeternae caritatis non remittat quibusdam poenam temporis brevissimi, qui propter modicam caritatem omnibus passim remittit aeternam, et qui saepius in vita ignovit omnes poenas pro uno opere inceptae caritatis, non remittat unquam in morte aliquas poenas pro omni opere consummatae caritatis.

Veruntamen haec sunt disputata, quia mirabilis est Deus in sanctis suis, melius faceremus, si tam dubia relinqueremus, et in populum alia certiora doceremus, potens est Deus cum illis, nec secundum hanc nec secundum illam sententiam agere. Non enim nostro, sed suo iam iudicio subiecti, quia potest et ibi punire gratis, ut ostendat gloriam gratiae suae, sicut fecit in Job et Paulo. Tamen ultimo et

Quinto suadeo conclusionem: Si purgatorium tantummodo est poenarum officina, cur non[2]) vocatur punitorium potius quam purgatorium? Ratio enim et vis vocabuli purgationem aliquam importat, quae intelligi non potest, nisi vetustatis et peccati

---

1) In ed. Jen.: iis. 2) Ibid. additum: potius.

relicti, quo sunt immundi, qui terrenorum affectu fidei puritatem impedierunt.

Quod si nova (ut sunt ad distinctiones prompti) usi aequivocatione dixerint esse purgationem hic idem, quod solutionem, ut tum purgatae dicantur, cum poenae fuerint solutae, respondeo, hoc eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quod si et ipsi contempserint, vim vocabuli ad purgationem vitiorum extendi, esto sane, non contendo, id tamen effectum est, utrumque esse dubium. Ideo praepostere alterum illorum tanta certitudine in populos dispersum, maxime cum nec ratio nominis illorum sententiae conveniat.

Sexto, et ad hoc valet illud Gregorii dist. 25. c. qualis, ubi non poenas tantummodo, sed culpas remitti dicit in futuro, scilicet veniales, ut ibidem exempla ponit. At remissio culpae non fit sine gratiae infusione, et horror mortis est sanctis peccatum veniale, sed non parvum.

Conclusio XVIII.

Nec probatum videtur ullis aut rationibus aut scripturis, quod sunt extra statum meriti seu augendae caritatis.

Hoc enim robustissimum est meum adversus appositam opinionem argumentum, quod videlicet sine autoritate docetur. Nostra autem certe vel ea nititur autoritate, quod sine addita gratia nullus timor pellitur, quem sola perfecta caritas foras mittit. Haec autem conclusio praevenit argumentum eorum, qui dicerent contra me, sunt extra statum meriti, quare tres praecedentes conclusiones falsae.

Ego autem, ut opinando et disputando, nihil asserendo, sicut coepi, prosequar, dico, si purgatorium solum est solvendarum poenarum officina, et animae in illo sunt suo affectu (ut ego sentio) immundae nec ab eo vitio purgantur, fieret purgatorium idem quod infernus, quia infernus est, ubi poena est cum culpa manente. At in animabus purgatorii est culpa, scilicet timor poenarum, et de-

fectus amoris, cum iustus secundum Esa. 8 nihil debeat timere, nisi solum Deum, ergo peccant sine intermissione, quamdiu horrent poenas et quaerunt requiem. Quod probo, quia quaerunt, quae sua sunt, plus quam voluntatem Dei, quod est contra caritatem. Quod si amant Deum, amant amore concupiscentiae (id est, vitioso), cum etiam in suis poenis debeant diligere Deum, et glorificare ac fortiter sustinere.

Atque ut inter tot disputationum spineta etiam asseram aliquid, ego libere confiteor me credere, nullam animam redimi de poenis purgatorii propter suum timorem, donec posito timore incipiat amare voluntatem Dei in tali poena, et plus Dei voluntatem amet, quam poenam timeat, imo solam Dei voluntatem diligat, poenam vero vilipendat, aut in voluntate Dei etiam amet. Quia oportet, ut iustitiam diligat, antequam salvetur. At iustitia est Deus, qui hanc poenam operatur. Deinde illud Christi*): Qui non accipit (id est, volens et amans portat) crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. At crux animarum est illa poena. Quae cum ita sint, et verissima credo, dicat qui potest, quomodo iste amor poenarum cum timore mutari potest, sine nova gratia infusa. Ego fateor me nescire, nisi dixeris, quod purgatorium non habeat terrorem poenarum, ac per hoc nec similem inferno contra praedicta, atque tunc frustra oramus pro eis, quas audimus volentes et amantes esse poenarum suarum sine timore.

Secundo probo, quod augeatur eis caritas. Apostolus dicit**): Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Hoc autem bonum non potest intelligi, nisi augmentum iam possessi boni. Ergo et purgatorium auget bonum dilectionis Dei, imo maxime omnium auget, dum sicut infernus dura est aemulatio, et in tantis malis etiam diligit, sicut fornax aurum probatum facit, ita poena dilectionem.

---

*) Matth. 10. **) Rom. 8.

Tertio, virtus in infirmitate perficitur, omnis enim poena *), si praesens est, caritas est salutaris et proficua, non enim permitit pretiosissima caritas atque foecundissima aliquid secum sterile. At in purgatorio est maxima infirmitas, ergo maxime perficit caritatem.

Quarto, impossibile est esse statum in via, via autem Dei est caritas ad Deum tendens, ergo necesse est animas vel procedere vel retrocedere a caritate Dei, cum nondum sint in termino et visione, ut patet.

Quinto, impossibile est ulla perseverantia creaturae, nisi assidue accipiat magis ac magis. Inde enim dicunt acuti quidam, quod conservatio rei sit eius continuata creatio. Sed creare est semper novum facere, ut etiam patet in rivulis, radiis, calore, frigore, maxime dum sunt extra suum principium. Quare et spirituali calori, id est, amori Dei in animabus opus est continuata conservatio (donec absorbeantur in suum principium divinum) ac per hoc et augmentum, etiamsi verum esset, quod essent perfectae, licet extra Deum esse nec pervenisse, et esse perfectum sint contraria.

Sed videre dignum est, quibusnam causis moventur, ut animabus statum meriti negent, aut negandum probent.

Primum illud vulgatissimum B. Augustini: Hic omne meritum comparatur, post mortem nullum. Ergo, inquiunt, purgatorium non est merendi locus. Respondeo: B. Augustinus, et quicunque Patres similia dixerunt, ex autoritate et usu scripturae loquuntur, quae multo fortius in hanc sententiam loquitur, ut est [1]) illud Gala. 6: Operemur bonum, dum tempus habemus; et Christus Johann. 9: Venit nox, quando nemo poterit operari; et Apoc. 14: Opera enim illorum sequuntur illos; et illa manifestissima Ebrae. 9: Statutum est omnibus hominibus semel

---

1) In ed. Jen. deest: est.
*) 1. Cor. 12.

mori, post hoc iudicium, deinde finis; Gala. 6: Quaecunque enim homo seminaverit, haec et metet. Item*), oportet nos omnes manifestari ad tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum sive malum. Et multae aliae, quae omnino sonant, ac si post mortem omnino sit iudicium recipiendi, sicut gestum est, id est, meritum hic, secundum illud ecclesiastis**): Lignum ubicunque ceciderit, ibi erit.

Sed haec omnia aeque contra totum purgatorium pugnant, quia non ponunt statum medium inter mortuos damnatos et beatos. Si ergo illis non obstantibus purgatorium defenditur vere, etiam id defendi potest, quod augeatur illis gratia, non obstante illo quod dicitur: Hic omne meritum comparari, quia loquitur non de purgatorio, sicut et illae autoritates nihil de purgatorio, sed de coelo vel inferno loquuntur, utrinque ergo intermittitur purgatorium. Quare illa verba Augustini ad purgatorium non sunt tendenda. Omne meritum hic, non illic, id est, non in coelo aut inferno. Denique secundum B. Augustinum etiam hic meritum illud comparatur, quo dignus sit homo in purgatorio suffragio iuvari. Alioquin in coelo vel inferno nullum habet meritum, quo mereatur ibi iuvari, sed tunc quidem ad purgatorium respexit, hic autem nequaquam.

Si autem quispiam[1]) contentiosior voluerit asserere, autoritates iam adductas nihilo[2]) adversus purgatorium pugnare, quod salvari possunt[3]) per duplex iudicium, seu duplicem retributionem post mortem, temporalem scilicet, quae est purgatorii, aeternam, quae est inferni, et sic alius metit purgatorium, alius infernum, item alium sequuntur opera sua ad purgatorium, alium ad infernum, hic respondeo: Sic dicendo potius destruuntur illae autoritates, quam salventur cum purgatorio, per tam violentam

---

1) In ed. Jen.: quisquam. 2) Ibid.: nihil. 3) Ibid.: possint.

*) Roma. 15. **) Eccle. 11.

et arbitrariam[1]) aequivocationem, cum altera pars aequivocationis nunquam possit probari. Et meo iudicio non esse licitum credo, longeque pessimum usum quibusdam hucusque fuisse servatum, scilicet scripturae sanctae simplicem sensum in aequivocum et dubium dividere. Rectius enim dicitur, hanc autoritatem de hac re non loqui, quam, dum de utraque re intelligere conamur, de nulla certam relinquamus. Pallium enim breve est (ait Esaias*)), utrumque operire non potest. Et ut vulgo dicitur: Non est altare alterius nuditate ornandum.

Igitur dicendum est, quod homo illic metit, quod hic seminavit, intelligatur de praesenti et futura vita. Messis enim sine nostra torsione et aequivocatione arbitrii nostri relinquenda est in ea significatione, qua utitur scriptura, scilicet futuri et universalis iudicii. Atque ita illae autoritates nihil pugnant adversus purgatorium, non per aequivocationis cavillum, sed per ablationis sensum. Eodem modo et illud, hic omne meritum, illic nullum. Alioquin quantus fuerat sudor ingenio meo, si et ego meritum aequivocarem duplex, scilicet post mortem non esse meritum huius temporis, sed bene meritum illius status, et Augustinum loqui de primo, sed nolui.

Quid autem dicent ad illud ecclesiastis**): Lignum ubicunque ceciderit, sive ad aquilonem, sive ad austrum, ibi erit? si quidem per casum intelligunt mortem. Si ergo per aquilonem infernum, per austrum coelum, quo cadent, qui intrant purgatorium? Ad austrum dicent, sed aequivoce. Sed quid dicent? Ibi erit: ibi manebit, ergo nunquam exibunt purgatorium? An hic quoque aequivocatur mansio scilicet temporalis et aeterna? Claret itaque, quod haec autoritas recta facit contra purgatorium, quin etiam per aequivocationem sui facit ex purgatorio infernum. Non potest itaque solvi, nisi di-

1) In ed. Jen.: arbitratam.
*) Esa. 28. **) Eccles. c. 11.

catur (sicut dixi) nihil eam de purgatorio loqui, non plus quam illam: Liber generationis Jesu Christi.

Conclusio XIX.

Nec hoc probatum esse videtur, quod sunt[1]) de sua beatitudine certae et securae saltem omnes, licet nos certissimi simus.

Nos enim, quia credimus nullam in purgatorium venire, nisi sit de numero salvandorum, certi sumus de beatitudine illarum, sicut certi sumus de electorum salute. Quamquam non nimis impugno, si quis asserat eas esse certas, ego non omnes dico esse certas. Sed quia totum negotium de animabus in purgatorio absconditissimum est, ideo suadendo magis, quam demonstrando declaro conclusionem.

Primo ex supradictis, si poena purgatorii est pavor ille et horror damnationis et inferni, pavor autem omnis facit animum perturbatum, incertum, inopem consilii et auxilii, et tanto magis, quanto fuerit vehementior et inopinatior. Animarum autem est omnium vehementissimus et inopinatissimus, ut supra dictum est. Et Christus *): Tanquam laqueus supervenit[2]) dies illa; et Apostolus**): Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Quare valde probabile est, eas prae confusione nescire, quo statu sint, an damnatae vel salvatae, imo sibi videntur iam ire in damnationem, et descendere in lacum, omninoque iam esse in portis inferi, sicut Ezechias dicit; sed et 1 Reg. 2: Dominus deducit ad inferos et reducit. Igitur nihil aliud sentiunt, quam incipere suam damnationem, nisi quod sentiunt, nondum clausam post se portam inferi, necdum etiam dimittunt votum et desiderium auxilii, licet nusquam apparentis. Sic enim loquuntur, qui id experti sunt.

Accipiamus simile: Si quis ad iudicium mortis inopinatus veniat, puta incidens in latrones, qui

---

1) In ed. Jen.: sint. 2) Ibid.: superveniet.
*) Luc. 21. **) 1. Thess. 5.

dum intentant illi omni ex parte mortem, etiamsi statuerint eum terrere, non occidere, hic ipsi certi sunt eum victurum, ipse vero nihil nisi praesentissimam mortem videt, atque eo ipso iam moritur, solum id sibi reliquum est, quod nondum sit mortuus, possitque redimi a morte, sed nescit unde, videt enim illos posse, sed nolle, igitur fere nihil differt a mortuo. Ita videtur in pavore aeternae mortis fieri, quod non aliud, quam aeternam sibi sentiunt imminere omni ex parte. Sic canit ecclesia pro eis: A porta inferi erue animas eorum et libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus etc. Solum id reliquum scientiae habent, quod Deus possit eos redimere, sed nolle illis videtur. Damnati vero statim huic malo addunt blasphemiam, illi vero solam querelam et gemitum inenarrabilem, sustentati a spiritu. Hic enim fertur spiritus super aquas, ubi sunt tenebrae super faciem abyssi. Sed de hoc supra latius.

Secundo, multa leguntur exempla, in quibus habetur, nonnullas animas hanc sui status incertitudinem confessas fuisse. Adparuerunt enim tanquam euntes vocati ad iudicium, ut de S. Vincentio etc. Rursum leguntur multa, in quibus certitudinem suam sunt confessae. Ad quae dico. Primo, me dixisse non omnes esse certas. Secundo, forte melius secundum praedicta, eas non fuisse certas, sed prae nimio auxilii desiderio, tanquam certae essent, velocius iuvari postulasse, ita ut potius opinentur et timide praesumant sese certas, quam sciant. Sicut et in evangelio de daemonibus dicitur, quod sciebant ipsum esse Christum, id est, vehementer opinabantur, ut ait glossa. Ita enim fit naturaliter in omni angustia et pavore, ut vehementer opinemur nos esse adhuc reparabiles, cum tamen magis sit ibi cupido reparationis, quam spes aut scientia, sicut in daemonibus plus fuit cupido sciendi, quam scientia. Scientia enim salutis non pavet, neque trepidat, sed confidit, omniaque fortissime tolerat.

Hic dicitur: Quid ergo de iudicio particulari,

quod in morte cuiuslibet hominis fama est agi, et Innocen. testatur? videtur enim per ipsum certus fieri homo de suo statu. Respondeo, quod non sequitur eum certum fieri, etiamsi sit particulare iudicium. Potest fieri, ut homo mortuus iudicetur, imo accusetur, sed tamen sententia differatur, nec ei reveletur, interim autem accusante conscientia, urgentibus daemonibus et minante ira Dei, nihil aliud faciat misera anima, quam ut tremat a sententia omni momento cum horrore exspectata. Sicut de corporali morte facit et minatur Deut. 28: Dabit tibi Dominus cor pavidum, et pendebit vita tua ante te, mane dices: Quis det mihi vespere? et vespere dices: Quis det mihi mane? Ita et ibi mors aeterna simili pavore feriat, et horribili horrore cruciet[1]) animam.

Nec ista sententia multum absona est veritati, quandoquidem et Matth. 5. Dominus distinguit inter reum iudicii, et reum consilii, et reum gehennae, id est, inter accusatum, et convictum, et damnatum. Sed et insignes quidam autores scientia plus quam fama audent dicere, quasdam animas pro suae trepiditate[2]) vitae per mortem rapi, et a Deo sic proiici, ut usque in finem mundi nesciant, an sint damnatae an[3]) salvandae. Et si recipitur historia illa de monacho morituro, et propter peccatum fornicationis velut damnato, iam blasphemante, deinde ad sanitatem reverso, satis patet, quod iudicium et accusatio inferni potest animam affligere, et tamen nondum esse definitam sententiam latam. Ad idem, id quod in homilia recitat quadam B. Greg. de iuvene, quem in morte draco absorbere volebat.

Haec itaque de tota materia poenarum purgatorii verisimiliter pono, motus primum ex natura horroris et pavoris, deinde, quod scriptura hanc poenam tribuit damnatis, tandem, quod omnis ecclesia dicit, easdem esse poenas inferni et purgatorii. Et ita

---

1) In ed. Jen.: cruciat. 2) In ed. princ.: tepiditate. 3) In ed. Jen.: vel.

credo hanc nostram sententiam in scripturis satis fundatam. Buccinatores vero indulgentiarum videntur poenas animarum ita imaginari, quasi ab extra inferantur, sintque penitus externae, non autem ab intra in conscientia nascantur, quasi Deus solum ab eis auferat poenas, cum sit contrarium verius, quod animas potius a poenis auferat. Sicut scriptum est*): Divertit ab oneribus dorsum eius, non ait: Divertit onera a dorso eius. Et iterum: Si transibis per ignem, flamma non nocebit te. Quomodo non nocebit? nisi quia dat fiduciam cordi, ut ignem non timeat, non autem ut ignis non sit, cum transeundum ei per illum sit. Quare diversio dorsi ab oneribus non fit, nisi sanando animae timorem, et confortando eam, sicut et supra dictum est, quod nulla poena vincitur timore sui, sed amore et contemptu. At timorem non auferunt indulgentiae, imo inferunt quantum in eis est, dum velut odibilem rem poenas relaxandas suadent. Deus autem proposuit habere filios impavidos, securos, generosos, aeternaliter et perfecte, qui prorsus nihil timeant, sed per gratiae suae fiduciam omnia triumphent atque contemnant, poenasque et mortes pro ludibrio habeant, ceteros ignavos odit, qui omnium timore confunduntur, etiam a sonitu folii volantis.

Iterum obiicitur:

Si volenter poenas ferunt animae, cur pro eis oramus? Respondeo: Nisi eas volenter ferrent, certe damnatae essent, sed [1]) nunquid non ideo optare debent orationes, quando et apostolus**) optavit pro se orationes fieri, ut liberaretur ab infidelibus, et sibi ostium verbi aperiretur, qui tamen omni fiducia plenus mortem contemnere se gloriabatur. Etiamsi animae non optarent orationes, tamen nostrum est earum labori condolere et succurrere oratione, sicut quibuslibet aliis, quantumlibet for-

1) In ed. Jen. deest: sed.
*) Psal. 81. Esa. 43. **) Coloss. 4. 2. Thess. 2.

titer patientibus. Deinde cum animae non adeo doleant poena praesenti, quam horrore instantis sibi et intentatae perditionis, non est mirum, si cupiant suffragium, ut perseverent et non deficiant in fiducia, cum sint incertae[1]) (ut dixi) de statu suo, nec tam timeant poenas inferni, quam odium Dei, quod est in inferno, sicut dicitur*): Non est in morte qui memor sit tui, in inferno, quis confitebitur tibi? Et sic patet, quod non timore poenae patiuntur, sed amore iustitiae, ut supra. Timent enim magis, ne non laudent et ament Deum (quod fieret in inferno), quam ne patiantur. Et hoc eorum sanctissimum, sed anxiosissimum desiderium merito iuvat omnis ecclesia, quantum potest, maxime quando et Deus vult illas per ecclesiam iuvari.

Et hic tandem sit aliquando finis tam obscurae et dubiae disputationis de animarum poenis. Quibus qui potest meliora proferre, non invidebo, modo id faciat melioribus scripturae autoritatibus nixus, non fumosis hominum opinionibus obnubilatus.

Conclusio XX.

Igitur papa per remissionem plenariam omnium poenarum non simpliciter omnium intelligit, sed a se ipso tantummodo positarum.

Hanc disputo, nondum pertinaciter assero, rationes meae sunt.

Prima, ex dictis conclus. V., quod solum canonica poena remittitur per potestatem clavium. Ideo haec conclusio corollarium est illius, et illa negata negatur et ista.

Secunda, ex ipso stilo pontificis, quo dicit: De iniunctis poenitentiis misericorditer relaxamus. Ergo non iniunctas a se vel a canonibus non relaxat. Neque hic curandum puto arbitrarium commentum quorundam, qui dicunt: Quando pontifex

---

1) In ed. princ.: incerti.
*) Psal. 6.

non addit hanc clausulam de iniunctis poenitentiis, tum intelligi omnium simpliciter remissionem poenarum. Dicerem ego: Etsi non additur, tamen subintelligitur addi, tanquam necessaria et de essentia stili clausula: aut illi probent aliquo textu, quod dicunt.

Tertia, ad solitum venio argumentum, sed omnium fortissimum, et requiro, quibusnam autoribus probent, etiam alias poenas per claves tolli, quam canonicas? Et exhibent mihi Antoninum, Petrum de Palude, Aug. de Ancona, Capreolum, deinde et Angelus summista suum Fanciscum Maronis inducit, redemptiones veniarum eo usque vehentem, ut meritorias eas pronunciare sit ausus, si Christo placet. Quasi vero illi homines tales sint ac tanti, ut quicquid senserint, statim necesse sit inter articulos fidei numerare. Verum illi magis sunt reprehendendi, qui ad ignominiam nostram et iniuriam illorum allegant pro assertis: quae illi pro pio suo studio fuerunt opinati, prorsus nihil advertentes illud Apostoli fidele monitorium *): Omnia probate, quod bonum est tenete, longe stultiores Pythagoricis, quippe cum hi ea tantum assererent, quae Pythagoras dixisset, isti vero etiam ea, quae illi dubitaverunt.

Sed ad originem et fontem veniamus rivulorum istorum, id est, B. Thomam et Bonaventuram. Ex his enim illi partim acceperunt, partim de suo addiderunt, hi itaque et sancti et graves plane autoritate viri. Verum cum et[1]) ipsi magis opinentur, quam asserant, denique S. Bonaventura confiteatur esse rem dubiosissimam omninoque incertam, nonne clarum est, ex ipsis etiam nihil posse astrui? Tu vide si ullum textum aut scripturam adducant? Nec mirum, quod ipsi nihil asserant. Cum enim haec res sit fidei quidam articulus, si fuerit determinatus, adeo non pertinet ad doctores definire, quod etiam ad solum concilii universalis iudicium sit suspendendus, nec summus pontifex quid temere in iis

1) In ed. Jen. deest: et.
*) 1 Thess. 5.

habeat statuere quae sunt fidei, nisi soli praecones veniarum. Illis omnia, quae libuit, licent, unicam tamen habent omnes rationem suae sententiae, quam et Panor. lib. 5. de poe. et re. c.: Quod autem, affert, videlicet hanc, Si indulgentiae solum canonicas poenas dicuntur remittere, hoc est indulgentias nimis vilificare. Itaque ne viles sint indulgentiae, magis placuit fingere quod nesciunt, cum nullum sit periculum animarum, si indulgentiae etiam nihil essent, nedum viles[1]), miserrimum vero sit, animabus figmenta et illusiones praedicare, etiamsi indulgentiae utilissimae essent. Adeo non habetur ratio salutis animarum, sed tantummodo, ne non optima videamur docuisse, plus laboramus pro gloria nostri verbi, etsi non necessarii, quam pro fide simplicis et nobis commissi populi sola necessaria.

Sed antequam ad B. Thomam et Bonaventuram[2]) respondeam, dignum videtur recitare opiniones de indulgentiis, ne ego primus aut solus eas in dubium vocasse videar.

Glossa super c. Quod autem. lib. 5. de poe. et re. assumens declarationem super efficacia et virtute indulgentiarum sic incipit: Quid valeant tales remissiones, vetus querela, et adhuc satis dubia.

Alii dicunt, quod prosunt quoad Deum, sed non quoad ecclesiam, quoniam, si quis sine mortali decedat, nondum peracta poenitentia, minus sentiet[3]) poenas purgatorii, iuxta modum remissionis sibi factae, ecclesia tamen viventi non propter hoc relaxat satisfactionem. Haec opinio damnatur a Panor. ibidem, et placet eius damnatio.

Alii dicunt, quod prosunt quoad poenitentiam hic iniunctam ex superabundanti, et ad cautelam, id est, tantum eas poenas, quas non secundum modum, sed in cautelam superabundantius, quam peccatum merebatur, imposuit. Et haec plus damnanda, quam prior.

Alii, quod prosunt quoad Deum et ecclesiam,

---

1) In ed. princ.: vides. 2) Ibid.: ad B. T. et B. 3) In ed. Jen.: sentiat.

sed remittens onerat se ad satisfactionem pro illo, et haec est absurda.

Alii, quod prosunt ad remissionem poenitentiae negligenter omissae. Hanc Panor. damnans dicit, quod ista remunerat negligentiam. Sed meo iudicio haec non omnino est falsa, quia vere remittuntur poenae quaecunque, etiam negligenter omissae, dummodo displiceat negligentia, imo remittuntur etiam non negligenter omissae atque adhuc perficiendae.

Alii, quod valeant ad relaxationem iniunctae poenitentiae, dummodo sacerdos, qui iniunxit poenitentiam, permittat, ut possit commutare poenitentiam cum remissionibus. Et haec est proba sententia et vera in re, nisi quod restringit potestatem conferentis indulgentias. Verum est enim, quod iniunctas poenitentias relaxant, sed non requiritur consensus eius, qui iniunxit.

Sexta, quam ultra istas quinque in glossa praedicta positas Panor. adducit, quod prosunt, prout sonant verba, et quoad Deum, et quoad[1]) poenitentiam, hic iniunctam, et hanc dicit teneri a Goff. Host. Io. An.[2]). Et hanc ego quoque teneo, ut iacet et sonat in verbis. Sed non sequor intelligentiam omnium, maxime propter istud verbum, quoad Deum, per quod si intelligunt etiam poenas a Deo impositas remitti, sive hic sive in purgatorio, ultra poenitentias ab ecclesia vel canonibus iniunctas, non credo verum, nisi sub tali moderatione, quia poenae purgatorii remittuntur sine potestate clavium per solam contritionem. Ideo si quis perfecte fuerit contritus, credo quod sit, quoad Deum, a purgatorio absolutus. Quoad poenas autem huius temporis, dico, quod id nullam habet autoritatem, ut supra satis dictum est Conclu. 5. Non est enim nominabilis illa poena, quae quoad Deum remitti credatur.

Ideo ego dicerem, quod illud, quoad Deum[3]), debet intelligi non de poenis a Deo impositis, sed

1) Ibid.: et quod ad Deum et quo poenitentiam. 2) i. e. Gottfredo Hostiensi, Joh. Andrea. 3) Ibid.: quod ad Deum.

de eisdem ab ecclesia iniunctis, ut sit sensus: Remissio illa iniunctarum poenitentiarum ab ecclesia tenet tam apud Deum, quam apud ecclesiam: eo quod Deus approbat[1]) hanc ecclesiae suae remissionem, secundum illud: Quodcunque solveris super terram, solutum erit et in coelis. Non ait: Quodcunque solveris super terram, aliud erit solutum in coelis, sed id idem, quod tu solvis, et ego solutum habebo. Quia per hoc Deus vult, homines subiici sacerdoti, quod non fieret, nisi Deum approbare facta sacerdotis sciremus. Vides ergo omnia adhuc in opinionibus haerere.

Porro id quod Angelus ex suo Francisco Maronis adducit, quod indulgentiae etiam valeant ad augmentum gratiae et gloriae, non advertit, quod indulgentiae non sunt opera bona, seu remissiones bonorum operum, propter aliud minus opus. Etsi enim opus bonum, propter quod dantur indulgentiae, sit meritorium, non tamen ideo indulgentiae sunt meritoriae, cum opus seorsum factum non minus esset meritorium, et forte magis Indulgentiae vero seorsum sumptae potius sunt demeritoriae, quia remissiones bonorum operum. Igitur cum in omni materia dubitata licitum sit unicuique disputare et opponere, et ego quoque dico, me a B. Thoma et Bonaventura in hac parte dissentire, donec melius probent sua, atque dissolvant nostra. Ego enim praeter opiniones nihil video quod[2]) probent, nec saltem unum canonem, cum tot scripturas ego superius Concl. 5. produxerim pro mea parte. Et nunc ne sine canonibus etiam loquar, ecce.

Quarta ratio, capitulo: Cum ex eo, lib. 5 de poe. et re. dicit: Per indulgentias satisfactio poenitentialis enervatur. Hoc verbum licet ex dolore potius quam ex gratia dicat papa, tamen canonistae, sicut sonat, intelligunt. Ergo si satisfactio enervatur poenitentialis, patet, quod non nisi poena canonica remittitur, cum satisfactio poenitentialis sit nihil aliud, nisi tertia illa pars poenitentiae ecclesiasticae

1) Ibid.: approbet. 2) Ibid.: quae.

et sacramentalis. Nam de satisfactione evangelica nihil ad ecclesiam, ut supra.

Quod si quis mihi obstet, papam non negare, etiam alias poenas enervari, sed affirmat duntaxat, nec exclusive loquitur, dum[1]) dicit: Satisfactio poenitentialis enervatur, respondeo: Proba ergo quod et alias relaxat, et non exclusive loquatur, quod cum non feceris, ego probo quod exclusive loquitur per c.: Cum ex eo, ut supra, ubi dicit, quod quaestores eleemosynarum praeter id, quod in literis eorum continetur, nihil permittantur proponere populo. Sed nihil continetur in ullis literis apostolicis praeter remissiones satisfactionis sacramentalis, sicut ipsemet dicit papa: Satisfactio poenitentialis enervatur per indulgentias indiscretas et superfluas, imo hoc verbo adhuc rigidius papa indulgentias restringit, quia si superfluae indulgentiae solum enervant satisfactionem sacramentalem, ergo modestae et legitimae nec ipsam satisfactionem poenitentialem enervant, multo minus ceteras ullas poenas. Sed haec sunt non mei fori aut professionis, viderint canonistae.

Conclusio XXI.

Errant itaque indulgentiarum commissarii ii[2]), qui dicunt, per papae indulgentias hominem ab omni poena solvi et salvari.

Hanc omnino assero et probo.

Quia saltem relinquitur poena tertia, id est, evangelica, imo et quinta, puta mors et aegritudo, et in multis illa omnium maxima poenarum, scilicet horror mortis, tremor conscientiae, infirmitas fidei, pusillanimitas spiritus, quas poenas si compares ad remissas per indulgentias, sicut si rem cum umbra compares, erit comparatio. Sed neque mens papae est, ut tam frivole et impune fabulentur, ut patet ex. c.: Cum ex eo.

Quod si dixerint: Nec nos dicimus has poenas

---

1) In ed. Jen.: cum. 2) Ibid.: hi.

tolli per indulgentias, respondeo: Cur ergo populum non instruis de cognitione poenarum, quas remittis? Sed omnino omnes remitti clamas, quascunque pro peccatis suis luere deberet coram Deo et ecclesia. Quomodo populus per se ipsum intelliget, quod tam obscure et large loqueris?

Conclusio XXII.

Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vita debuissent solvere, secundum canones.

Hanc non latius assero quam octavam, ex qua fluit ceu corollarium, quod canones poenitentiales non transeant in aliam vitam, quia omnis poena temporalis mutatur in poenam mortis, imo propter mortis poenam tollitur, et tollenda est. Imo finge (ut latius suadeamus) Romanam ecclesiam esse, qualis erat etiam adhuc tempore B. Gregorii, quando non erat super alias ecclesias, saltem Graeciae, clarum esset, quod canonicae poenae non obligabant Graecos, sicut nec nunc obligant, si qui sunt Christiani, non subiecti Papae, ut in Turcia, Tartaria, Livonia. Illis ergo nulla istarum indulgentiarum est necessaria, sed tantum in orbe Romanae ecclesiae constitutis. Si ergo istos vivos non obligant, multo minus mortuos, qui sub nulla ecclesia sunt.

Conclusio XXIII.

Si remissio ulla omnium omnino poenarum potest alicui dari, certum est eam non nisi perfectissimis, id est, paucissimis dari.

Hanc de poenis omnium generum intelligo, et sic assero, nam quod remissio poenitentialis satisfactionis possit unicuique dari, non est dubium, ut satis est dictum. Imo hanc conclusionem corrigo et dico, quod prorsus nullis, sive perfectissimis sive imperfectis, potest dari omnium poenarum remissio. Quod probo, nam, licet perfectissimis Deus non in-

ferat flagella, seu quartum genus poenarum, saltem omnibus et semper tamen tertia manet, scilicet evangelica, imo et quarta, puta mors, et quae mortis et ad mortem sunt poenae. Licet enim posset Deus omnes perficere in gratia, forte sine poenis, non tamen statuit id facere, sed ad imaginem filii sui (id est, crucem) omnes conformare*). Et quid opus est multis? Quantumcunque magnifice extollatur poenarum remissio, quid, quaeso, efficitur apud eum, qui mortem et timorem mortis atque iudicii ante oculos habet? Huic si omnis alia remissio praedicetur, et haec non remitti conceditur, nescio si consolationis aliquid reportet. Igitur horrorem mortis et inferni attende et remissiones poenarum, velis nolis, nihil curabis, ac sic non nostro studio, sed rei necessitate vilificabuntur indulgentiae, quae timorem mortis non tollunt.

Conclusio XXIV.

Falli ob id necesse est maiorem partem populi, per indifferentem illam et magnificam poenae solutae promissionem.

Et hanc assero, et scio ita contingere, nam ego ipse audivi multos non secus intellexisse, quam quod sine omni poena evolarent per indulgentias. Nec mirum, quando illi sic scribunt, legunt, clamant, quod si quis venias consecutus ante recidivam moreretur, statim evolaret. Haec omnia ita loquuntur, quasi non sint peccata nisi actualia, ac si fomes relictus nulla sit immundicia, nullum impedimentum, nullum medium, quod moretur ingressum regni. Cum, nisi ipse sanetur, impossibile sit intrare coelum, etiam si nullum assit actuale, nihil enim inquinatum intrabit. Quocirca horror ipse mortis, cum sit vitium fomitis et peccatum, etiam se solo impedit introitum regni, quia qui non voluntarie moritur, non obedit vocanti Deo nisi invitus. Et tantum ibi non facit voluntatem Dei, quantum in-

*) Roma. 8.

vitus moritur. Tantum autem peccat, quantum non obedit voluntati Dei, ideo rarissimus est, qui post omnes venias non etiam in morte peccet, nisi ii, qui cupiunt dissolvi, et vocant mortem. Igitur ut non omnino cum eis discordem, dico, quod si quis sit perfecte contritus (id est, odiens se vitamque suam et summe diligens mortem) statim evolabit, remissis sibi poenis, sed quotus sit hic, tu videris.

Conclusio XXV.

Qualem potestatem habet papa in purgatorium generaliter, talem habet quilibet episcopus et curatus in sua dioecoesi et parochia specialiter.

Haec est illa blasphemia, quae me mille mortibus dignum fecit, iudicio scilicet quaestorum, ne dicam quaestuariorum. Verum antequam ego hanc conclusionem ostendam, paululum praefabor de proposito meo.

Primum, dico iterum hic me disputare, non quoad sententiam, quam intendo istis verbis (hanc enim constanter assero, quia eam tenet universa ecclesia), sed quoad verba.

Deinde adversarios meos etiam rogo, ut ferant dolorem meum, quo crucior, dum audio ea praedicari in ecclesia Christi, quae nunquam scripta et statuta sunt, quando sanctis olim patribus legimus visum esse periculosissimum, aliquid ultra praescriptum coeleste doceri, ut inquit Hilarius. Et S. Spiridon Cypri Episcopus huius disciplinae tam rigidus observator fuit, ut interrumperet sermonem eius, qui tantum Graeci vocabuli aequivocatione usus: Tolle cubile tuum et vade, dixerat pro: Tolle grabatum seu lectum tuum et vade, reprehendens eum in re, quae sensum nihil mutarat. Atque huius doloris mei veniam puto mihi iustissime ab illis deberi, quando nos ferre cogimur nunquam rogati aut moniti eorum praesumptiones, quibus delectantur ea praedicare, in quibus nos cruciamur audiendo.

Non haec dico aut ago, quod tam impudenter

arrogans sim, ut me inter doctos ecclesiae sanctae numerandum putem, multo minus inter eos, quorum haec sit statuere aut destituere, atque utinam novissimum merear ecclesiae membrum fieri aliquando. Sed id potius ago, cum sint in ecclesia et doctissimi pariter et sanctisissimi viri, ea tamen est nostri seculi infelicitas, ut etiam tanti non possint ecclesiae succurrere. Quid enim potuerit hodie doctrina, et pius zelus, satis probavit infelix eventus eorum doctissimorum et sanctissimorum virorum, qui sub Julio II. studuerunt reformare ecclesiam, instituto ad hanc necessitatem concilio *). Sunt et alii passim, quos novi, optimi et eruditi pontifices, sed exemplum paucorum imponit silentium plurimis. Est enim tempus pessimum (ut ait Amos propheta), ideo prudens in illo tempore tacebit.

Denique est nobis hodie pontifex optimus Leo X., cuius integritas et eruditio deliciae sunt omnibus bonis auribus. Sed quid ille suavissimus homo potest unus in tanta rerum confusione, dignus profecto, qui melioribus temporibus pontificaretur, aut meliora tempora essent sui pontificatus. Nostro seculo digni sumus pontificari non nisi Julios secundos, Alexandros sextos, aut si quos alios atroces Mezentios vel[1]) finxerunt poetae, nam bonos ridet hodie etiam Roma ipsa, imo Roma omnium maxime, in qua enim orbis Christiani parte liberius ludunt etiam in summos pontifices, quam in vera illa Babylone Roma? Sed sat ista. Cum itaque praeter innumeros privatos etiam in sedibus suis habeat ecclesia doctissimos, si prudens voluissem existimari illorum exemplo, et ipse tacerem. Sed praestat vel a stultis, a pueris, ab ebriis veritatem dici, quam omnino taceri, ut fiducia doctiorum et sapientium[2]) animosior fiat, ubi audiunt nos rude vulgus tandem

*) Concilium Pisanum, in quo praesedit Cardi. S. crucis, pro reformatione ecclesiae laboravit.

1) In ed. Jen.: ut. 2) Ibid.: sapientum.

pro [1]) rei nimia indignitate clamare, sicut ait Christus: Si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Ista itaque praefatus ad conclusionem venio, et primo de ea secundum sententiam, deinde secundum verba seu sententiam aliorum. Igitur in hac conclusione nihil loquor de potestate iurisdictionis, quam infra sequente mox conclusione nego, et supra 22 [2]) et 8. idem negavi. Hanc enim potestatem illi ex iis [3]) verbis coeperunt, de qua dico, sicut dixi. Statuat ecclesia alteram partem eius quaestionis, et sequar libentissime, cessent interim temerarii suorum somniorum assertores. Ego dubito et disputo, an habeant†) potestatem iurisdictionis in purgatorium. Et quantum hucusque lego et video, teneo negativam, paratus tenere affirmativam, postquam ecclesiae sic placuerit.

Interim hic loquor de potestate virium, non iurium, de potestate operandi, non imperandi, ut sit sensus: Papa nullam quidem habet potestatem in purgatorium, sicut nec ullus alius Pontifex. Si autem habet aliquam, talem certe habet qualis sit et inferioribus participata. Haec autem est, qua papa et quilibet Christianus potest suffragari, orare, ieiunare etc. pro animabus defunctis, papa generaliter, episcopus particulariter, Christianus individualiter. Patet itaque conclusio verissima. Sicut enim papa una cum tota ecclesia suffragatur animabus (quale fit in die omnium animarum), ita quilibet episcopus cum sua dioecoesi id facere potest (sicut fit in diebus, quos vocant communes) et curatus in sua parochia (sicut fit in exsequiis et anniversariis) et quilibet Christianus in sua devotione. Aut ergo nega, suffragium esse intercessionem, aut concede quemlibet praelatum cum suis subiectis posse suffragari animabus. Haec igitur puto non esse tam dubia, quam sunt audaces illi sermones de iurisdictione ecclesiae in purgatorium.

---

1) Ibid.: prae. 2) In ed. princ.: 12. 3) In ed. Jen.: his. †) In ed. princ: habeat.

Conclusio XXVI.

Optime facit papa, quod non potestate clavis (quam nullam habet), sed per modum suffragii dat animabus remissionem.

Non credo necessarium iterum protestari, quid disputem, aut quid asseram. Sed cum nostro seculo sint tam zelosi haereticae pravitatis inquisitores, ut Christianissime catholicos vi conentur ad haeresim adigere, opportunum fuerit super singulis syllabis protestari, nam quid aliud fecerint Johannes Picus Mirandulanus, Laurentius Valla, Petrus Ravennas, Johannes Vesalia, et novissime diebus istis Johannes Reuchlin, atque Jacobus Stapulensis, ut inviti cogerentur et bene sentiendo male sentire, non facile viderim, nisi quod omiserint forte protestationem super singulis (ut dixi) syllabis, tanta est hodie in ecclesia puerorum et effeminatorum tyrannis.

Itaque protestor denuo, duo in ista conclusione me facturum, primum de potestate clavium in purgatorium disputare, et negativam probare, donec alius affirmativam melius probet, secundo de modo illo suffragii inquirere.

Primum probo sic.

Primo, per illam vulgatam Hostiensis rationem, videlicet, Si claves sese ad purgatorium extenderent, possent evacuare purgatorium. Atque crudelis esset papa, quod non evacuat purgatorium.

Hanc solvunt sic: Papa potest, et [1]) non debet evacuare, nisi subsit iusta causa et rationabilis, ne adversus iustitiam divinam temere agat. Hanc frigidam et oscitantem solutionem vix puto proferrent, nisi vel non adverterent, quid loquuntur [2]), vel inter vitulos marinos profundissime stertentes se loqui arbitrarentur. Ita fit, ut ex uno absurdo dato plura sequantur. Et ut ille ait: Septem mendaciis eget unum mendacium, ut verum videatur.

1) In ed. Jen.: sed. 2) Ibid.: loquantur.

Igitur argumentum vix potuit robustius firmari, quam tali solutione. Quaerimus enim, quod tandem nomen erit huius causae rationabilis? Constat autem, quod vel pro bello contra infideles, vel pro structura sacra aut communi aliave necessitate huius vitae indulgentiae donantur. Sed nulla illarum tanta est, quin incomparabiliter maior sit caritas, iustior et rationabilior. Si itaque iustitia divina non offenditur, si propter corpora fidelium, et res eorum tuendas [1]), aut propter inanimatas fabricas, aut usum huius corruptibilis vitae brevissimum remittuntur tot, quot voluerit (etiamsi omnes in eo numero comprehendis, ut sic etiam evacuetur purgatorium), quanto magis non offenditur, si pro sancta caritate redimantur omnes? Nisi forte iustitia divina tam est iniqua, aut forte melancholica, ut plus faveat caritati in corpora et pecunias viventium, quam in animas tam egenas exhibitae. Maxime cum tanta res sit succurrere animabus, ut fideles debeant malle servire Turcis et corporaliter occidi, quam animas non redimi. Si ergo propter id, quod minus est, infinitas, et forte per hoc ipsum omnes redimet, cur non et propter id, quod maximum est, id est, caritatem? Hic tamen ego illis angustia clausis consilium dederim, ut dicant causam rationabilem nullam esse posse, ut sic secure elabantur huic obiectioni. Et ita si papa possit quoad se, non tamen potest quoad causam, quae esse non potest.

Secundo, ipse stilus papae idem probat, in quo dicitur de iniunctis poenitentiis. Manifestum est autem, quod tantum donat, quantum sonat, et eo modo donat, quo sonat, ut sic episcopus 40, Card. 100 dies de iniunctis poenitentiis, ita papa prorsus omnes plenarie dies de eisdem iniunctis relaxat, sed purgatorii poenas nulla clavis iniunxit.

Hic vero bellus quidam somniator sic fabulatur: Quando papa dicit: Damus indulgentias om-

---

1) In ed. princ.: tuenda.

nium peccatorum de poenitentia iniuncta, intelligitur de poena imposita per sacerdotem. Quando autem dicit: Damus indulgentias omnium peccatorum, de quibus contriti et confessi fuerint, tunc non remittuntur oblita vel ignorata. Quando vero dicit: Damus remissionem omnium peccatorum, tunc evolaret, si moreretur. Et sic in manu papae est, quos volet salvare. O furor. Vide pronunciatorem hunc, quam secure asserit [1]), ac si oraculum ederet. Cui si dicerem, obsecro te, unde probabo haec, si fuero iussus rationem reddere huius fidei? fortasse nova alia finget mendacia, quibus illa priora statuat magna maioribus. Infelices Christiani, qui coguntur omnia audire, quaecunque tandem nugari libuit ineptissimis hominibus, ac si non haberemus ipsam scripturam, quam praecipiente Christo populum doceremus, et tritici mensuram, non lapparum et tribulorum cados illis tribueremus.

Inter cetera portenta, quae hic suavissimus autor fingit, id quoque nobis audet persuadere, quod in manu papae sit remittere vel non remittere, ignorata vel oblita, quasi non sciat universa ecclesia, quod post omnem solutionem papae cunctis fidelibus restet dicere *): Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine. Et quod etiam bona opera nostra cum Job **) vereri oporteat, ne inveniantur apud Deum horrenda peccata. At [2]) clavis ecclesiae bona opera, si sint mala coram Deo necne, nescit, nec iudicat, multo minus remittit.

Secundo, procedit eius somnium ex laboriosa illa et inutili arte confitendi, imo desperandi et perdendi animas, qua hucusque docti sumus arenam numerare, id est, singula peccata discutere, colligere atque ponderare, ad faciendam contritionem. Quod cum fecerimus, fit ut refricemus vel concupiscentias vel odia praeteritorum memoria, et dum conterimur de praeteritis, nove peccemus. Aut certe si fiat op-

1) In ed. Jen.: asserat. 2) Ibid.: An.
*) Psal. 19. **) Job. 9.

tima contritio, sit tantummodo violenta, tristis, mereque factitia, de metu poenarum simulata duntaxat. Sic enim docemur peccata conteri, id est, ad impossibile vel ad peius conari.

Cum vera contritio sit incipienda a benignitate et beneficiis Dei, praesertim a vulneribus Christi, ut homo ad sui ingratitudinem primo veniat ex intuitu divinae bonitatis, et ex illa in odium sui ac amorem benignitatis Dei. Tum fluent lacrimae, et odiet se ipsum ex corde, citra tamen desperationem. Tum odiet peccatum, non propter poenam, sed propter intuitum bonitatis Dei, qua inspecta conservatur, ne desperet, et sese ardentissime odiat, etiam cum gaudio. Sic dum fuerit unius peccati vera contritio, omnium simul erit. Sic Rom. 2: Ignoras, quod benignitas Dei te ad poenitentiam adducit? O quam multi id ignorant, S. Paule, etiam aliorum magistri. Sic enim in Nume. *) legimus filios Israel non fuisse a serpentibus suis ignitis liberatos per intuitum et horrorem eorum, sed potius averso intuitu ab eis et ad serpentem aeneum (id est, Christum) converso. Item et ab Aegyptiis visis territi sunt, sed dato eis dorso mare transeuntes salvati sunt **). Ita sunt peccata nostra in vulnerato Christo magis quam in nostra conscientia tractanda. Illic enim mortua sunt, hic vivunt. Alioquin si illorum carnificina servanda est, fieret, ut, si quis subito ad mortem raperetur, non possit salvari, quia non habet tempus colligendi peccata. Sed habent quod hic dicunt [1]).

Quare ad commentum illius commentatoris dici potest: In omni remissione summi pontificis, praesertim illa publica et coram ecclesia (ut fit in veniis), debet subintelligi ista clausula de iniunctis poenitentiis, sive sint peccata oblita, sive ignorata. Haec enim ad forum ecclesiae non pertinent.

Ortum est autem istud pelagus sermonum (ut mihi

---

*) Nume. 2. **) Exod. 14.

1) In ed. Jen.: dicant.

videtur) ex quadam incuria inspiciendae originis indulgentiarum. Nam tunc temporis, quando vigebant canones poenitentiales, magnum erat relaxare quatuor dies, post hoc coeperunt centum dare [1]), deinde mille dies, tandem multa milia dierum, et anni, et annorum centenaria et millenaria. Sic enim paulatim processit maior ac maior largitas veniarum. Post haec coepit septima pars omnium peccatorum remitti, deinde tertia pars, novissime dimidia pars, ac sic perventum est ad plenariam remissionem omnium peccatorum, ut satis potest videri adhuc in Stationibus urbis Romae. Quod si in primis gradibus intelligitur poenitentia iniuncta, certe et in plenaria remissione intelligenda est.

Tertio, iterum stilus papae dicentis, per modum suffragii. Oportet enim diversum esse modum suffragii a modo potestatis. Quod si ipsi papae (sicut debemus) plus credemus, quam illis et nobis ipsis, patet nullam potestatem, sed suffragium valere in purgatorium. Tutius est mihi cum papa sentire, quam cum illis. Papa non arrogat sibi potestatem, sed suffragium sibi vendicat. Et satis miror, qua fiducia illi contra expressam prohibitionem c.: Cum ex eo, plus audeant praedicare, quam in literis papae continetur, cum suffragii modus ibi solum contineatur. Quod si sic intelligunt, non habet potestatem quidem iurisdictionis in purgatorium, sed tamen habet potestatem clavium applicandi suffragia in illud.

Hic dico et ego, quod hoc nemo negat. Potestas applicandi, sive suffragia, sive satisfactiones, sive laudes Dei, prorsus est in manu summi pontificis. Verum an illa potestas sic sit solius papae, ut non etiam aliorum pontificum sit, ut conclusione praecedenti dictum est, vel quid ego nondum intelligo in isto modo applicationis, in secunda parte huius conclusionis dicam. Interim hanc primam prosequamur.

Quarto, et omnium fortissime, Christus non am-

1) Ibid.: dari.

biguis, sed claris, apertis, rotundis verbis dicit *): Quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit et in coelis, et quodcunque solveris super terram, solutum erit et in coelis. Non frustra adiecit, Super terram, alioquin, nisi restringere voluisset potestatem clavium, satis fuerat dixisse, Quodcunque solveris, solutum erit. Aut ergo Christus ut nugator superfluit verbis, aut potestas clavium solummodo est super terram.

Sed hic, o bone Deus, quam prompta est quorundam superstitio, qui sine scitu et sine voluntate papae volunt in his verbis potestatem ei dare, ubi ipse suffragium sibi usurpat duntaxat. Et cum sentirent haec verba Christi sibi fortiter resistere et errorem confutare, non id egerunt, ut erroris patrocinium desererent, et verbis Christi incorruptis sensum suum accommodarent, sed contra[1]) verba eius sensui suo corrupto accommodant et torquent, dicentes: Illud, super terram, potest dupliciter construi, uno modo, ut ad solventem, alio modo, ut ad solvendum pertineat. Et primo modo esse Christum intelligendum, scilicet, quodcunque Petrus, dum fuerit super terram, solverit, solutum erit et in coelis. Volentes forte, quod, etsi diabolum solveret (modo ipse solvens super terram sit), solutus erit in coelo. Nam qui dicit: Quodcunque, et nihil addit quo restringat, omnia certe solubilia esse ostendit. Nescio, quibus verbis hanc rudem et insulsam superstitionem, imo temeritatem insecter. Hieronymiano stomacho et eloquio dignus hic erat autor, ut sanctorum verbum Christi tam audax violentia et corruptio vindicaretur. Et ut omittam grammaticam, quae vel sola potuit eos docere, non posse hunc eorum sensum istis verbis stare, sed magis novas dialecticas, quam veram sequuntur grammaticam.

Videntur isti eo usque sapuisse, quasi Christus timuerit, ne quando talis Petrus vel papa foret, qui

---

*) Matth. 16.
1) Ibid.: econtra.

et mortuus vellet ligare et solvere, et ideo necessarium ei fuerit, tam insignem mortuorum pontificum ambitionem et tyrannidem praevenire ac prohibere, ne ligent aut solvant, nisi dum fuerint in vita et super terram. Et forte (ut tam dignos scripturae interpretes digne laudemus [1]) nec sine causa sic timuit Christus, ne videlicet aliquando contingeret, ut mortuus pontifex aliquid ligaret, et suus successor vivus idem solveret. Tum fieret magnus error in coelo, et Christus anxius ignoraret, cuius illorum approbaret officium, ut qui temere permisisset utrisque idem officium, nec addiderit, super terram, ut mortuus compesceretur. Si enim ita non sapiunt, quid aestuant? Quid laborant ostendere, quod super terram ad solventem pertinet? Ecce o vere aureum opusculum aurei doctoris *) et aureis literis dignissimum, et, ne nihil non sit aureum, aureis discipulis tradendum, illis videlicet, de quibus dicitur **): Simulacra gentium aurum et argentum, oculos habentia et non videntia etc.

Recta via isti incedunt contra Christum, Christus enim ideo addidit, Super terram, ne pontifex, qui non potest nisi super terram esse, praesumat id ligare aut solvere, quod non sit super terram, velut data opera nostri temporis adulatores foedissimos praeveniens et prohibens, qui invito et recusanti pontifici regnum tradere incipiunt inferorum. Hos S. Hieronymus pro suo fervore dixisset theologos, id est, Deum loquentes, eum autem puta, qui apud Virgilium magnum vatibus inspirat furorem. Sed tamen agamus contra eos.

Primo, si per hanc intelligentiam claves solvunt mortuos, ergo et ligant, quia utrinque additur, Super terram, dicens: Quodcunque ligaveris super terram. Ergo et hic oportet eadem industria et acumine nobis distingui, super terram dupliciter

---

1) In ed. princ.: ludamus.
*) In inquisitorem Tetzel monachum. **) Psal. 135.

construi, uno modo, ut ad ligantem, alio modo ad ligandum pertineat, ut sic concludant nobis, pontificem posse ligare sub terra, in purgatorio, modo id curemus (opere videlicet medicorum), ut id vivus faciat, et dum fuerit super terram, nam mortuus non posset ligare. Quod si ista prima pars verborum Christi non recipit hanc torturam et violentam elusionem, ut ipsimet, quantumlibet sint sine iudicio, asserunt: qua fronte audebunt alteri parti eam vim facere, cum sit simili schemate per omnia composita? Nisi forte illis more suo omnia licuerit univocare, et aequivocare et amphibologisare et paralogisare, sicut libuerit et ubi libuerit. Dicant ergo, quod super terram in prima parte pertinet ad ligandum, sed in secunda parte pertinet ad solvendum, quandoquidem et maiora monstra in sacras etiam literas [1]) invexerunt pro sua laudabili consuetudine.

Quare cum omnes negent, claves posse ligare in purgatorio, necesse est negare, quod possint solvere, cum sint illae duae potestates aequales, et aequaliter a Christo ecclesiae suae datae. In hac sententia sunt quidam non pessimi iuristae, an saniores ceteris, viderint illi.

Secundo ex ipsa antithesi ista sententia etiam confutatur, quia, sicut In coelis utique ad solvendum in coelis respicit, ita super terram ad solvendum super terram respiciat oportet. Et rursus, In coelis, ad ligatum, quare et Super terram ad ligatum referri debet. Unde Christus velut de industria non dixit: Ego solvam in coelis, sed solutum erit in coelis, ut, si quis primo verbo, scilicet, Quodcunque solveris super terram, falsae intelligentiae calumniam quaereret, insequente retunderetur, nec permitteretur ad solvendum aptare, quia solutum in coelis cogit certe intelligi solutum in terra, non solventem, et ligatum in coelis cogit intelligi non ligantem, sed ligatum in terra, aut saltem utrumque.

1) Ibid.: sacris etiam literis.

Tertio, si clavis tenditur in purgatorium, quid frustra laborant? Cur non tollunt verbum suffragii? Cur non persuadent pontifici, ut dicat per modum potestatis, et autoritate potius, quam suffragio solvere et ligare? quippe, Quodcunque solverit (tantum caveat ne sit mortuus), solutum erit. Quid nos obtundit vocabulo suffragii, quod nemo intelligit potestatem, sed omnes intercessionem? Quin amplius faciemus [1]), et rogemus papam, ut purgatorium omnino tollat de rerum natura. Si enim claves ecclesiae, etiam quoad solvendum duntaxat, illuc sese extendunt, erit in manu eius totum purgatorium. Quod probo sic, det omnibus in illo existentibus remissionem plenariam, secundo, omnibus morituris Christianis eandem similiter det remissionem, tunc certum erit, ut nullus in eo maneat, nullus in ipsum veniat, omnes autem evolent, et cesset purgatorium. Debet autem id facere, et subest iustissima causa, scilicet caritas, quae per omnia, super omnia, in omnibus quaerenda. Nec timendum est, quod iustitia divina offendatur a caritate, ad quam potius ipsa nos urget. Quod cum factum fuerit, deponamus totum officium defunctorum, satis hodie molestum, et neglectum tamen, mutemusque id in officia festiva.

Quarto et ultimo, si purgatorii poena est castigatoria et afflictiva, ut supra 5. conclusione, tunc certum est, eam non posse solvi potestate clavium. At non esse aliam, satis puto ex sufficienti divisione patere. Patet itaque prima pars huius conclusionis, ac per hoc tota satis probabiliter firmata, quod suffragium, non iurisdictio intret purgatorium.

Secundum, scilicet modus ille suffragii, etsi non fuit a me positum, ut inquireretur, nec requiritur ad positiones meas scire, quis aut qualis sit, tamen volens exponam me in eo, quod iuste poteram omittere, ne videar angulum quaerere, salva sem-

---

1) In ed. Jen.: faciamus.

per mea protestatione, quod non meum, sed pontificis, imo ecclesiastici forte concilii sit statuere, quis sit ille modus. Meum est inquirere et disputare, ac rationibus adductis, quid intelligam aut nondum intelligam, indicare. Ergo duplici via impenditur suffragium animabus.

Primo re ipsa et officio praesente, sicut fit, cum sacerdos cum populo orat, ieiunat, sacrificat, aliaque facit nominata opera pro nominatis animabus, de quo suffragio nullum dubium est, quin vehementer prosit, et redimat animas, secundum quod Deo visum fuerit, et illae meruerint secundum B. Augustinum. De isto superius dixi conclusione praecedenti, quod talem potestatem habet episcopus specialiter, qualem papa generaliter, scilicet[1]) non iurisdictionis, sed suffragii faciendi in purgatorium. De isto modo hic non quaeritur, ut notum est.

Secundo, impenditur sine officio vel opere, sed mera iurisdictione per literas vel [2]) voces pronunciata. Et id quoque ex duobus thesauris. Primus est triumphantis ecclesiae, qui est meritum Christi et Sanctorum eius superabundantius quam debuerant merentium. Et hunc esse relictum in ecclesia, ut hic remuneretur et compensetur, dicunt illi. Alter est militantis ecclesiae, ut sunt merita bona opera viventium Christianorum, quae habeat summus pontifex in manu sua, applicare ea, vel pro satisfactione poenitentium, vel suffragio defunctorum, vel pro laude et gloria Dei. Sic enim et ego aliquando et docui et scripsi, papam tripliciter habere militantis ecclesiae merita in potestate, primo, ut ea offerat Deo pro satisfactione aliorum, secundo, pro suffragio animabus, tertio, in laudem Dei. Et hanc facultatem spiritualem, si vera est, in suis dioecoesibus habere episcopos, firmiter credo. Aut si erro, revocet me qui potest. Alioquin quomodo stabunt sine errore fraternitates illae, in quibus sibi communicant sua studia et opera tam maiores quam minores

1) Ibid.: sed. 2) Ibid. additum: per.

praelati? item monasteria et ordines, et hospitalia et parochiae. Id enim non potest verum intelligi, nisi quod tali modo unius opus pro altero satisfacit, suffragatur et glorificat Deum.

Dico itaque:

Quamquam ego prorsus non intelligo, quomodo sint ista merita militantis ecclesiae in manu papae, tamen interim sic pie credam, donec suus Gordus hunc nodum dissolvat. Causa autem, quare non intelligam, est haec:

Prima, si pro viventibus viventium offert opera, iam non video, quomodo sit remissio gratuita, et non potius vera et iusta satisfactio et persolutio usque ad novissimum quadrantem. Licet enim illi non operetur, cui fit remissio, alii tamen operantur et satisfaciunt. Tunc enim id fiet, quod omnes constanter negant, scilicet, quod concedens oneret se ad satisfactionem, vere enim papa tunc non remitteret sed [1]) satisfaceret, scilicet per sibi subiectos.

Secunda, quod sic claves ecclesiae nihil prorsus facerent, nisi quod iam de facto fit in ecclesia, etiam sine clavibus. Nam ex lege caritatis quilibet pro quolibet tenetur orare, et apostolus ait: Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Tertia, quod nomen indulgentiae huic sententiae repugnat, quia debet illud indulgere, id est, remittere, ut non faciat quod debet [2]), non autem imponere alteri, vel impositum dicere, ut indulgentia prorsus exstinguat debitum, non autem per alium solvat. Quare videtur potius, sine isto thesauro, nuda sufficere potestas clavium ad indulgentias, maxime cum remittatur tantummodo canonica, non autem evangelica satisfactio. Aut iterum hic dicendum erit, ut supra de remissione culpae dictum est, quod sic etiam remittat per hunc thesaurum poenas, id est, declaret id fieri, quod etiam sine eo fit,

1) In ed. Jen. deest: sed. 2) Ibid.: decet.

scilicet ecclesiam pro eo satisfacere, cui remittitur, quomodo B. Augustinus dicit, neminem suscitari, nisi quem suscitat unitas ecclesiae, ut in vidua figuratum dicit. Sed adhuc durat ratio prima et secunda, quod sit tunc potius satisfactio, quam remissio, sive declaretur sive concedatur.

Quarta, thesaurus ille ecclesiae militantis magis operatur gratiam spiritus, quam remissionem poenarum, et videtur satis viliter tractari, si pro poenarum remissione applicetur, cum remissio poenarum sit vilissimum donum in ecclesia, etiam impiis donabile, et sola clavis potestate, ut videtur.

Dico secundo [1]:

Non intelligo, quomodo aut quid fiat, quando papa eundem thesaurum applicat pro suffragio defunctorum. Causa est haec:

Prima, quia iterum non plus videtur facere, quam quod de facto fit. Nam universa ecclesia de facto orat et suffragatur pro defunctis, nisi iterum hic putetur id facere declarative. Nec video, quid illud obstet, quod dicitur de missa, quae plus prodest, si per sacerdotem uni applicetur, quam si sine applicatione pro omnibus celebretur. Fateor id verum a me credi, sed papa, ut summus et generalis omnium sacerdos, certe non potest nisi generaliter applicare, imo debet id facere, etiam sine literis veniarum.

Secunda, cum per indulgentias non remittantur nisi poenae canonicae, prorsus non possum intelligere, quid animabus remittatur, cum canones eas non ligent. Denique in morte sunt ab illis absolutae, cum omnis sacerdos sit papa in hora mortis. Item quod nulla anima patitur in purgatorio pro criminibus et mortalibus peccatis, sed tantum pro venialibus, ut dist. XXV. c. Qualis. Canones autem venialibus, imo mortalibus occultis non sunt impositi, sed tantum criminibus cognitis, ut supra

---

1) Ibid.: secunda.

dictum. Dicat ergo qui potest, quomodo indulgentiae suffragantur illis, id est, remissiones canonum, nisi non tantum indulgentias largiatur, imo illis velut in superabundantem cautelam datis (vel ut[1]) solent etiam mortui absolvi in facie ecclesiae), simul involvat ultra indulgentias applicationem meritorum ecclesiae. Et tunc certe[2]) indulgentiae non fiunt suffragium, sed cum suffragio, tanquam altero dono, dantur animabus, id est, declarantur dari, vel applicantur.

Dico tertio:

De thesauro meritorum Christi et sanctorum ad remissionem poenarum applicato dicam infra in sua conclusione 58. Vides ergo quam sint omnia obscurissima et dubiosissima, ideo periculosissima doceri.

Id unum dico et video, quod papa (In Cle. de poe. et re. c. Abusionibus) damnare videtur hanc sententiam de redimendis animabus per indulgentias, dum dicit: Animas de purgatorio, ut asserunt, mendaciter extrahunt, ubi glossa super verbo, mendaciter, quia, inquit, sunt iudicio Dei reservatae. Et allegat ad hoc dist. XXV. C. Qualis. Et certe mihi videtur recte sentire. Nam si per suffragium redimantur, non utique sequitur eas statim evolare, non est idem suffragari et redimere seu liberare. Itaque ego hucusque sapio, quod video indulgentias et suffragium meritorum ecclesiae esse duas res diversissimas, alteram sine altera, et cum altera dari potentem. Indulgentiis sufficit sola potestas clavium, sine addito illo thesauro, qui tamen potest addi, vel solus dari. Solus datus facit participem bonorum, ut satis supra est dictum.

Haec si essent certa et vera, sequeretur, quod indulgentiae, in quantum tales, prorsus nihil prodessent animabus, nisi quod coram ecclesia absolverentur (id est, denunciaretur eas esse absolutas), aut si prodessent, non id fieret virtute ipsarum, sed

---

1) In ed. Jen.: velut. 2) In ed. princ.: certae.

alia adiuncta illis donatione, scilicet meritorum ecclesiae. Quae donatio iterum distinguenda est a generali applicatione, qua ecclesia de facto per illa suffragatur animabus, sine papae applicatione, et videndum quid ipsa valeat. Sed etiam aliis relinquendus est inquirendi labor, quibus est nondum fessum studium in tantis dubiis.

Nunc obiicitur:

Primo, celebre habetur, quod quidam Magister Parisiis tenuit in disputatione sua, summum pontificem habere potestatem in purgatorium, et pontifex eo cognito et mortuo dedit eam assertam remissionem velut commendans.

Respondeo:

Me nihil movet, quid placeat vel displiceat summo pontifici. Homo est, sicut et ceteri, multi fuerunt summi pontifices, quibus non solum errores et vitia, sed etiam portenta placuerunt. Ego audio papam ut papam. id est, ut in canonibus loquitur, et secundum canones loquitur, aut cum concilio determinat, non autem quando secundum suum caput loquitur, ne forte cogar, cum quibusdam male Christum cognoscentibus dicere, quod Julii II. horrendae caedes in Christianum populum fuerint quaedam beneficia pii pastoris in oves Christi collata.

Secundo, B. Bonaventura lib. IV. dist. XX: Non esse resistendum importune, si quis asseruerit papam habere potestatem in purgatorium. Respondeo primum: Autoritas B. Bonaventurae in hac re non sufficit, secundo, quando papa id asseruerit, non erit resistendum, tertio, Bonaventura recte dicit quia addit, se ipsum exponens, dummodo id constet per autoritatem manifestam aut dictamen rationabile. Sed illa nondum constat manifesta autoritas.

Hic vero obiicitur:

Primo Sixtus IV. determinasse dicitur, quod per

suffragium ille modus nihil minuit plenitudinem indulgentiarum.

Respondeo:

Primum, si quis pertinax esse vellet, diceret: Probo quod dicis, optime pater, maxime cum solius papae non sit novos fidei statuere articulos, sed secundum statutos iudicare et descindere quaestiones fidei. Hic autem erit articulus novus, ideo ad universale concilium pertinebit eius determinatio, multo magis quam conceptio B. Virginis, praesertim cum hic nullum, illic multum et magnum sit animarum periculum. Alioquin cum papa sit unus homo, qui errare potest in fide et moribus, periculo assidue laboraret totius ecclesiae fides, si quicquid ei [1]) visum fuerit, necesse sit verum credi.

Secundo, etiamsi papa cum magna parte ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis, contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. Quod, ne multis agam, illo unico probatur, quod ecclesia Romana etiam cum concilio universali Basiliensi ac tota ferme ecclesia sentit B. Virginem sine peccato conceptam, et tamen, quia altera pars non est reprobata, non sunt haeretici qui contrarium sapiunt.

Tertio, ego dico, mihi nondum visam illam Sixti determinationem, sed haec mihi visa est, quod indulgentiae dantur defunctis per modum suffragii. Ex qua nondum sequitur, quod ideo animae evolent, quibus ille modus datur.

Quarto, non possum esse alieni verbi, multo minus summi pontificis interpres. Quare, donec se ipsum interpretetur, interim opinemur, honoris gratia, defendendo dictum tale incognitum. Dupliciter potest id ipsum intelligi. Primo, modus suffragii non minuit plenitudinem indulgentiae, id est, licet in-

1) In ed. Jen.: sibi.

dulgentiae dentur ibi, non per modum indulgentiae, sed per modum suffragii, tamen tali suffragio et intercessione nihilominus fit, ut evolent omnino, quibus fuerit impensus. Ac sic non solvendo, sed intercedendo evolant. Hanc non teneo, sed illi ita putant dictum.

Secundo, modus suffragii non mi. ple. indulg. id est, applicatio indulgentiarum per modum suffragii permittit eas esse, quod sunt, scilicet [1]) indulgentias plenas, nec tollit id, quod natura sua sunt, solum, quod non agunt, ut indulgentiae, sed ut suffragium. Et hanc admitto et addo, quod si non minuit aliquid, multo magis nihil auget indulgentias illa applicatio suffragatoria. Ex iis sequitur, quod non evolent animae per illum modum. Et id sonant etiam verba, quia non dicit, modus ille suffragii plene redimit animas, sed non minuit plenitudinem indulgentiae, scilicet, quod indulgentiae licet plenae tamen tantum faciunt, quantum facere potest suffragium, nec amplius.

Iterum obiicitur:

Forma absolutionis apostolicae dicit: Remittendo tibi poenas purgatorii, in quantum claves sanctae matris ecclesiae se extendunt. Et hanc formam servant poenitentiarii papae, etiam in urbe.

Respondeo:

Primo, ista sunt extra propositum, quia est forma absolvendi vivorum et morientium, non autem forma applicandi indulgentias iam defunctis.

Secundo, tamen quaerendae veritatis causa dico, quod cum sint dubia et obscure posita ista verba, non potest errari in fide, si quis contra senserit, quam putantur intelligenda. Cur enim trepidat illa forma? cur velut dubitans dicit, in quantum claves sese extendunt? Suspecta est mihi ista tremula [2]) cauda. Non teneor firmiter credere, quod ipse non audet constanter pronunciare. Cur hic solum et

---

1) In ed. princ.: sed. 2) In ed. Jen.: tremenda.

nusquam alibi adiungit, in quantum claves se extendunt? An nondum videmus, quam vigil sit Christus in ecclesia sua, ut etiam errare volentes non permittat errare? si tamen nos ipsos, neglecto eius monitorio, non praecipitaremus in errorem.

Tertio dico, sicut prius, etiamsi papa cum suis poenitentiariis hic non erraret, non ideo sunt haeretici, qui negent eius sensum, aut non credant, donec fuerit concilii universalis iudicio alterutra[1]) partium definita vel reprobata[2]). Sic enim, licet etiam indulgentiis ornarint festum conceptionis tanquam rem certam fidei, non tamen damnant aut ligant eos, qui solutionem talium indulgentiarum non quaerunt. Ita quantumcunque donetur indulgentiarum, formam illam non est necesse credere esse veram, donec statuat ecclesia. Et iterum vides, quanta sit necessitas legitimi et universalis concilii. Sed timeo, nostrum seculum non sit dignum donari nobis tale, sed potius ut operationibus erroris illudamur, sicut meruimus *).

Conclusio XXVII.

Hominem praedicant, qui statim, ut iactus nummus in cistam tinnierit, evolare dicunt animam.

Hominem praedicant, id est, vanitatem et mendacia, secundum illud: Omnis homo mendax, et iterum: Vanitas omnis homo vivens. Atque ista positio secundum meam sententiam non eget probatione, probatur tamen per sequentem Conclu., quia arbitrio Dei, et merito animae valet suffragium ecclesiae. Ideo etiamsi illorum esset vera sententia, quod per modum suffragii prosunt, non sequitur, quod statim evolent.

Primo, non suffragium, sed exauditio suffragii eiusque susceptio liberat, cum non orante ecclesia, sed operante Deo liberentur.

Secundo, natura Deus sic agit, ut cito exaudiat,

1) In ed. princ.: utra. 2) In ed. Jen.: vere probata.
*) 2. Thess. 2.

tardet autem dare, ut patet in omnium sanctorum orationibus et doctrinis, ut probet perseverantiam. Ideo longe distant suffragium, exauditio, exsecutioque eiusdem.

Tertio, quod hoc ipsum nove dicitur, sine autoritate ulla contra prohibitionem canonis, ne quid ultra, quam in literis continetur, dicatur: Non ergo Dei et ecclesiae, id est, vera, sed sua propria, id est, mendacia loquuntur.

Quinto, non differunt ille, qui loquitur falsum scienter, et ille, qui asserit certum, quod nescit esse certum. Sic enim et verum loquens aliquando mentitur. Sed illa iam dicta sciunt sibi esse incerta, et tamen certa affirmant[1]) tanquam evangelia, nulla enim autoritate vel ratione possunt ea certa esse probare.

Sexto, tunc suffragium illud esset melius alieno officio, et per accidens, quam suo proprio, quia non tantum prodest operario, quam alteri, pro quo fit, imo hoc est peripateticum, ideo transeo, maxime cum illi ausint concedere, quod non prosint operario, sed animae etc. Possem et ego istas fabulas ridendas agitare[2]) et illudere, sicut ipsi per eas illudunt veritatem, sed desisto, ne magis dogma, quam problema ponere videar.

Conclusio XXVIII.

Certum est, nummo in cistam tinniente quaestum et avaritiam augeri posse, suffragium autem ecclesiae est in arbitrio solius Dei.

Mirum est, quod non tanto studio atque boatu etiam evangelium Christi praedicatur[3]) saluberrimum. Quae res suspectum facit negotium, quod plus quaestum quam pietatem aestimare[4]) videntur, nisi forte iustissime excusentur per hoc, quod evangelium Christi ignorant. Igitur, cum indulgentiae

---

1) In ed. princ.: non affirmant. 2) In ed. Jen.: exagitare. 3) In ed. princ.: praedicat. 4) Ibid.: existimare.

sint nullius pietatis, nec meriti, nec praecepti, sed licentia tantummodo quaedam, licet opus, per quod rediimuntur, sit pium, videtur omnino quaestus augeri per eas magis quam pietas, dum tam effuse et solae tractantur evangelio vilius vix recitato.

Probo primo, quia suffragium ecclesiae non est iurisdictio papae, nec in manu eius quoad acceptationem Dei, sed tantummodo quoad oblationem, etiamsi stet eorum sententia de animarum redemptione per illud.

Secundo, falsa esset B. Augustini vulgata sententia, quod suffragia tantum iis [1]) prosunt, qui ea sibi prodesse meruerunt, quia potestate papae, non autem merito animae prodessent, cuicunque prodessent.

Tertio, contra naturam et vim vocabuli est, ut sit [2]) in potestate papae, per suffragium redimere, nam quantumcunque opus sit excellens, si ipsum vertitur in suffragium, non ut opus, sed ut suffragium operatur. Exauditio suffragii potius redimit. Aut ergo aliis nominibus de re ipsa loquantur, et tunc peius fallunt, aut si proprio vocabulo de re sua loquuntur, tum non stat sententia eorum, repugnante vocabulo suffragii significationi et intellectui potestatis.

Quarto, tunc prorsus nulla esset differentia inter suffragium et potestatem, nisi voce tantum, re ipsa erunt idem, quia idem efficiunt sine alio requisito ultra voluntatem papae, cur ergo non tacet suffragium, et cessat nos [3]) cogere alia intelligere per suffragium, quam per potestatem.

Hic iterum protestor, optime Lector, me de suffragio eiusmodi loqui, tanquam vere esset tale. Nam meam sententiam dixi supra, quod dubitem, nec intelligam, an sit aut esse possit tale. Quod ideo dico, ne mihi ipsi quisquam contrarium me sibi fingat, dum hic velut assero suffragium, quod prius pene negavi.

1) In ed. Jen.: his. 2) In ed. princ.: sic. 3) Ibid.: non.

Conclusio XXIX.

Quis scit, si omnes animae velint redimi a purgatorio, sicut de sancto[1]) Severino et Paschali[2]) factum narratur.

Non quidem fide dignam scripturam de iis[3]) duobus legi, narrari tamen audivi, quod potuissent suis meritis liberari, si minus voluissent glorificari, ideo potius sustinuerunt quam minuerent[4]) gloriam visionis. Sed in iis[5]) credat quisque quod velit, mea nihil refert. Non enim negavi, quin et alias poenas luant animae in purgatorio, quam supra dixi, sed volui, ut etiam illis remissis non evolarent, nisi et sanarentur in gratia perfecte. Posset[6]) tamen fieri, ut aliquae nollent redimi, ex nimia Dei caritate. Ex eo fit verisimile, quod Paulus et Moses potuerunt velle esse anathema et separationem[7]) a Deo in aeternum. Si tale in vita facere isti prompti erant, non videtur negandum et a defunctis idem fieri posse, de quo exemplum de quadam Virgine vide in Ser. Tauleri, quae sic fecit.

Conclusio XXX.

Nullus securus est de veritate suae contritionis, multo minus de consecutione plenariae remissionis.

Haec dico eorum sententia, qui volunt contritionem esse necessariam ad remissionem poenarum, et non vident, quam vehementer incerta reddant omnia. Et satis patet conclusio. Nam primam partem omnes asserunt, secunda autem necessario sequitur, meo autem iudicio potest fieri certa remissio poenarum, scilicet canonicarum, etiamsi ille dignus non fuerit nec contritus. Non enim contritio, nedum certitudo contritionis, requiritur ad

---

1) In ed. Jen. deest: sancto. 2) Ibid. legitur: Paschale. 3) Ibid.: his. 4) Ibid.: sustinuerunt differri gloriam visionis. 5) Ibid.: his. 6) Ibid.: posse. 7) In ed. princ.: separatio.

poenarum remissionem, quia tenet remissio, etiam si fictis concedatur, cum sit in mera potestate papae.

Illi vero, ut supra quoque dictum est, si alias poenas quam criminum volunt remitti, scilicet, quorumcunque[1]) mortalium peccatorum, faciunt, dum nimium magnificant indulgentias, ut nullae sint indulgentiae, quia nec indulgentiae quidem sunt, si incertae sunt. Incertae vero sunt, si nituntur super absolvendi conscientiam, non super clavium potestatem, maxime vero, si et super omnium peccatorum mortalium, non tantum criminum manifestorum contritione nituntur, cum nullus certus sit, se sine peccato mortali esse. Certus autem esse potest, quod sine crimine est, id est, sine peccato, de quo coram ecclesia possit accusari, ut supra. Ideo illam conclusionem nego esse veram, meo sensu loquens. Posui autem, ut viderent illi absurditatem suae iactantiae, qua indulgentias extendunt.

Conclusio XXXI.

Quam rarus est vere poenitens, tam rarus est vere indulgentias redimens, id est, rarissimus.

Iterum eorum loquor sententia, ut videant suae licentiosae praedicationis temeritatem, imo contradictionem, qui cum tam multis eas prodesse clamitent, et tamen confitentur paucos esse, qui angustam viam ambulant, nondum erubescunt, neque attendunt quid loquantur. Sed nec mirum, non enim susceperunt officium contritionis et angustae viae docentiae. Meum itaque sensum dico, quod etsi pauci sint contriti, multi, imo omnes in tota ecclesia possunt esse liberi a poenis canonum, per ablationem canonum, sicut et vere nunc sunt.

Conclusio XXXII.

Damnabuntur in aeternum cum suis magistris, qui per literas veniarum securos sese credunt de sua salute.

---

1) In ed. princ.: quarumcunque.

Hanc assero et probo. Sic Jerem. XVII: Maledictus, qui spem suam ponit in homine, et ponit carnem brachium suum. Non est enim nobis ulla fiducia salutis, nisi unus Jesus Christus, nec aliud nomen sub coelo datum, quo nos oporteat salvos fieri. Act. XV. Pereat ergo fiducia in mortuis literis, in nomine veniarum, in nomine suffragiorum. Secundo, sicut dixi, literae et veniae nihil conferunt salutis, sed tantummodo auferunt poenas, nec nisi canonicas, nec has omnes tamen. Atque hic mecum utinam terra et plenitudo eius gemeret ac fleret super seductionem populi Christiani, qui passim indulgentias non aliter intelligunt, quam salutares et ad fructum spiritus utiles. Nec mirum, cum non exprimatur eis rei manifesta veritas. Infelicissimi Christiani, qui nec in suis meritis, nec in sua conscientia bona possunt confidere de salute, docentur confidere in scriptam et creatam papyrum, cur non ita loquar? quid enim amplius ibi confertur, rogo? non contritio, non fides, non gratia, sed tantummodo externi hominis poenae a canonibus statutae.

Atque ut paulum digrediar, audivi ego ipse multos, qui datis pecuniis et redemptis literis totam fiduciam in illas posuerunt. Ita enim vel audierant (ut dicebant) vel (ut ego honoris gratia credo) intellexerant praecones veniarum docere. Non hic eos [1]) taxo, sicut nec mihi licet, qui non audivi praecones veniales, excusent sese ultra nivem candidius, mea causa licebit, certe populi redarguendi sunt aures tam illotae, ut illis salutaria dicentibus ipsi non nisi pestifera audiant.

Sed [2]) dum illi dicunt: Ante omnia fratres in Christum credite, atque confidite, et poenitentiam agite, crucem vestram tollite, Christum sequamini, mortificate membra vestra, discite poenas et mortem non formidate [3]). Ante omnia mutuam inter vos caritatem habete, invicem servite, etiam neglectis

---

1) In ed. Jen. deest: eos. 2) In ed. princ. legitur: scilicet. 3) In ed. Jen.: formidare.

veniis. Primum pauperibus et egenis subvenite. Haec, inquam, et similia tam pia, religiosa[1]), et sancta illis narrantibus, insipiens vulgus novo miraculo subversus[2]) longe alia audit, scilicet haec:

O vos insensatos et crassi cordis homines, bestiis prope similes, qui non percipitis tantam effusionem gratiarum. En coelum undique apertum nunc est, si nunc non intres, quando unqnam intrabis? En tot potestis redimere animas. O vos duros, duros[3]) et negligentes, duodecim denariis patrem extrahere potes, et tam ingratus parenti in tantis poenis non succurris? Ego sane in extremo iudicio excusatus sum, vosque magis accusati, quod tantam neglexeritis salutem. Dico tibi, si vel unam solam tunicam habes[4]), hanc quoque exuendam, et distrahendam iudico, ut tantas gratias obtineas.

Tum vero ubi ventum fuerit ad oblocutores gratiae, cum illi meras benedictiones inundent etiam, stat tremens vulgus, et coelum ruiturum ac terram hiaturam formidat, longe peiores, quam infernales poenas sibi minari audit, ut verum forte sit, quod, ubi illi maledicunt, Deus benedicit eorum maledictionibus, et, ubi benedicunt, Deus maledicit. Nam qua via fieri potest[5]) alia[6]), ut illi audiant tam aliena ab iis, quae isti loquuntur? Sed nec omnia credo, quae populus passim sese audisse dicit, alioquin haeretica, impia, blasphema illis etiam[7]) praedicata putarem.

Non credo verum esse, quod unus illorum prohibuit fieri exsequias defunctorum, et sacerdotum refectionem[8]), sed magis ut imponerent in cistam, qui exsequias et missas parentaliaque vellent[9]) peragere. Populus haec etiam fingit. Non credo

---

1) In ed. Jen.: et religiosa. 2) Ibid.: snbversum. 3) Ibid.: O duri, duri. 4) Ibid: haberes. 5) Ibid.: possit. 6) Edit. Jen. sic pergit: ut illi tam aliena loquantur ab his, quae audiunt, quis possit intelligere? Unde istae, quaeso, verborum larvae? Sed nec omnia tamen credo, quae etc. 7) In ed. Jen. deest: etiam. 8) In ed. Jen. legitur: invitationem. 9) Ibid.: vellet.

fabulam illam mendaciis refertam ab ullo dictam, videlicet, quod in quodam loco nescio quot milia (si recte memini, tria vel quinque) animarum fuerint redempta per has venias, inter quas solum tres fuerunt damnatae, quia detraxerant indulgentiis. Nemo hanc dixit, sed passionem Christi narrantibus talia populus audivit, aut postea audisse finxit. Non credo verum, quod passim sive vectoribus, sive hospitibus, aut alias servientibus pro pretio dant quatuor, quinque, vel quot[1]) libitum fuerit, animas.

Non credo, quod in pulpitis, postquam impetuoso mugitu despumaverint suas exhortationes, et[2]) ut populus imponat, clamaverint[3]): Impone, impone, impone (hanc enim populus vocem caput et caudam, imo et ventrem ac totum pene sermonem esse fingit), tum ut apostolici praedicatores rem non verbis modo, sed exemplo quoque[4]) docent, descendunt, primique ad cistam eunt, in omnium oculis, irritantes et provocantes simplicem et stultum populum, ut penitus exsugant medullas eius. Imponunt itaque splendido gestu atque sonoro tinnitu, tum mirantur, si non pluant ceteri omnes totum aes suum, arrident imponentibus, indignantur omittentibus[5]). Non dico ego istas nundinas esse animarum et monopolia, populo[6]) indignor, qui tam pia studia pro sua ruditate, non speciem, sed usque ad furorem, avaritiam interpretatur. Quamquam mihi forte dignus venia videatur populus, qui ex istis novis spiritibus vel novam mentem, vel errorem accipiat, cum prius magis audire sit solitus, quae ad caritatem et humilitatem pertinent[7]).

Sed si catalogum portentosorum audituum velim percensere, novo volumine fuerit opus. Ego vero mea sententia credo, si indulgentiae essent etiam praeceptae et salutares, tamen quia in tam grandem sunt nunc abusum et scandalum redactae,

---

1) In ed. Jen.: quod. 2) Ibid. deest: et. 3) In ed. Jen. legitur: clamitent. 4) In ed. Jen. deest: quoque. 5) Ibid. legitur: omittentes. 6) Ibid.: populum. 7) Ibid.: pertineant.

ut vel haec sola causa satis iusta fuerit[1]), ut universae tollerentur, ne forte, si diutius permittantur vigere, tandem praecones earum prae pecuniarum amore insaniant. Vere quidem credo, non omnia ab illis dicta esse, quae passim feruntur, verum debuerant saltem populum in hoc arguere, et sese clarius exponere, aut, quod melius est, secundum canones modeste loqui de indulgentiis.

Conclusio XXXIII.

Cavendi sunt nimis, qui dicunt, venias illas papae donum esse illud Dei inaestimabile, quo reconciliatur homo Deo.

Pestilentes haereticos debueram eos dicere, quid enim magis impium et haereticum, quam dicere, indulgentias papae esse gratiam reconciliationis Dei? Verum ut stomachum meum premam, volo potius eos nulla malitia aut voluntate talia dixisse aut posuisse, sed mera inscitia, et tam eruditionis quam ingenii penuria, licet et in hoc sit temeritas, quod tam indocti non potius bubulci opus fecerunt, quam opus docendarum animarum Christi subirent. Audiamus itaque istum bubulcum sua verba grunnientem. Sic enim in libello suo, postquam indulgentias in quatuor principales gratias distribuerat, et multas alias minus principales, prima, inquit, gratia principalis est plenaria remissio omnium peccatorum, qua quidem gratia nihil maius potest dici, eo quod homo peccator et divina gratia privatus per illam perfectam remissionem et Dei gratiam denuo consequitur. Haec ille:

Obsecro, quae haereticorum sentina tam haeretice unquam locuta est? Vel ex hoc loco disce, qua causa fiat, ut, cum illi sese sanctissima docere dicant, populus tamen tam impia audiat. Utinam hic sit divi Hieronymi zelus et eloquium. Pudet me tantae temeritatis, quod iste blaterator non fuerit veritus eum libellum edere in faciem quatuor

1) In ed. Jen.: sit.

illustrium et circumiacentium universitatum, ac si omnino ibi ingenia versa essent in fungos putidos. Doleo et haereticis nostris propinquis Pighardis tandem venisse occasionem iuste criminandi ecclesiam Romanam, si haec in ea doceri audierint.

Quod autem iste insulsus autor non malitia forte, sed inscitia ista dixerit, ex illo videre licet, quia, inquit, per illam (id est, primam gratiam plenariam remissionem) consequitur homo perfectam remissionem. Quid est dicere, per plenariam remissionem consequitur perfectam remissionem, et per gratiam Dei consequitur gratiam Dei? An non per febrem somniat, aut phrenesi laborat? Sed ad sensum haereticum verte animum.

Hanc primam gratiam vult eam esse, qua maius dici nihil potest, et quam consequitur homo privatus gratia, quod nisi de iustificante gratia spiritus intelligi non potest. Nec ipsum aliter intellexisse clarum est, alioquin non esset, qua maius dici nihil potest. Quamquam si etiam de gratia iustificante alias loqueretur, satis impie loqueretur, cum solus Deus sit id, quo maius dici non potest. B. Augustinus enim, non sicut ille, sed in donis creatis, inquit, nullum est maius caritate. Hic vero gratiam Dei et gratiam papae in unius vocabuli chaos confudit, dignus autor tali vel opinione vel errore.

Sequitur in eodem libro:

Per quam etiam peccatorum remissionem sibi poenae in purgatorio, propter offensam divinae maiestatis, luendae plenissime remittuntur, atque dicti purgatorii poenae omnino delentur. Delphicum audivimus oraculum, ut nihil omnino dubitat, qui omnia ignorat, de potestate clavium in purgatorium secure pronunciat. Sed satis de his supra.

Sequitur ibidem:

Et licet ad tantam gratiam merendam nihil satis dignum possit retribui, eo quod donum Dei et

gratia aestimationem non habent etc. Vides ut iterum donum et gratiam Dei inaestimabilem vocet id quod papa remittit, homo dignissimus, qui ecclesias docent, id est, haereticorum prostibula. Postquam his verbis gratiam illam ad forum et nundinas studiose adornarat, mox tamen Mercurium suum habitu Iovis vestit, ne ullus intelligat, quod lucrum quaereret, nisi qui non plus quam ipse intelligit.

Permittit pauperibus quoque eam gratis dari, ita sane, si primum undecumque pecunias corradere tentaverint a bonis (ut inquit) fautoribus, ita ut mendicantes fratres sine licentia suorum superiorum pecuniam procurent (quia multo melior est apud hunc pseudolum remissio vel fictae poenae, quam salutaris obedientia). Cum vero nusquam patuerit via corradendi pecunias, ut gratiam illam redimant (id est, denuo emant, non quod illi vendant, sed quod nimia rerum similitudo cogit vocabulis abuti) tum demum dicit: Regnum enim coelorum non plus divitibus patere debet, quam pauperibus, iterum per venias volens patere coelum. Sed subtraho calamum, ne pro meritis in eos debacchetur. Sit satis indicasse fidelibus, pestilentiam eorum sermonum tam insigni (ut par erat) involutam inscitiae et ruditati, ut dignum esset operculum vase.

Conclusio XXXIV.

Gratiae enim illae veniales respiciunt tantum poenas satisfactionis sacramentalis, ab homine constitutas.

Haec abunde patet ex quinta supra, et vicesima.

Conclusio XXXV.

Non Christiana praedicant, qui docent, quod redempturis animas vel confessionalia non sit necessaria contritio.

Obsecro, cur istam dilationem dant hominibus in periculum? Et quid prodest illis talia praedicari, nisi quod pecunia quaeritur, et non salus animarum,

etiamsi essent vera? Nunc cum sint et impia et falsa, multo magis sunt explodenda. Sane et ego superius permisi, posse poenas remitti, etiam iis[1]), qui non sunt contriti, quod illi negant. Hic rursum, quod illi affirmant, negandum puto. Atque de Confessionalibus*) quidem idem mihi, quod de poenis iudicium est, scilicet utrobique non requiri contritionem, neque quoad redemptionem eorum, neque quoad usum, quod negant, similiter et in poenis remittendis, quandoquidem pars confessionalis est remissio poenae.

Sed in redimendis animabus omnino dissentio et peto, ut probent dicta sua. Ego quidem in redimendis animabus longe aliud videri puto, quam in remissione poenarum, si quidem in remissionibus poenae homo recipit bonum, sed in redimendis animabus facit bonum. At impius recipere bonum potest, sed nullo modo facere, nec potest placere opus eius Deo, qui ipse non placet, ut Gene. 4: Respexit Dominus ad Habel et ad munera eius.

Deinde contra scripturam est, ut quis primo[2]) alteri misereatur, quam animae suae, et prius festucam de oculo fratris eiiciat, quam trabem de suo atque omnino ut servus diaboli redimat filiam Dei, et hoc apud ipsum Deum[3]) ridiculum est, ut hostis pro amico regis intercedat. Quis, rogo, furor hic est? qui (ut vilissimae poenae remissionem et ad salutem inutilem magnificent) peccata, quorum poenitentia sola fuerat magnificanda, extenuent. Si hoc non est haereticum, malesonans, scandalosum, piarum aurium offensivum, quid tandem est, quod his nominum portentis appellari possit? An his ti-

1) In ed. Jen.: his. 2) In ed. Jen.: primus. 3) Ibidem commate interpungitur post voc. Deum.

*) In scholis vocarunt Confessionalia scripta ac libellos, quibus confitendi formae et casus conscientiae comprehendebantur. In curia Romana vocant Confessionalia indulta pontificia, quibus vendebatur eligendi facultas confessarium, qui autoritate pontificis commissa ab omnibus vel saltem quibusdam casibus reservatis confitentem absolvere posset etc.

tulis haereticae pravitatis inquisitores ideo catholicos, catholicasque sententias vexant atque fatigant, quo liceat eis solis impune et pro libitu[1]) haereses inundare?

Dicunt autem, quod redemptio illa non innititur operi redimentis, sed merito redimendi. Respondeo: Quis hoc dixit? unde probatur? Cur ergo non sine opere redimentis merito redimendus proprio liberatur? Sed non tunc cresceret pecunia cupita propter salutem animarum. Cur ergo non invocamus Turcas et Iudaeos, ut nobiscum etiam suas pecunias imponant, non propter nostram avaritiam, sed propter redemptionem animarum? Nec obstare videtur, quod illi non sunt baptisati, quando hic non est opus, nisi pecunia dantis, nequaquam anima pereuntis, non enim illa datio innititur, nisi redimendae animae. Credo quod si vel asinus imponeret aurum, etiam redimeret, quod si requiritur aliqua dispositio, necessario et gratia, cum Christianus peccator magis displiceat Deo, quam ullus infidelis, nec tantum dedecorat asinum rudibilitas, quam Christianum impietas.

Secundo, dixi Confessionalia quidem peccatoribus, sicut et remissiones poenarum dari posse. Sed non dixi, ut hortandi, imo nec permittendi sint talia redimere, sicut ipsi impie et crudeliter docent, quod probo:

Primo, omnis doctrina Christi est exhortatio ad poenitentiam, et id agit, ut homines quantocius a diabolo recedant, sicut ait Ecclesiast.: Ne tardes converti ad Dominum, et ipse Dominus: Vigilate, quia nescitis diem neque horam, et apostolus Ebr. 4: Festinemus ingredi in requiem illam, et Petrus*): Cum ergo haec omnia consummanda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, properantes in adventum diei etc.

Sed haec ideo illi docuerunt, quia solliciti erant, non quomodo pecunias colligerent, sed animas sal-

---

1) Ibid.: libito.
*) 2 Pet. 3.

varent[1]). Hi vero velut secure illis tribuunt miseram dilationem, et quantum in eis est, in periculo aeternae mortis relinquunt, ita ut nesciam, an tali studio sint ab homicidiis animarum excusati, quippe non quaeritur hic salus dantis, sed donum pereuntis, cum, si essent boni pastores animarum et vere Christiani, omnibus studiis agerent, ut peccatorem ad timorem Dei, ad horrorem peccati inducerent, nec quiescerent flendo, orando, monendo, increpando, donec animam fratris lucrifacerent. Quod si ille pergeret pecuniam dare, perseveraturus malus, in faciem ei reiicerent, et cum apostolo dicerent: Non quaero tua, sed te. Et iterum: Pecunia tua tecum in perditionem, et abhorrerent a conspectu eius. Sic sic recte agerent.

Sed absit hoc a Mercurio nostro, quin id potius agamus, si venerint peccatores, mediatoribus idoneis freti (id est, lucris) etiam invito Christo cum universis apostolis, sint sicut unus ex nobis, nihil non potentes, quod nos possumus, etiam animas redimere, ipsi sine intermissione pereuntes, etiam ridentibus nobis et de dono eorum secure gaudentibus. Ista est caritas in populum Christi et fratres nostros, ita curamus animas eorum, ut intelligant in suis peccatis nos novissimam, id est, nullam compassionem habere.

Conclusio XXXVI.

Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a poena et culpa, etiam sine literis veniarum, sibi debitam.

Alioquin in periculo essent, qui literas eiusmodi non haberent, quod falsum est, cum illae sint neque praeceptae, neque consultae, sed liberae. Neque peccant, qui eas negligunt, nec ideo in periculo salutis sunt. Quod ex eo patet, quia tales iam sunt in via mandatorum Dei. Et per casum, si quando ei non daretur eiusmodi remissio, debetur tamen

1) In ed. princ.: salutarent.

ei, ut dicit papa. Sed hic intercedit, o acutissimum ingenium quorundam dicentium, quod vera haec essent, si canones essent poenae tantum a papa positae. Nunc vero sunt declaratorii poenarum a Deo inflictarum. Sic loqui decet eos, qui veritatem semel perpetuo odio persequi proposuerunt.

Primum pronunciant velut ex oraculo, quod Deus pro peccatis poenam satisfactoriam requirit, aliam scilicet, quam crucem evangelicam (id est, ieiunia, labores, vigilias), aliam quam castigatoriam, non enim has intelligunt, quia has remitti nisi a Deo non possunt negare.

Secundo huic monstro addunt maius, scilicet quod canones declarent impositam, ergo papa non habet nisi declarare, nunquam autem imponere, nec relaxare, alioquin contra verbum Christi hi sic docebunt nos, Quicquid ego ligavero, tu solves.

Conclusio XXXVII.

Quilibet Christianus verus, sive vivus sive mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi et ecclesiae. etiam sine literis veniarum, a Deo sibi datam.

Impossibile est esse Christianum, quin Christum habeat, quod si Christum, et omnia simul quae Christi. Dicit enim B. Apostolus Roma. 13: Induimini Dominum Iesum Christum, et Rom. 8: Quomodo non omnia nobis cum illo donavit? et 1 Corinth. 3: Omnia vestra, sive Cephas, sive Paulus, sive vita, sive mors, et 1 Corinth. 12: Non estis vestri, sed membra de membro, et aliis locis, ubi describit unum corpus, unum panem, nos omnes esse in Christo singulos alterum alterius membra *). Et in Canti **): Dilectus meus mihi, et ego illi, quia per fidem Christi efficitur Christianus unus spiritus et unum cum Christo. Erunt enim duo in carne una. Quod sacramentum magnum est in Christo et ecclesia ***).

*) 1 Cor. 10. **) Cant. 2. ***) Eph. 5.

Cum ergo spiritus Christi sit in Christianis, per quem fratres, cohaeredes, concorporales, et cives fiunt Christi, quomodo ibi possit non esse participatio omnium bonorum Christi? nam et Christus ex eodem spiritu habet omnia sua. Ita fit, per inaestimabiles divitias misericordiarum Dei patris, ut Christianus possit gloriari, et cum fiducia praesumere in Christo omnia, scilicet quod iustitia, virtus, patientia, humilitas, omnia merita Christi sint etiam sua, per unitatem spiritus ex fide in illum, rursum, omnia peccata sua iam non sint sua, sed Christi, per eandem unitatem, in quo et absorbentur omnia. Et haec est fiducia Christianorum, et iucunditas conscientiae nostrae, quod per fidem fiunt peccata nostra non nostra, sed Christi, in quem Deus posuit peccata omnium nostrum, et ipse tulit peccata nostra*). Ipse agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Rursum omnis iustitia Christi fit nostra. Imponit enim manum suam super nos, et bene habemus, et extendit pallium suum, et operit nos, benedictus Salvator in secula, Amen.

Verum quando haec participatio suavissima et iucunda permutatio non fit nisi per fidem, hanc autem homo nec dare nec auferre possit, satis clarum puto, quod virtute clavium vel beneficio venialium literarum haec participatio non datur, sed potius ante et sine illis datur a solo Deo, sicut remissio ante remissionem, absolutio ante absolutionem, ita participatio ante participationem.

Quid ergo participat papa sua participatione? Respondeo: Illi dicerent, ut supra de remissione dictum est, Conclu. 6, quod declarative participat. Nam quomodo possint aliter dicere, non intelligere me confiteor. Meum sensum sequente ponam conclusione.

Conclusio XXXVIII.

Remissio tamen et participatio papae nullo

*) Esai. 53.

modo est contemnenda, quia (ut dixi) est declaratio remissionis divinae.

Non quod necessaria sit illa declaratio, quae in literis indulgentiarum et publice fit[1] (sufficit enim ea quae fit in privata confessione), sed quod non sit contemnenda, quia per eam etiam ecclesiae nota fit, et approbatur privatim facta declaratio. Sic enim ego intelligendum puto, qui habet meliora, dicat ea, non enim, quid alias illa participatio publica faciat, video. Verum, licet hanc conclusionem ab omnibus (ut puto) acceptam non negem, dixi tamen supra conclusione 6. mihi non placere hunc modum loquendi, quod papa nihil aliud faciat, quam quod declaret aut approbet remissionem divinam seu participationem. Nam id primo nimis viles reddit ecclesiae claves, imo verbum Christi facit irritum quodammodo, ubi dixit: Quodcunque etc. Declaratio enim nimis modicum est.

Secundo, quia incerta erunt omnia ei, cui fit declaratio, licet aliis seu ecclesiae foris in facie certa fiat illius remissio et reconciliatio. Quare sicut superius de remissione culpae, ita de participatione bonorum volo opinari, donec erudiar melius, videlicet, quod sicut peccator post peccatum difficillime confidit in misericordiam Dei, adeo urget ad desperationem peccatum onere suo gravissimum, multoque facilius iram, quam misericordiam Dei cogitat, sicut ante peccatum facilius misericordiam quam iram cogitat. Omnia enim perverse agit homo, timens, ubi non est timendum, sed sperandum, scilicet post peccatum, praesumens, ubi non est praesumendum, sed timendum, scilicet ante peccatum.

Cuius rei exemplum abunde ostensum est in resurrectione Christi, ubi multis argumentis opus fuit, ut sese in cordibus discipulorum resuscitaret. Denique prima annunciatio fuit muliebris, et deliramentis ab illis comparata. Ita et peccatori prima fiducia apparet mollis, et cui non, vel vix creden-

1) In ed. Jen.: quae in literis publicis fit indulgentiarum.

dum putet. Ita multo difficilius est confidere, sese esse participem Christi bonorum (id est, inenarrabilium bonorum, ut sit particeps divinae naturae, ut ait S. Petrus *)). Magnitudo bonorum etiam operatur diffidentiam, videlicet, non solum esse remissa tanta mala, verum et collata tanta bona, ut sit filius Dei, haeres regni, frater Christi, socius angelorum, dominus mundi. Obsecro, quomodo haec vera potest credere, qui peccati sui morsu, imo pondere fessus trahitur ad inferos.

Hic itaque necessarium est iudicium clavis, ut homo sibi non credat, credat autem potius clavi, id est, sacerdoti. Atque nihil curo, si etiam sit forte indoctus claviger aut levis. Nam non propter sacerdotem, nec potestatem eius, sed propter verbum eius, qui dixit, et non mentitur: Quodcunque solveris etc. In iis [1]) enim qui credunt in verbum istud non potest clavis errare. Errat vero in iis [1]) solis, qui non credunt absolutionem istam valere. Nam finge (per impossibile vel contingens), si quis non sit vel non putet sese satis contritum, et tamen absolventi tota fiducia credat sese absolutum (fiducia mea sic opinor), haec ipsa fides eum facit absolutum verissime, quia credit in eum, qui dixit: Quodcunque etc. Fides autem Christi semper iustificat, non secus quam si baptizet te ineptus, levis, imperitus sacerdos.

Adde, si etiam non putes te satis contritum (tibi enim non potes nec debes confidere) nihilominus, si credis ei, qui dixit: Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit, dico tibi, haec fides eius verbi facit te verissime baptizari, quicquid sic de contritione tua, ideo fide ubique opus est. Tantum habes, quantum credis. Atque sic intelligo quod nostri doctores dicunt, sacramenta esse efficacia gratiae signa, non quia fit (ut B. Augustinus), sed quia creditur, ut supra. Ita hic, Absolutio est efficax, non quia fit, a quocunque tandem fiat, erret

---

1) Ibid.: his.
*) 2 Pet. 1.

sive non erret, sed quia creditur. Nec hanc fidem potest reservatio casuum impedire, nisi esset manifesta et contempta.

Proinde dico, homo quando in peccato est, ita vexatur et agitatur conscientia eius, ut suo sensu potius participationem omnium malorum sese credat habere. Et talis homo certe proximus est iustificationi, et habet initium gratiae. Ideo ei confugiendum est ad solatium clavium, ut arbitrio sacerdotis quietetur, et pacem obtineat, atque fiduciam consequatur participationis omnium bonorum Christi et ecclesiae. Quod si quis hanc participationem officio sacerdotis sibi factam non crediderit aut dubitaverit, non errore clavis, sed suae infidelitatis seducitur, et magno damno suam animam afficit, et Deo verboque eius iniuriam atque summam irreverentiam facit. Ideo multo melius est, ut non adeat ad absolutionem, si non credat sese absolvi, quam si sine fide accedat. Ficte enim accedit et iudicium sibi accipit, non secus, quam si baptismum vel sacramentum panis ficte acceperit. Proinde non adeo est necessaria contritio, quam fides. Incomparabiliter enim plus ibi consequitur fides absolutionis, quam fervor contritionis.

Et hac fide omissa nos plurimi solum in formandis contritionibus laboramus, ut doceamus homines tunc confidere remissa peccata, quando senserint sese esse perfecte contritos (id est, nunquam[1]) confidere sed magis ad desperationem laborare) cum secundum prophetam *) non in nostram contritionem, sed in verbum eius sit sperandum. Neque enim dixit: Memor esto contritionis meae servo tuo, in qua mihi spem dedisti, sed memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti; et iterum: In verbum tuum (non utique in opus nostrum) supersperavi; et iterum: Sustinuit anima mea in verbo eius etc.[2]) Et ut Psalm. 51. in Ebraeo est: Tibi

1) In ed. Jen.: nondum. 2) Ibidem pergitur: speravit anima mea in Domino.

*) Psalm. 119. 130.

soli peccavi, propterea iustificabis verbo tuo. Igitur nec sacramentum, nec sacerdos, sed fides verbi Christi per sacerdotem et officium eius tete iustificat. Quid ad te, si Dominus per asinum vel asinam loquatur, dummodo tu verbum eius audias, in quo speres atque credas?

Sic intelligerem illud, quod nostri doctores Scholastici dicunt, sacramenta ecclesiae esse in exercitationem nobis data, hoc est, tanquam inaestimabilia dona, in quibus occasionem habeamus credendi et iustificandi. Nam olim erat sermo Domini pretiosus tempore Saulis*), nunc vero etiam per levissimos, pessimos, indoctissimos homines suum verbum tibi sonat. Tu in verbum intende, et mitte larvam personae, erret, non erret ille, tu non erras, si credideris. Hic si erro et desipio, revocet me qui sapit.

Consequens ex iis[1]) erit, ut tres illae veritates Johannis Gersonis iam diu in omnes libros et aures transfusae prudenter intelligendae sint, puta quod non ideo confidat sese homo esse in statu salutis, quia potest dicere, se dolere de peccatis, sed multo magis id advertat, si sic optet sacramentum absolutionis, ut credat, si ipsum[2]) fuerit assecutus, sese absolvi. Hoc enim est sacramentum in voto suscipere, id est, in fide verbi vel praesentis vel desiderati auditus. Cave ergo, ne quando in tuam contritionem ullo modo confidas, sed in nudissimum verbum optimi et fidelissimi tui salvatoris Jesu Christi, cor tuum fallet te, ille te non fallet, vel habitus vel desideratus.

Quae si ita sunt (det Dominus Deus, ut cum propheta Michea**) sim vir von habens spiritum, ac mendacium potius loquar), timendum est, multas animas perdi per indoctissimos illos operum et contritionis bovinatores. Primum, quod fidem verbi non docent, sed contritionem duntaxat, atque hanc tenuiter satis. Secundo, quod facillimi sunt abso-

1) In ed. Jen.: his. 2) Ibid.: per ipsum.
*) 1. Sam. 3. **) Mich. 2.

lutiones impendere et participationes eiusmodi, quasi sit passim omnium, istam fidem habere, neque discutiunt, quem aut quare absolvant.

Itaque non tam necessarium est absolvendo dicere, doles, quam illud, credis tete absolvi a me posse, sicut Christus ait ad caecos*): Creditis me posse haec vobis facere? Credenti omnia possibilia sunt. Haec enim fides certe in illis maxime probatur, qui tremore conscientiae agitati potius sese diffidere sentiunt. Illis vero, qui talem miseriam non sentiunt, nescio an sint claves illae consolatoriae, cum consolari non mereantur, nisi qui lugent, nec animari ad fidem remissionis, nisi qui trepidat diffidentia retentionis.

Atque ut finem tandem faciam, haec sententia mea, credo, potestatem clavis non minuit, ut mihi impingitur, sed a falso honore et tyrannica reverentia in sibi debitam et amabilem reverentiam reducit. Non enim est mirum, si claves contemptui fiant, si falsis honoribus, id est, terroribus tantummodo offerantur suscipiendae, cum cognita earum saluberrima commoditate saxum sit aut lignum, qui non cum lacrimis eas exosculetur et amplectatur.

Quid ergo pontificem propter eas magnificamus et hominem terribilem fingimus? Non illius sunt claves, meae potius sunt, mihi donatae, meae saluti, meae consolationi, paci et quieti concessae. Pontifex servus est et minister meus in clavibus, ipse non eget illis ut pontifex, sed ego. Adulatores vero omnia pontificibus inflectunt, non nostram consolationem, sed illorum tantummodo potentiam in illis iactitant, et per ea ipsa nos terrent, per quae nos maxime oportuit consolari, adeo sunt hodie omnia perversa, et adhuc non putamus infelicia esse tempora, in quibus tantus est abusus optimarum rerum in pessimas res nobis versarum. Itaque istam conclusionem, ut iacet, non omnino teneo, sed ex magna parte nego.

*) Matth. 9.

Conclusio XXXIX.

Difficillimum est etiam doctissimis theologis, simul extollere veniarum largitatem et contritionis veritatem coram populo. Ratio huius est sequens conclusio.

Conclusio XL.

Contritionis veritas poenas quaerit et amat, veniarum autem largitas odisse facit, saltem occasione.

Da verum poenitentem, et videbis eum tam ardenter in se ipso quaerere ultionem offensionis divinae, ut cogat te sui misereri, imo ut necessarium sit ei resistere, ne destruat sese, ut saepe legimus et vidimus contigisse. Et B. Hieronymus talem scribit suam Paulam fuisse, et ipsemet de se ipso. Nihil istis est satis poenarum. Quin cum filio prodigo*) invocant coelum et terram, et Deum ipsum contra se ipsos, sicut et David, quando dixit**): Vertatur, obsecro, gladius tuus in me et in domum patris mei. Recte ergo me puto dixisse, poenitentias canonicas iis[1]) tantum impositas, qui vel nollent meliora facere, ut pigri, vel certe ut explorarentur de veritate contritionis suae.

Patet itaque quam difficile sit[2]) saltem doctis, inter odium et amorem poenarum medios ire, ut sic doceant odium earum, ut tamen maxime persuadeant amorem earum. Indoctis vero, cum sit nihil difficile, nihil obstat, quin et hoc sit facile. Evangelium quidem docet poenas non fugere, nec relaxare, sed quaerere et amare, quia docet spiritum libertatis et timoris Dei usque ad contemptum omnium poenarum At multo lucrosius est, et expedit capsis quaestorum, ut populus timeat poenas, et spiritum mundi atque timoris in litera et servitute

1) In ed. Jen.: his. 2) Ibid. deest: sit.
*) Lucae 15. **) 2. Sam. 24.

hauriat, dum audit esse tam horribilem rem poenas quasdam canonicas, ut non nisi tanto studio, tanto impendio, tanta pompa, tantis ceremoniis doceantur vitari, quantis nec evangelium docetur amari.

Obiicitur:

Quid ergo dicis de peregrinantibus Romam, Jerusalem, S. Jacobum, Aquisgranum, Treverim, multasque alias regiones et loca, causa indulgentiarum, item in dedicationibus ecclesiarum?

Respondeo:

Peregrinationes istae fiunt multis causis, rarissime iustis. Prima est omnium communissima, curiositas scilicet videndi[1]) et audiendi aliena et ignota, quae levitas venit de fastidio et acidia cultus Dei, in ecclesia propria neglecti. Alioquin incomparabiliter meliores indulgentias domi inveniret, quam in omnibus iam dictis locis simul sumptis, similiter et Christum et sanctos praesentius haberet, si non tam stultus esset, ut ligna et lapides praeferret pauperibus et proximis suis, quibus in caritate serviret, aut etiam suae familiae provideret.

Altera est tolerabilis, scilicet causa indulgentiarum. Nam cum indulgentiae sint liberae, non praeceptae, ac per hoc nullius meriti, nihil prorsus meretur, qui praecise propter indulgentias peregrinatur.[2]) Juste autem illi sic illuduntur, qui domi Christum et proximum negligunt, ut foris decuplo plus consumant sine fructu et merito. Ideo qui domi maneret et illud cogitaret *): Caritas operit multitudinem peccatorum, et illud **): Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda vobis, longe melius, imo solum hic bene ageret, quam si

1) Ibid. legitur: vivendi. 2) In ed. princ.: peregrinantur.

*) 1. Petr. 4. **) Luc. 11.

omnes venias in Jerusalem et Roma afferret. Sed non placet adeo recte sapere, ideo tradimur in[1]) desideria nostra.

Tertia est causa afflictionis et laboris pro peccato, quam credo raro contingere saltem solam. Nam et domi posset sese affligere et laborare, si laborem tantummodo quaereret. Si tamen facit, non est malum, imo bonum.

Quarta, honesta, scilicet[2]) si fiat singulari devotione pro honore sanctorum et gloria Dei, ac suo profectu, sicut S. Lucia ad B. Agatham, et quidam sancti patres Romam visitarunt, quod non fecerint curiositate, exitus probavit. Proinde mihi placet in istis facultatibus, quod etiam vota talium peregrinationum commutantur[3]) in alia opera, atque utinam gratis commutarentur.

Conclusio XLI.

Caute sunt veniae apostolicae praedicandae, ne populus false intelligat eas praeferri ceteris bonis operibus caritatis.

Ego sic dicerem ad populum: Ecce fratres, scire vos oportet, quod triplex est genus bonorum operum, quod expensionibus pecuniae fieri potest. Primum et ante omnia, si quis pauperibus donet, aut proximo egenti mutuet, et omnino in quacunque necessitate laboranti subveniat. Hoc opus sic est agendum, ut etiam intermittendae sint structurae ecclesiarum, et omittendae oblationes ad vasa et ornamenta ecclesiarum. Postquam hoc fuerit factum, et non restat qui egeat, tum secundum erit, nostras et in nostris terris ecclesias et hospitalia et publicae utilitatis structuras primum iuvare. Postquam autem id fuerit factum, tum demum, si placet, potestis et pro indulgentiis redimendis tertio loco dare. Quia in primo est mandatum Christi, in novissimo illo nullum mandatum.

---

1) In ed. Jen.: et in. 2) Ibid. deest: scilicet. 3) Ibid. legitur: commutentur.

Si dixeris: Ista praedicatione parum colligetur pecuniarum per indulgentias. Respondeo: Credo. Sed quid hoc mirum, cum pontifices per indulgentias non quaerant pecunias, sed salutem animarum, ut patet in iis[1]), quas dant in consecrationibus ecclesiarum et altarium. Ideo non volunt per suas venias impedire meliora, sed promovere potius caritatem.

Ego libere dico, quod qui aliter docet populum et hunc ordinem pervertit, non doctor, sed seductor populi est, nisi quod populus propter peccata sua meretur, aliquando non audire veritatem recte praedicari.

Conclusio XLII.

Docendi sunt Christiani, quod papae mens non est redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiae.

Papam intelligo, ut supra dixi, prout sonat personam publicam, id est, ut per canones nobis loquitur. Non enim sunt canones, qui praedicent veniarum dignitatem comparari operibus misericordiae.

Patet autem conclusio, quia praeceptum Dei infinita dignitate praestat, eo quod per hominem quoque permittitur, ac nullo modo praecipitur, cum illic sit meritum, hic nullum.

Hic obiicitur:

At veniae redimuntur per pium opus, puto contributionem ad fabricam, vel captivorum redemptionem, ergo sunt meritoriae. Respondeo: Non loquor de opere, sed de veniis. Nam opus illud poterat fieri sine veniis, non enim alligatur necessario veniis. Veniae autem sine opere concessae nihil conferunt, sed tantummodo auferunt. Opus autem sine veniis confert, quia illic nostra recipimus, hic

1) In ed. Jen.: his.

damus. Et ideo illic carni, hic servitur spiritui. Et breviter illic naturae, hic satisfit gratiae. Quare veniae seorsum sumptae sunt incomparabiles[1]) ad opus misericordiae.

Item opus sine veniis purius est, quam cum veniis, et veniae sunt operis aliquod vitium, quia recipit mercedem suam, imo plus quam mercedem suam. Sanctius itaque agerent, si nude contribuerent, et non propter venias. Non quod veniae sint malae et noxiae, sed quod abusus perversus nocet, dum tale opus non facerent, nisi veniae essent, ac sic finis operis huiusmodi fit venia, imo ipse homo, qui quaerit quae sua sunt, cum deberent[2]) opus propter Deum et gratis facere, et venias non aliter acceptare, quam gratis sibi, non propter contributionem datas, ut sic illi venias non emant, nec isti vendant. Oportet enim utrobique esse gratuitam donationem, vel erit manifesta simonia, et venditio turpissima. Sed quis haec populo dicit, quando dicitur: Impone gratis, et ego concedo gratis?

Item timendum, ne per illam ordinis perversitatem magna in ecclesia alatur idolatria. Quia si populus doceatur propter poenarum evasionem contribuere (quod spero non fiat, et si multi forte sic intelligant), tunc clarum est, quod non propter Deum contribuunt, et erit timor poenarum, seu poena idolum eorum, cui sic sacrificant. Quod si ita fieret, tale aliquod malum ageretur in ecclesia, quasi olim in Romanis gentilibus agebatur, quando febri et aliis laevis et noxiis numinibus serviebant, ne laederentur. Ideo hic vigilandum pro populo, et tam dubia atque periculosa negotia vix doctissimis committenda.

Conclusio XLIII.

Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi aut mutuans egenti melius facit, quam si venias redimeret.

---

1) Ibidem: non sunt comparabiles. 2) Ibid.: dum deberet.

Hanc sic pono propter rudes, nam satis ex praedictis patuit. Hanc autem conclusionem cum duabus praecedentibus et sequentibus non ego primus aut solus, sed omnes et tota ecclesia tenet, nisi quod solus populus haec nunquam audit; forte timetur, ne nimis cito intelligeret tam apertam et solidam veritatem. Nam et S. Bonaventura et ceteri omnes, quando in hac materia agentes, sibi ipsis opponerent, ergo omittenda sunt reliqua bona opera. Respondent unanimiter, nequaquam. Quia cetera bona opera sunt meliora, quoad praemium essentiale obtinendum. Patet ergo conclusio, cum hoc illi dicant, qui tamen asserunt indulgentias esse thesaurum meritorum Christi et ecclesiae.

Conclusio XLIV.

Quia per opus caritatis crescit caritas, et fit homo melior, sed per venias non fit melior, sed tantummodo a poena liberior.

Patet, quia solum remissio poenarum ibi datur, nec indulgentiae plus valent, ut etiam omnes concedunt, quam ut tollant poenas, at ablatio poenae non facit bonum, sive meliorem in caritate.

Conclusio XLV.

Docendi sunt Christiani, quod qui videt egenum et neglecto eo dat pro veniis, non indulgentias papae, sed indignationem Dei sibi vendicat.

Quia pervertit ordinem supra positum, et contra id agit Johannis*): Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo manet in eo caritas Dei? Hanc autem necessitatem nostri sophistae interpretantur extremam, scilicet, ut caritate nunquam vel rarissime locum faciant operandi, cum tamen ipsi, si in necessitate essent non extrema, sed prima, vellent sese iuvari, alios vero volunt iuvare, cum iam exhalarint

*) 1. Joh. 3.

spiritum. Optimi sane theologi et Christiani, qui faciunt hoc hominibus, quod sibi vellent fieri.

Conclusio XLVI.

Docendi sunt Christiani, quod redemptio veniarum est libera, non praecepta.

Satis id supra dixi, quod veniae sunt de numero eorum, quae licent, non autem eorum quae expediunt, quomodo in veteri lege *) libellus repudii, sacrificium zelotypiae, et in nova lege lites et iudicia propter infirmos, imo propter duritiam vestram, inquit Christus; quae quicunque egerit toleratur potius, quam commendatur, imo ut glossa dicit lib. 5. de poe. et re.: Quod autem, et multi alii, melius facerent, ut per se satisfacerent, et non redimerent venias, quas tamen non nisi criminosi redimere opus habent.

Conclusio XLVII.

Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domi suae retinere, et nequaquam pro veniis effundere.

Quia Apost. dicit**), qui suis et maxime domesticis non providet, fidem negavit et est infideli deterior. Sed sunt multi, qui nec panem, nec vestem commode habent, et tamen crepitu et strepitu venialium praedicatorum inducti se ipsos fraudant, et inopiam suam conficiunt, ut illorum copiam augeant.

Conclusio XLVIII.

Docendi sunt Christiani, quod papa, sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se devotam orationem, quam promptam pecuniam.

Hanc Conclusionem riderent domini nostri curtesani Romanae curiae conscii. Certum tamen est,

*) Nume. 5. **) 1. Tim. 3.

quod ante omnia debet pontifex a suis subditis optare orationem, sicut et S. Paulus saepius a suis optavit. Et haec est multo iustior veniarum dandarum causa, quam si mille struerentur basilicae, eo quod summus pontifex tot monstris daemonum et impiorum hominum obsessus magis quam stipatus non possit errare, nisi cum totius ecclesiae maximo malo, tunc maxime, si libenter audierit hanc pestilentem Sirenarum suarum vocem: Non praesumitur tantae celsitudinis apex errare. Item et illam: Omnia iura positiva sunt in scrinio pectoris sui. Non praesumitur quidem errare, sed an bona sit illa praesumptio, quaeritur. Et sunt quidem in scrinio pectoris eius omnia iura sua, sed an pectus eius bonum sit, quaeritur, id enim oratione curandum est. Sed de hac re[1]) omnium pulcherrime B. Bernhardus ad Eugenium papam, de Consideratione.

Conclusio XLIX.

Docendi sunt Christiani, quod veniae papae sunt utiles, si non in eas confidant, sed nocentissimae, si timorem Dei per eas amittant.

Vide itaque periculum, populo veniae praedicantur, directe adversus veritatem crucis et timoris Dei, quia permittitur libertas eorum a poenis, deinde securitas remissorum peccatorum. Et evidens signum videtur, venias tali iactantia praedicatas non esse ex Deo, quod populus pronius accurrit, acceptat, observat, quam ipsum sanctum evangelium Dei, ut probetur veritas, Quia quod ex Deo venit, fastidit mundus*), alius venit in nomine suo, et hunc suscipit. Et erroris causa sunt ipsi fabularum talium magistri, qui sedulius et pomposius, quam evangelium eas praedicant, tum quod omnibus praedicant, quae paucorum sunt. Nam ut supra satis patuit, veniae sunt relaxationes, licentiae, permissio-

1) In ed. princ. deest: re.
*) Johann. 5.

nes, atque indulgentiae, et verae indulgentiae (si rigidam verbi significationem accipimus), id est, molliculae permissiones delicatorum, frigidorum, durorum Christianorum, id est, Gabaonitarum et Hydrophororum ac servorum, magis quam Israelitarum principum atque filiorum *).

Probo autem conclusionem:

Si opera caritatis fervide agentium sunt talia, ut nemo in eis confidere aut securus esse possit, siquidem et Job sanctissimus **) veretur omnia opera sua, et: Beatus vir qui timet Dominum, item: Beatus vir qui semper est pavidus, quanto magis veniae incomparabiliter inferiores talibus operibus, plus quam cum timore suscipiendae, et minus quam fiduciam minimam, id est, nullam prorsus debemus habere. Sanctus timet, ne minus operetur, aut patiatur quam debet. Et ubi peccator erit, cui remittitur, ut minus agat, et[1]) agere possit? Et quantum nostros vaniloquos et mentium corruptores intelligo, faciunt nobis ex negotio indulgentiarum negotium perambulans in tenebris, et operationem erroris, dum per illas hominibus fiduciam suadent omnibus, quae tamen paucis conveniunt, et iis[2]) (ut dixi) frigidis ac infirmis. Vide, ne exinde factum sit, magistro sancto spiritu, ut proprio eorum testimonio appellent Negotium S. Petri, negotium sancti spiritus, quasi ipsimet confiteantur, negotiatores sese esse et Simonienses[3]) nundinas habere.

Quod autem dixi, sunt utiles, intelligo, non omnibus, imo veteri homini, et stertentibus operariis, eo quod melius sit illis eas remitti poenas, quam ut ferrent invite, veruntamen ista voluntate eis permissa, propter maius malum vitandum non debent secure frui neque in ea confidere, sed eo magis dolere et timere, quod tales sunt, qui egent propter maius

---

1) In ed. Jen.: quam. 2) In ed. Jen.: his. 3) Ibid.: Simonenses.

*) Judic. 9. **) Job. 9.

malum in minore malo relinqui, quando viderunt etiam eos timere, qui ferventissime in bono proficiunt, ideo dixi esse nocentistimas, si sine timore de tali licentia gaudeant.

Conclusio L.

Docendi sunt Christiani, quod si papa nosset exactiones venialium praedicatorum, mallet basilicam S. Petri in cineres ire, quam aedificari cute, carnibus et ossibus ovium suarum.

Sic enim nostri venatores robustissimi, postquam omni Christianae vitae ordini statum pecuniae numerum indixissent, tandem et uxores mendicare docent, etiam invito viro, et fratres mendicantes etiam invitis praelatis suis alicunde corradere, ut[1]) omnino nullus sit, qui residuum obuli habet, quin huc tribuat. Denique factum est, ut tunicas etiam vendere hortentur, aut undecunque mutuare, quod et[2]) factum dicitur.

Ego vero sapio, quod cum indulgentiae sint vilissimum bonum omnium bonorum ecclesiae, nec nisi vilissimis ecclesiae donandum, deinde nec meritorium, nec utile, sed plerumque nocentissimum, si non sint timorati, quod maledictione digna sit talis doctrina, et contra mandata Dei. Uxor enim debet sub viri potestate esse, et eo invito nihil facere, etiamsi esset meritorium, multo minus mendicare pro veniis sibi forte non necessariis[3]). Tum religiosi suam obedientiam servare, etiam si possent alibi martyrio coronari, nec papa unquam intendit contrarium, sed falsi interpretes illius. Alius vomat stomachum, ego me cohibeo, unum dico, hinc saltem intellige lector, an non suis praedicationibus pestilentibus id agant, ut populum credere faciant, quasi sit salus in veniis et vera Dei gratia. Alioquin quomodo tam anxie eas commendarent, ut opera meritoria, et mandata Dei propter illas irrita face-

1) In ed. princ.: et. 2) In ed. Jen.: et quod. 3) Ibid.: sibi non necessariis forte.

rent? Adhuc tamen sunt adeo non haeretici, ut glorientur se haereticorum persecutores.

Hoc scilicet voluit papa, ut homines suae curae commissi propter lapides et ligna usque ad vivam cutem radantur? imo ut pestilentibus doctrinis ab istis latronibus et furibus (ut Christus ait)*) mactentur et perdantur. Melius erat Caesarem**) illum habere, qui dixit, Boni pastoris esse oves tondere, non deglubere. At ii[1]) non deglubunt modo, sed devorant eos corpore et anima, vere sepulcrum patens guttur eorum, linguis suis etc.***)

Conclusio LI.

Docendi sunt Christiani, quod papa, sicut debet, ita vellet, etiam vendita (si opus sit) basilica P. Petri dare illis, a quorum plurimis quidam concionatores veniarum pecunias eliciunt.

Sic B. Ambrosius calices conflavit pro redimendis captivis. Et B. Paulinus Nolanus se ipsum captivum tradidit pro suis. Et ad hoc ipsum habet aurum ecclesia, ut est in Decretis ex eodem Ambrosio sumptum. At nunc, bone Deus, quanti sunt, qui ligna, imo folia portant in silvam, et guttulas suas in mare, id est, obulos suos in marsupium illud, cuius (ut Hieronymi verbis utar) lucrum est totius orbis religio.

Conclusio LII.

Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiamsi commissarius, imo ipse papa impignoraret animam suam pro illis.

Hoc[2]) quoque portentum audent sine omni fronte proferre, ut timorem Dei ab hominibus tollant, per indulgentiasque secum ad indignationem Dei perducant, contra dictum Sap.†): de peccati[3])

---

1) In ed. Jen.: hi. 2) Ibid.: hoc hoc. 3) Ibid.: peccatorum.

*) Johan. 10. **) Tiberius Caesar. ***) Psal. 5. †) Eccle. 9.

propitiatu noli sine metu esse. Et iterum: Delicta quis intelligit? At inquiunt: Non tollimus timorem Dei. Si potest securitas per venias stare cum timore Dei, vere non tollitis, sed populus acceptis literis, cum tanto iuramenti hiatu commendatis, si timet, quod non sufficiunt literae coram Deo, quomodo erit vera illa gloriosa securitatis promissio? Sin confidit sufficere, quomodo timebit? Infelix sit omnis ille sermo in aeternum, qui securitatem et fiduciam suadet in aut per rem quamcunque praeter nudam misericordiam Dei, quae Christus est. Omnes sancti non solum timent, sed etiam desperantes dicunt *): Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine. Et tu eos per literas securos introducis in iudicium eius. Unde ego illam fabulam, quam quidam in tam effrenes mendacii gurgites finxerunt, non veritate penitus vacuam credo, scilicet venisse quendam mortuum cum literis veniarum ad infernum, per easque petiisse libertatem, tunc occurrisse daemonem, qui legens inter manus (prae fervore ignis) ceram et papyrum consumpsit, secumque traxit in profundum.

Conclusio LIII.

Hostes Christi et papae sunt, qui propter venias praedicandas verbum Dei in aliis ecclesiis penitus silere iubent.

Quia officium et mens papae est, ut ante omnia, semper et ubique velit verbum Dei praedicari, sicut sibi praeceptum esse a Christo novit. Quomodo ergo credendus est Christo et sibi ipsi repugnare? At nostri id audent sicut et omnia.

Conclusio LIV.

Iniuria fit verbo Dei, dum in eodem sermone aequale vel longius tempus impenditur veniis, quam illi.

*) Psal. 143.

Satis patet ex dignitate verbi Dei, imo ex necessitate, cum verbum veniarum neque sit necessarium, neque multum utile.

Conclusio LV.

Mens papae necessario est, quod si veniae (quod minimum est) una campana, unis pompis, et ceremoniis celebrantur, evangelium (quod maximum est) centum campanis, centum pompis, centum ceremoniis praedicetur.

Quia nihil in ecclesia est maiore cura tractandum, quam sanctum evangelium, cum ecclesia nihil habeat pretiosius et salubrius. Unde et hoc unicum est opus, quod discipulis suis iniunxit tam repetitis vicibus. Et Paulus dicit *), se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum missum. Denique Christus praecipit sacramentum eucharistiae non celebrari, nisi in suam commemorationem. Et Paulus 1 Cor. 2.: Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Melius est enim omittere sacramentum, quam evangelium non nunciare.

Et ecclesia statuit missam sine lectione evangelii non celebrandam. Plus itaque ponderat evangelium, quam missam Deus, quia sine evangelio non vivit homo in spiritu, sine missa autem vivit. In omni verbo enim, quod procedit de ore Dei, vivet homo, ut latius Iohan. 6. Dominus ipse docet. Deinde missa reficit eos, qui iam sunt in corpore Christi, evangelium vero, gladius spiritus, devorat carnes, dividit Behemoth, tollit vasa fortis et auget corpus ecclesiae, missa nulli prodest, nisi iam vivo, evangelium prorsus omnibus.

Unde in primitiva ecclesia permittebantur energumeni et catechumeni usque post evangelium interesse, et tum foris mittebantur ab iis, qui de corpore missae erant, et nunc etiam permittunt iura excommunicatos usque post evangelium interesse

*) 1 Cor. 2.

missis. Sicut Iohannes praecurrit Christum, ita evangelium missam. Evangelium prosternit et humiliat, missa humiliatis dat gratiam. Melius ergo facerent, si missam prohiberent.

Quam[1]) pulchrum vero daemonibus spectaculum id esse putas, si quando veniarum effusores, ipsi maxime veniis indigi (puta Simoniaci et in canones lapsi), dant illis, qui prorsus non egent veniis.

Conclusio LVI.

Thesauri ecclesiae, unde papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

Haec est mors secunda, quam merui. Ideo postquam multa iam diu asserui tam manifesta, ut protestatione non egerent, nunc rursum aliquando disputandum est, ideoque et protestandum novissima protestatione in hac disputatione. Disputo ergo hic et quaero veritatem, testis lector, testis auditor, testis vel ipse haereticae pravitatis inquisitor.

Conclusio LVII.

Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi concionatorum.

Satis patet experientia.

Conclusio LVIII.

Nec sunt merita Christi et sanctorum, quia haec semper sine papa operantur gratiam hominis interioris, et crucem, mortem, infernumque exterioris.

Huius conclusionis materia profunde nimis inhaesit, atque penitus insedit fere omnibus doctoribus, ideo latius et firmius probanda mihi erit, faciamque id cum fiducia.

De meritis sanctorum prius. Dicunt enim, quod

1) In ed. Jen.: Quod.

sancti in hac vita multa operati fuerunt ultra debitum, videlicet opera supererogationis, quae nondum sunt remunerata sed in thesaurum ecclesiae relicta, quibus fit per indulgentias aliqua digna compensatio etc. Et sic volunt sanctos pro nobis satisfecisse. Contra quae arguo:

Primo, ergo indulgentiae non sunt indulgentiae, quod probo, quia non sunt gratuitae remissiones, sed alienae satisfactionis applicationes, et per omnia, sicut supra argutum est, de thesauro militantis ecclesiae, scilicet, quod tunc nihil efficitur virtute clavium, nisi translatio quaedam operum, nihil autem solvitur, quod est contra verbum Christi: Quodcunque solveris.

Item, quod tunc idem per claves agitur, quod de facto fit, quia, si sunt opera sanctorum in ecclesia isto modo, certe per spiritum sanctum non permittuntur otiosa iacere, sed de facto succurrent, quibus possunt.

Secundo, nulla sunt opera sanctorum relicta irremunerata, quia secundum omnes Deus praemiat ultra condignum, et Paulus*): Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam etc.

Tertio, nullus sanctorum in hac vita sufficienter implevit mandata Dei, ergo nihil prorsus fecerunt superabundans. Quare nec ad indulgentias aliquid distribuendum reliquerunt. Consequentiam credo satis claram, sed maiorem ita probo, ut non sit dubitanda, sed ita credenda, ut eius contraria sit haeretica.

Primo, per illud Christi**): Cum feceritis omnia, quae scripta sunt, dicite: servi inutiles sumus. Sed servus inutilis citra, non ultra fecisse intelligitur, nisi forte quorundam insulsissimorum hominum somnia sequamur, qui humilitatis, non veritatis gratia haec dici a suis Christum voluisse garriunt, Christum mendacem facientes, ne ipsi non sint veraces.

Secundo, per illud Matth. 25, quod sapientes

*) Rom. 8. **) Luc. 17.

virgines prorsus nihil voluerunt communicare de suo oleo, timentes, ne ipsis quoque deficeret.

Tertio, Paulus 1 Corinth. 3: Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem, non ait, secundum alienum.

Quarto, Galat. 6: Unusquisque pro se reddet rationem, et iterum: ut unusquisque recipiat, prout gessit in corpore.

Quinto, omnis sanctus debitor est Dei diligendi, quantum potest, imo ultra quam potest, sed nullus id fecit, nec potuit.

Sexto, sancti per opus eorum omnium perfectissimum, scilicet mortem, martyrium, passionem, non faciunt ultra quam debent, imo faciunt quod debent, etiam vix faciunt. Ergo multo minus in aliis operibus plus fecerunt quam debuerunt.

Septimo, quod, cum tot ego argumenta producam, illi autem pro sua parte nec unum, sed simplicem narrationem, sine scripturis, doctoribus, rationibus loquentes, possumus, imo debemus ab eorum sententia omnino recedere. Sed haec sint mea.

Nunc idem probo autoritate S. patrum. Et primo illud familiare B. Augustini: Omnes sancti necesse habent orare, Dimitte nobis debita nostra, etiam tunc cum benefecerint, eo quod Christus nullum excepit, quando orare nos docuit. Sed qui confitentur debita, certe non superabundant.

Secundo, per Psal, 32[1]): Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Et infra: Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Quam B. Hieronymus dial. contra Pelagian. egregie tractans dicit: Quomodo est sanctus, si pro impietate sua orat? Rursum: Si est impius, non est sanctus etc. Itaque sancti per orationem et confessionem suae impietatis merentur sibi non imputari peccatum.

Tertio, B. Augustinus lib. 1 retract.: Omnia mandata implentur, quando, quicquid non impletur, ignoscitur. Tractat enim ibidem quaestionem: An sancti impleverint mandata perfecte, et negat, di-

1) In ed. princ.: 31.

cens, quod magis ignoscente Deo, quam implente homine.

Quarto, idem Confess. 9: Vae hominum vitae quantumcunque laudabili, si remota misericordia iudicetur. Ecce etiam sancti indigent misericordia in tota vita sua. Ad quod illud Iob*): Si etiam iustum quippiam habuero, iudicem meum deprecabor. Quomodo ergo superfluuut aliis, qui sibi non sufficiunt?

Quinto B. Augustinus lib. 2 adversus Iulianum inducit decem antiquos patres ecclesiasticos, puta Hilarium, Cyprianum, Gregorium Nazan., Iohan. Chrysostomum, Ambrosium, Hirenaeum, Olympum, Rethicium, Innocentium in eandem sententiam, et illorum autoritate nititur, probans nullum sanctum in hac vita sine peccato esse, secundum illud 1 Iohan. 1: Si dixerimus, quia peccatum non habemus etc. Et in de natura et gratia idem.

Ex quibus et multis aliis, quae longum esset hic narrare, concludo, merita sanctorum nulla esse superflua sibi, quae nobis otiosis succurrant.

Et ut aliquando audax sim, ea quae iam dixi, protestor, me non dubitare, sed paratus sum ignem et mortem suscipere pro illis, et haereticum asseram omnem, qui contra sapuerit.

Tamen per impossibile admittendo, quod vere superfluerent merita sanctis, nescio, si satis dignum opus fieret ab ecclesia, ut tam pretiosa merita tam viliter expenderet, scilicet pro solutione poenarum, cum solutio poenae sit vilissimum donum ecclesiae, et vilissimis donabile, ut iam saepe dictum. Martyrum autem et sanctorum poenae debent esse potius exemplum ferendarum poenarum. Sic enim oramus: Quorum festa colimus, virtutem quoque passionis imitemur.

Item, nec ecclesia mater tunc videtur pie agere, quando relaxat, sed quando castigat et coercet, ut patet in excommunicationibus et censuris, quas poenas utique non relaxat, sed potius infert, tunc ma-

*) Iob. 9.

xime, quando fuerit maxime sollicita pro filiis suis. Si autem relaxat, quasi desperans hoc facit, timens peiora evenire.

Igitur cum sint poenarum remissiones tam vile donum, et sola potestas clavium ibi satis sit, videretur certe non parva irreverentia fieri tam egregiis laboribus sanctorum, si stertentibus impartirentur. Multo melius B. Augustinus in ser. de Marty.: Solennitates martyrum non remissiones, sed exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

Probata est itaque ista pars, quod merita sanctorum non possint esse thesaurus nobis, cum sint penuria ipsismet sanctis, nisi quis sic putet, ea nobis esse thesaurum, non quia superfluunt, sed quia est communio sanctorum, quod quilibet pro altero laborat, sicut membrum pro membro. Sed hoc fecerunt in vita, et si nunc facerent, intercessione potius quam potestate clavis id fieret.

Sed hic a longe audio quorundam acutum argumentum. Verum est, inquiunt, sancti non fuerunt sine peccato in hac vita, sed veniali, nihilominus plura potuerunt facere quam debuerunt. Cum istis quidem obtusissimis ingeniis difficile est agere in hac re, tamen breviter dico, id esse veniale peccatum, quia minus faciunt quam debent, non autem id quod ipsi fingunt solum veniale peccatum, scilicet risum, verbum leve, cogitationem. Est quidem hoc veniale peccatum, sed magnum veniale. Verum etiam opus bonum optime factum est veniale peccatum, ut ex B. Augustino supra. Tunc mandata complentur, quando, quicquid per nos non impletur, ignoscitur, quod in omni opere bono fit, semper enim ibi venia petenda est, secundum orationem dominicam. Sed haec aliam disputationem requirunt, de quo alias. Inde S. Bonaventura, cum asseruisset hominem posse sine veniali peccato esse, utique defecit sanctus homo.

De secundo, scilicet merito Christi.

Hoc non esse thesaurum indulgentiarum, disputo, esse autem thesaurum ecclesiae, haereticus negat, siquidem Christus est pretium mundi et redemptor, et ideo verissime et solus unicus ecclesiae thesaurus. Sed quod sit thesaurus indulgentiarum, nego, donec docear, et causa negandi est:

Prima, quia nullis (ut iam saepe dixi) scripturis id probari, nec rationibus ostendi potest. Nec ipsi, qui hoc tenent, probant, sed simpliciter narrant, ut omnibus notum est.

Dixi autem prius, quod in ecclesia aliquid asserere, cuius nulla potest ratio vel autoritas reddi, est ecclesiam hostibus et haereticis irrisioni exponere, cum secundum apostolum Petrum*) teneamur rationem reddere de ea, quae in nobis est, fide et spe. Et Paulus**), ut sit episcopus potens in doctrina sana, etiam contradicentes redarguere. Hic autem adeo est nulla autoritas, ut, si hodie determinaret ecclesia Romana partem affirmativam, nihilominus maneret idem periculum, scilicet quia non possumus rationem reddere aliam, nisi quia sic papae et Romanae ecclesiae placuit. Sed quid ista ratio faciet, si ab iis[1]) urgeremur, qui Romanam ecclesiam non sequuntur? ut haereticis, Pighardis. Hi non voluntatem papae et Romanae ecclesiae, sed vel autoritatem, vel rationem probabilem quaerent. Et certe iste est mihi vel unicus scopus in ista materia tota.

Secunda, omnia argumenta hic plus valent, quae de thesauro militantis ecclesiae et sanctorum meritis adducta sunt, scilicet:

Primo, quod tunc indulgentiae non sunt indulgentiae, sed translationes operum alienorum ad alios, et vera ac legitima satisfactio, quia id facimus, quod per alium facimus. At per indulgentias (ut dicit Canon lib. 5 de poeni. et re. cap. Cum ex eo)

---

1) In ed. Jen.: his.
*) 1 Pet. 4. **) Tit. 1.

poenitentialis satisfactio enervatur, non ait transfertur, sed enervatur.

Secundo, quod tunc ecclesiae claves nihil faciunt, et vere vilificantur, quia non solvunt, sed ligatum alio transferunt. At impium est dicere, quod clavis non solvat, si autem solvit, totum tollit.

Tertio, quod merita Christi de facto sine clavibus eadem operantur, non enim erunt otiosa.

Quarto, quod tunc insignis fiet irreverentia meritis Christi, si solummodo poenae relaxationi expendentur, cum ipse per ea fuerit exemplum omnium martyrum. Contrarium itaque erit naturae meritorum Christi, ut serviant pigris, quae exstimulant etiam ferventes. Vilissimum est enim, ut iam dictum est, remissio poenae.

Tertia, respondeant[1]) mihi ad istam contradictionem. B. Thomas et Bonaventura et sui sequaces constanter et unanimiter dicunt, quod opera bona sunt meliora, quam indulgentiae, ut supra satis est dictum. Esto ergo haec vera. Item per indulgentias applicantur et expenduntur merita Christi. Esto etiam haec vera, quia et hanc constanter omnes asserunt. Item merita Christi incomparabiliter sunt meliora, quam bona opera nostra, imo sola bona. Esto etiam haec vera.

Hic ego concludo et infero, infelix, qui non dimittit opera sua bona, et solum quaerit opera Christi, id est, indulgentias, cum sit omnium blasphemiarum ultima sentina, sua opera bona praeferre operibus Christi. Aut ergo opera Christi non sunt thesaurus indulgentiarum, aut superbit miser, qui non omissis omnibus praeceptis, etiam divinis, solum indulgentias redimit, id est, merita Christi. At contra S. Thomas et Bonaventura dicunt, quod non sunt praeceptae indulgentiae, et sunt viliores bonis operibus, ergo non sunt opera Christi, et tamen sunt opera Christi simul et semel.

At forte, ut sunt arguti, respondebunt per Aristotelicas distinctiones. Verum est, merita Christi,

1) In ed. princ.: Respondeat.

ut simpliciter sumpta, sunt meliora nostris operibus, sed sic non sunt indulgentiae, vel per indulgentias sic non applicantur, accipiuntur autem, prout solum sunt satisfactoriae pro poenis, et isto modo applicantur. Respondeo, proba quod dicis, quid si nolim istud tibi credere nuda narranti? Probare iubeor*) spiritus, an ex Deo sint. Secundo, ubi nunc illud est, quod supra dictum fuit, ideo illa per venias dispensari, quia non essent remunerata, sed quia fecissent quaedam, quae non debuerant? Talia ergo sunt tam vilia merita, ut nullam aliam recipiant mercedem, quam ut sint aliorum pigrorum satisfactiones?

Tunc arguo sic, opera supererogationis sunt omnium nobilissima et perfectissima**). Admittitis? Ita. Et talia non remunerantur martyribus vel sanctis, sed conceduntur pigris et stertentibus? et sic sancti remunerantur, secundum opera et merita sua minora, quia perfectiora relinquunt aliis? Quis ita insaniat, oro? Ergo S. Catharina pro martyrio et virginitate sua nihil accepit, sed haec ecclesiae relinquit, et sufficit ei praemium orationis, vigiliarum, et aliorum bonorum operum? Quod si dixeris, quod simul et pro eis remunerati sunt, et simul ea reliquerunt, ubi illud quod dictum fuit: esse quaedam, quae non sunt remunerata? Videsne, quid sit sine autoritate loqui et per tenebras divinare?

Quod si impium est dicere, quod opera supererogationis, vel plura, quam debuerunt sancti, sic sint vilia et eis non remunerata, quanto magis impium est, Christi opera, quae omnia sunt superabundantia, sic vilificare? Quare indulgentias ita magnificare, et tamen rursum nostris operibus eas minorare, hoc est, Christum et sanctos eius in suis meritis blasphemare, nisi id erronee et non volenter fiat.

Quarta, resumo argu. quod glos.[1]) de poe. et re. cap. quod autem, adducit, scilicet, si indulgen-

---

1) In ed. Jen.: de glo.
*) 1 Iohan. 4. **) Luc. 10.

tiae sunt remissiones poenarum omnium, non debet homo ultra ieiunare aut bona facere. Nec solvitur ibidem[1]) per hoc, quod sit incerta remissio, sed blasphemantur potius claves ecclesiae, licet eum iuvent in hac solutione[2]) omnes ferme doctores scholastici. Illud autem, quod nescit homo, an amore dignus sit, quo probat solutionem suam[3]), intelligitur de futuro eventu, quia qui nunc credit nescit, an sit in fide perseveraturus. Unde ibidem eccle. 9. statim additur: Nescit homo an amore vel odio dignus sit, sed omnia servantur incerta in futurum, praemisit enim: Sunt iusti et opera eorum in manu Dei etc.

Quod si remissionem culpae faciunt incertam, multo magis et poenae, cum culpa manente et poenam quoque manere necesse sit, sicut ibidem dicit glossa, quod remissio illa intelligitur, quando per contritionem (imo per fidem clavium) omnino deletum est peccatum. Quid ergo sunt indulgentiae? incerta donatio? Absit, absit, ut tam impia illusio ab ecclesia Christi, imo clavibus fiat. Tum enim vere (ut quidam dicunt) indulgentiae essent quaedam impiae fidelium deceptiones. Ad istum errorem venitur, dum quaerimus per opera nostra et nostram iustitiam iustificari potius quam per fidem. Ideo de contritionibus tantummodo docemus, quando optime docemus, nihil de fide clavium, quae maxime omnium docenda erat. Sed supra de iis latius est dictum.

Aut ergo indulgentiae non sunt thesaurus meritorum sanctorum, aut optime sequitur, quod consecutus debet quiescere ab operibus suis bonis pro peccatis, ut arguit ista glossa[4]). Solutio autem ipsius glossae etiam impia est in Christum, quia, si per venias mihi impenduntur merita Christi, et ego adhuc incertum habeo, mihi esse peccata remissa,

1) Ibid. deest: ibidem. 2) Ibid. legitur: sententia. 3) Ibid. desunt haec verba: quo probat solutionem suam. 4) Ibid. desunt verba: ut arguit ista glossa, et pergitur: Sed quod ista sententia sit impia in Christum etc.

ideo adhuc operandum pro eorum remissione. Tunc sequitur, quod dubito, an merita Christi applicata et donata mihi sint sufficientia ad remissionem peccatorum. Quo dubio quid exsecrabilius? Si autem non dubito, sed sufficientia credo, impiissime fecero, si opera mea meliora putavero, quam indulgentias (id est, opera Christi mihi impensa). Ego enim, si unicum opus, imo millies millesimam partem unius minimi operis Christi possem obtinere, securus sum de redemptione aeterna.

Cessemus itaque operari nostra opera pro peccatis, et nihil nisi indulgentias redimamus, quia in illis non unum opus, sed omnia merita Christi, nec huius solum, sed omnium sanctorum consequimur. Cum itaque merita Christi nulla proportione bonitatis nostris possint comparari, aut ipsa non sunt thesaurus indulgentiarum, aut indulgentiae erunt praeferendae omnibus operibus omnium praeceptorum Dei, aut meritis Christi fiet summa omnium irreverentia et blasphemia. Deinde id quoque vide, quale est, quod huic thesauro, quasi solius Christi merita non sufficerent, addunt merita sanctorum, item merita ecclesiae militantis.

At dicis: Ergone S. Thomas adeo erravit cum ceteris? Numquid papa et universa ecclesia errat, quae ita sapit? An tu solus recte sapies et primus?

Respondeo primum: Non sum solus, sed veritas mecum, et multi alii, scilicet, qui dubitaverunt, et adhuc dubitant, quid valeant indulgentiae. Nec peccant eo dubio, cum sint remissiones tantum poenarum, quas sive quis credat sive non[1]), sive consequatur, sive non, nihilominus salvus erit.

Secundo, et papa mecum est, quia, etsi concedit indulgentias, nusquam tamen dicit, quod sint de thesauro meritorum Christi et ecclesiae, imo sese declarans dicit lib. 5 de poe. et re. c. Cum ex eo, quod sint enervationes poenitentialis satisfactionis, sed enervatio non est impensio meritorum Christi. sed tantummodo sublatio poenarum.

1) In ed. Jen. deest: sive non

Tertio, et tota ecclesia mecum, quia ecclesia utique cum papa sapit, et sicut papa sapit. Sed iam dictum est, quid papa sentiat.

Quarto, etsi S. Thomas, B. Bonaventura, Alexander Ales[1]) sint insignes viri cum suis discipulis, Antonio, Petro Palus., Ang. Anco. praeter canonistas, qui omnes eos sequuntur, tamen iustum est eis praeferre veritatem primo, deinde et autoritatem papae et ecclesiae. Nec mirum est tantos viros in hoc errasse. Nam in quantis, quaeso, B. Thomam etiam Scholastici errasse arguunt? Imo quod maius est, iam plus trecentis annis tot universitates, tot in illis acutissima ingenia, tot ingeniorum pertinacissima studia in uno Aristotele laborant, et tamen adhuc non solum Aristotelem non intelligunt, verum etiam errorem et fictam intelligentiam per universam pene ecclesiam spargunt, quamquam si etiam intelligerent eum, nihil egregiae sapientiae adepti essent, praesertim in eis libris Aristotelis, quos usitatiores habent, in quibus vel ipsiusmet testimonio apud Aulum Gellium lib. 20. c. 4. et Greg. Nazan. in Ser. adversus Arianos non nisi merus Logodaedalus et Logomachus deprehenditur.

Audax, impudens, temerarius forte hic videor, atque utinam mihi tantum superesset aetatis et otii, ut huius temeritatis meae rationem reddere, et verbis meis fidem facere possem, forte efficerem, ut non frustra sic sapere viderer. Non Aristotelem cum Platone et aliis concordarem, quod Iohannes Picus Mirandulanus coepit, sed Aristotelem suis coloribus pingerem, sicut dignum est pingi eum, qui ex professo est artifex verborum (ut Gregorius Nazan. ait) et illusor ingeniorum.

Si itaque per tantum tempus in tantis ingeniis permisit Deus, tantum nubis et tenebrarum dominari, quid adhuc nobis ita securi placemus, et non potius (sicut Christianos decet) omnia nostra suspecta habemus, ut solus Christus sit lux, iustitia, veritas, sapientia, omne bonum nostrum. Igitur sancti illi

1) Ibid. legitur: de Ales.

viri, cum viderent Aristotelem ab indoctis et Christum ignorantibus in tanta autoritatis veneratione haberi, ipsi, ut erant humili[1]) sensu, pia simplicitate sunt secuti, et in errorem lapsi, ceteris occasio fuerunt tot turbinum, opinionum, quaestionum, errorum, sicut in Scholasticis doctoribus videmus. Et digni fuimus, qui Christum relinquimus[2]), ut ipse quoque nos derelictos, etiam per electos suos, in occasionem daret erroris et infiniti laboris. Sicut ait in Ezech. 14. propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum. Et ibidem: Si venerit ad prophetam interrogans me per eum, ego Dominus respondebo ei secundum multitudinem immundiciarum suarum.

Ideo cum timore et iudicio omnia sunt legenda et suscipienda, etiam a magnis et sanctis viris tradita, secundum apostolum*): Omnia probate, quod bonum est tenete. Et illud Iohan.**): Probate spiritus, utrum ex Deo sint. Quae consilia qui omiserint, et in hominem confisi fuerint (sicut ii[3]) qui dicunt: Malo cum tantis errare, quam tecum recte sapere), digni sunt, quos etiam contemnat et relinquat consilium. Qui enim consilium spiritus spernit, cur non spernetur merito a spiritu consilii.

Ita et in indulgentiis[4]) factum est, cum viderent sancti homines, illas vulgo tantum efferri (ut solet vulgus facere semper iudicium Paridis et Midae) et nollent tam viles eas credere, coeperunt vel fingere honestum et pretiosum eorum fundamentum, quia nullum aliud occurrebat, nec uspiam erat. Ad rem itaque redeamus, et meritum Christi quaeramus, et probemus, non esse thesaurum indulgentiarum[5]).

Quinta, nulli datur gratia contritionis, quin simul ei dentur merita Christi. Ergo ante indulgentias habet thesaurum meritorum Christi, et nisi ha-

---

1) Ibid.: humiles. 2) Ibid.: reliquimus. 3) In ed. Jen.: hi. 4) Ibid.: indulgentiis. 5) Ibid. pergitur: iam causa.

*) 1 Thess. 5. **) 1 Iohan. 4.

beret, non proficerent ei indulgentiae, secundum opinionem ipsorum (ita enim sapiunt sublimiter de remissione poenarum), nam per contritionem homo redit in gratiam, sicut filius prodigus cum Christo patre suo, qui dicit*): Omnia mea tua sunt. Et Esaiae 9: Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; Roma. 8: Quomodo non omnia cum illo nobis donavit?

Sexta, alioquin feliciores essent in ecclesia ii[1]), qui sunt peiores. Dictum est enim, quod indulgentiae prosunt criminosis duntaxat, et iis[1]) dabitur thesaurus meritorum Christi. Pueris autem, virginibus ac innocentibus non dabitur, quibus maxime debetur, imo qui habent eum soli. Sed id argumentum parum facit apud eos, qui credunt, omnes poenas tolli, nec posse indulgentias conferri peccatoribus sine contritione, quod ego non credo. Iam causa[2])

Ultima, quam secum fert ipsa conclusio probationem, scilicet quod merita Christi et sanctorum eius sine papa operantur opus suum duplex, scilicet proprium et alienum. Proprium, id est, gratiam, iustitiam, veritatem, patientiam, mititatem in spiritu hominis electi, quia iustitia Christi et meritum eius iustificat et remittit peccata, sicut Iohannes ait**): Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, et Esa. 43: Servire me fecisti in iniquitatibus tuis, et laborem praebuisti mihi in peccatis tuis: ego sum[3]), qui deleo iniquitates tuas, et peccatorum tuorum non recordabor. Delet autem merito suae passionis. Et isto modo concederem, quod merita Christi sint quidam thesaurus, non ecclesiae, sed Dei patris, qui nobis per suffragium efficax apud Deum impetrat remissionem culpae. Sic dicit in Iob per figuram: Faciem eius suscipiam. Et apostolus Ebrae. 12: Sanguinem Christi melius clamantem, quam Abel[4]), quia sanguis Abel[4]) vindictam et iram postulat,

---

1) Ibid. legitur: hi. his. 2) Ibid. desunt verba: Iam causa. 3) Ibid. legitur: ego, ego sum. 4) Ibid.: Habel.
*) Luc. 15. **) Iohan. 1.

sanguis Christi misericordiam clamat, et interpellat pro nobis.

Alienum (sic enim Esa. vocat cap. 28), id est, crucem, laborem, poenas varias, denique mortem et infernum in carne, ut destruatur corpus peccati, et mortificentur membra nostra super terram, et convertantur peccatores in infernum. Nam quicunque in Christo baptizatur et renovatur, ad poenas, ad cruces, ad mortes paratur, ut aestimetur sicut ovis occisionis, et mortificetur tota die, sicut ait Psalm. 44[1]): Ego autem ad flagella paratus seu ordinatus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. Sic sic oportet nos fieri conformes imagini filii Dei, ut qui non acceperit crucem suam, et sequutus fuerit eum, non sit dignus, etiamsi sit omnibus indulgentiis plenus.

Quocirca nunc vide, num, quo tempore coepit theologia Scholastica, id est, illusoria (sic enim sonat Graece), eodem evacuata est theologia crucis, sintque[2]) omnia plane perversa. Theologus crucis (id est, de Deo crucifixo et abscondito loquens) poenas, cruces, mortem docet esse thesaurum omnium pretiosissimum et reliquias sacratissimas, quas ipsemet dominus huius theologiae consecravit, benedixitque, non solum tactu suae sanctissimae carnis, sed et amplexu suae supersanctae et divinae voluntatis, easque hic reliquit vere osculandas, quaerendas, amplexandas. Quin beatus et benedictus, qui dignus fuerit Deo visus, ut ei donentur hi thesauri reliquiarum Christi, imo qui intelligat sibi donari. Nam cui non offeruntur? Sicut B. Iacobus*): Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis. Non est enim omnium haec gratia et gloria, ut hos accipiant thesauros, sed electissimorum filiorum Dei.

Multi peregrinantur Romam, aliaque sancta loca, ut tunicam Christi, ossa martyrum, loca et vestigia sanctorum videant (quod non damnamus quidem),

---

1) In ed. princ. deest: 44. 2) In ed. Jen.: suntque.
*) Iacob. 1.

sed hoc gemimus, quod veras reliquias, scilicet passiones et cruces, quae sanctificaverunt ossa et reliquias martyrum, et tanta veneratione fecerunt digna. Ita nescimus, ut non solum non acceptemus oblatas domi, sed summis viribus repellamus, et persequamur de loco in locum, cum deberemus summa siti et iugibus lacrimis id apud Deum postulare, ut darentur nobis tam pretiosae reliquiae Christi omnium sacratissimae, tanquam donum electorum Dei filiorum. Sic Psal. 16[1]) titulum in Ebraeo fertur habere, מִכְתָּם[2]), quod aurum insigne velut munusculum intelligas, cum ibi non nisi passio Christi canatur. Et Psal. Testimonium Asaph, quod eruditi volunt potius iocale Asaph, seu donum deliciosum Asaph intelligere. Et ibi tamen Crucis personat hymnus.

Quin tam sanctae sunt eiusmodi reliquiae, et tam pretiosi thesauri, ut cum aliae possint servari in terra, aut ut honorificentissime in auro, argento, gemmis, serico, hae non possunt servari nisi in coelestibus, vivis, rationalibus, immortalibus, puris, sanctis servaculis, id est, cordibus fidelium, omni auro et gemma inaestimabiliter pretiosioribus. At nunc adeo deest fides vulgi, qua hanc religionem talium reliquiarum colat, ut etiam summi quidam pontifices autores et duces eis fuerint non modo repellendarum, sed etiam persequendarum, adeo, ut Turcas vorare voluerint, deinde et ipsos Christianos in peiorem, quam inferni damnationem excommunicare, potius quam vellent obulum sui census remittere, nedum nominis aut corporis iniuriam sustinere. Qui tamen interim nihilominus cataractas coeli aperuerunt, et inundaverunt thesauros indulgentiarum et meritorum Christi, ita ut et hoc diluvio prope sit pessundatus orbis Christianus, nisi me fallit fides mea.

Theologus vero gloriae (id est, qui non cum apostolo solum crucifixum et absconditum Deum

---

1) In ed. princ.: 15. 2) In ed. Jen.: Michtam.

novit, sed gloriosum cum gentibus, ex visibilibus invisibilia eius, ubique praesentem, omnia potentem videt et loquitur) discit ex Aristotele, quod obiectum voluntatis sit bonum, et bonum amabile, malum vero odibile, ideo Deum esse summum bonum et summe amabile. Et inde dissentiens theologo crucis definit thesaurum Christi esse relaxationes et solutiones poenarum, tanquam rerum pessimarum et odibilissimarum. Contra theologus crucis, thesaurum Christi esse impositiones et alligationes poenarum, tanquam rerum optimarum et amabilissimarum. Et tamen adhuc ille accipit pecuniam pro suo thesauro, illius [1]) nec gratis oblatum dignantur vel intuitu, sed persequuntur denique.

Sed quis erit iudex horum, ut sciamus, utrum audiamus? Ecce, inquit Esa. 66, Ego eligam illusiones eorum. Et 1 Corinth. 1: Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia etc. Quod iudicium, si adeo placet, ut verum est, id nobis restat confitendum, si volumus vera loqui, quod thesauri indulgentiarum sunt omnium maxima damna, si intelligantur eo, quo modo ebuccinantur, scilicet esse eos omnium poenarum remissionem, non tantum canonicarum, cum non sit maius damnum, quam tolli imaginem filii Dei ab hominibus, et eos spoliare thesauris inaestimabilibus, de quibus S. Hagnes iucunda et beata jactantia superbiebat, appellans eos vernantes, coruscantes gemmas ac ornamenta, monilia pretiosa etc.

Conclusio LIX.

Thesauros ecclesiae B. Laurentius dixit esse pauperes ecclesiae, sed locutus est usu vocabuli suo tempore.

Patet satis iis [2]), qui legendam S. Laurentii viderunt. Deinde non est nunc usus vocabuli, ut thesauros ecclesiae vocent homines pauperes, sed patrimonium Christi et S. Petri appellamus, quod

---

1) Ibid.: huius. 2) Ibid.: his.

palea quaedam, sine tamen grano Constantini, dedit ecclesiae. Ideo et Psal. 2., ubi Deus dicit Christo: Postula a me, et dabo tibi gentes in haereditatem, et possessionem tuam terminos terrae, intelligi oportet oppida et agros ab oriente in occidentem. Alioquin nostro tempore, si quis loquatur aliter de rebus ecclesiae et spiritualibus, erit barbarus nobis, licet et B. Laurentius facultates ecclesiae dixerit divitias, sed non solas.

Conclusio LX.

Sine temeritate dicimus, claves ecclesiae (merito Christi donatas) esse thesaurum istum.

Si istud meritum vocaretur, et thesaurus indulgentiarum, scilicet potestas clavium, plana est intelligentia. Nullus enim dubitat, quin merito Christi donatum sit ecclesiae, quicquid donatum est.

Conclusio LXI.

Clarum est enim, quod ad remissionem poenarum et casuum sola sufficit potestas papae.

Probatur ex ipso stilo papae, dum nunquam meminit meritorum Christi in ligando aut solvendo, sed tantummodo dicit de plenitudine potestatis, ex certa scientia et motu proprio.

Secundo, ex communi omnium sententia probantium, indulgentias virtute illius verbi donari, ubi Christus dicit: Quodcunque solveris etc. Quod verbum putant sine vigore esse, nisi potestatem donandi permitteret. Quare et ipsi solam potestatem intelligunt sufficere, nulla autem autoritate probant thesaurum, sed hanc autoritatem velut sufficientem adducunt, quae tamen sonat nudam potestatem, non autem applicationem meritorum.

Tertio, alioquin etiam in aliis ligationibus et solutionibus intelligenda esset distributio meritorum, puta, quando sacerdotali officio excommunicat, absolvit, ordinat, deordinat, statuit, abrogat, praecipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur. In iis enim omnibus agitur virtute istius verbi: Quodcunque

Si ergo in istis non est necessaria distributio meritorum, sed sufficit potestas nuda clavium, quanto magis in remissione poenarum canonicarum, cum talis remissio sit nihil aliud, quam absolutio a poenis, imo si uspiam fit distributio meritorum Christi, maxime fieri debet in absolutione excommunicati, ibi enim reconciliatur ecclesiae peccator, et rursum declaratur particeps bonorum Christi et ecclesiae. Nulla itaque est ratio, quare illud verbum: Quodcunque solveris, in indulgentiis includit [1]) thesaurum Christi, et non etiam in omnibus aliis solutionibus, cum fit eadem autoritas, eadem verba, eadem sententia in illis.

Quarto, si solvere per clavem in veniis dandis importat apertionem et effusionem thesauri ecclesiae, ergo per oppositum ligare importabit collectionem et inclusionem thesauri eiusdem. Sunt enim contrariae potestates, et contrariorum operum. Sed nusquam et nunquam est usus colligendi aut includendi hunc thesaurum, et tamen si solutio et offusio est, etiam inclusionem esse necesse est, cum utrumque donatum sit ecclesiae, nec frustra aut vane donatum. Ergo sicut ligare intelligitur sine collectione thesauri debitorem facere, nec aliquid ei positive auferre, ita solvere cogit intelligi liberum facere, sine expensione thesauri positivi [2]).

Conclusio LXII.

Verus thesaurus ecclesiae est sacrosanctum evangelium gloriae et gratiae Dei.

Satis incognita res est evangelium Dei in multa parte ecclesiae, ideo paulo latius de illo dicendum. Nihil enim reliquit in mundo Christus, praeter solum evangelium. Unde et nihil servis suis vocatis

---

1) In ed. Jen.: includat. 2) In ed. princ. sic legitur: Ergo sicut ligare intelligitur sine collectione thesauri, debitorem facere, sine expensione thesauri positive. — Textus editionis Jen. hic congruit cum textu Lucubrationum Dr. Mart. Lutheri ed. Basileae 1520 apud Adam Petri.

tradidit, quam minas, talenta, pecunias, denarios, ut ex iis [1]) ipsis vocabulis thesaurorum ipsum verum thesaurum esse ostenderet. Et Paulus *) dicit sese thesaurisare filiis suis, et Christus thesaurum absconditum in agro. Et hoc ipsum, quod est absconditus, facit, ut sit pariter et neglectus.

Est autem evangelium, secundum apostolum Roma. I., sermo de filio Dei incarnato, nobis sine meritis in salutem et pacem donato. Est verbum salutis, verbum gratiae, verbum solatii, verbum gaudii, vox sponsi et sponsae, verbum bonum, verbum pacis, sicut ait Esa. 52: Quam iucundi pedes evangelizantium, evangelizantium pacem, praedicantium bona. Lex vero est verbum perditionis, verbum irae, verbum tristitiae, verbum doloris, vox iudicis et rei, verbum inquietudinis, verbum maledicti. Nam secundum apostolum lex est virtus peccati, et lex iram operatur; est lex mortis. Ex lege enim nihil habemus, nisi malam conscientiam, inquietum cor, pavidum pectus, a facie peccatorum nostrorum, quae lex ostendit, nec tollit, nec nos tollere possumus.

Sic itaque captis ac tristibus, omninoque desperatis, venit lux evangelii, et dicit**): Nolite timere, consolamini, consolamini, popule meus, consolamini pusillanimes, ecce Deus vester, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ecce qui solus implet legem pro vobis, qui factus est a Deo vobis iustitia, sanctificatio, sapientia, redemptio ***) omnibus, qui credunt in eum. Hoc suavissimum nuncium cum audierit conscientia peccatrix, reviviscit, et tota exsultat in tripudio plenaque fiducia, iam nec mortem, nec amica mortis poenarum genera formidat, neque infernum. Ideo, qui poenas adhuc timent, nondum audiverunt Christum, nec vocem evangelii, sed vocem potius Mosi.

Ex hoc itaque evangelio nascitur vera gloria Dei, dum docemur, non nostris operibus, sed gratia miserentis Dei in Christo impletam legem et im-

1) In ed. Jen.: his.
*) 2. Cor. 12. **) Esai. 40. ***) 1. Corinth. 1.

pleri, non operando, sed credendo, non Deo aliquid offerendo, sed ex Christo omnia accipiendo et participando, de cuius plenitudine participamus omnes et accipimus. De quo alias latius.

Conclusio LXIII.

Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit novissimos.

Evangelium enim destruit ea quae sunt, confundit fortia, confundit sapientia, et redigit eos in nihilum, in infirmitatem, in stultitiam, quia docet humilitatem et crucem. Sic Psal. 9: Increpasti gentes et periit impius, nomen eorum delesti. Verum hanc regulam crucis horrent omnes, quibus placent terrena et sua, dicentes: Durus est hic sermo, ideo non est mirum, si sit odiosissimus sermo Christi his, qui diligunt [1]) aliquid esse, sapientiam, potentiam, coram se et hominibus, et primi sibi videntur.

Conclusio LXIV.

Thesaurus autem indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex novissimis facit primos.

Quia docet horrere poenas, imo facit liberos a poena, quod est solummodo iustorum. Nullus enim indiget indulgentiis, nisi servus poenarum, id est, qui non calcat eas, contemptu superbo eis dominans, sed premitur illis et fugit eas, sicut puer ab umbris noctis et tenebrarum, et tamen permittuntur liberi, cum iusti etiam subiecti sint poenis variis.

Conclusio LXV.

Igitur thesauri evangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros divitiarum.

Sic enim apostolus: Non quaero vestra, sed vos. Et Christus: Faciam vos fieri piscatores ho-

1) In ed. Jen.: deligunt.

minum. Verbum enim dulce trahit voluntatem; imo facit voluntatem hominis in Christum. Unde S. Petrus in Urbe pictus piscator dicit:

Ecclesiam pro nave gero, mihi climata mundi
Sunt mare, scripturae retia, piscis homo.

Conclusio LXVI.

Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur divitias virorum.

Hanc puto ex dictis claram, quia per remissiones poenarum homo non fit melior, nec trahitur plus ad Deum (hoc enim solo verbo Christi fit), cum sint verba hominis dantis licentiam ad relaxationem magis quam capientis et ligantis, quod si aliquid capiunt, certe nihil nisi pecunias, non autem animas capiunt. Non quod damnem istud negotium pecuniarum contribuendarum, imo meo iudicio videtur Dei providentia id curare in isto negotio, ut, cum sit vilissimum inter dona et officia ecclesiae, nec dignum in futura vita coronari [1]), saltem in hac vita vel modica pecunia remuneret, ut nihil maneat irremuneratum, quamquam olim gratis fiebant relaxationes.

Conclusio LXVII.

Indulgentiae, quas concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales quoad quaestum promovendum.

Sic enim audet audax ignorantia, ut maximum vocet, quod [2]) minimum est, et relinquitur tum populo iudicium et facultas recte intelligendi, ut errans credat Dei gratiam hic dari. Ipsi enim non exponunt, ne sibi ipsis contradicere cogantur, aut mendaces inveniantur, quod parvum dixerint magnum.

Conclusio LXVIII.

Sunt revera minimae ad gratiam Dei et crucis pietatem comparatae.

---

1) In ed. princ.: conari. 3) In ed. Jen.: quid.

Imo comparatae ad Dei gratiam sunt nihil et nullae, cum potius contraria operentur gratiae Dei, tamen propter ignavos et pigros toleratae, ut [1]) patet ex dictis.

Conclusio LXIX.

Tenentur episcopi et curati [2]) veniarum apostolicarum commissarios cum omni reverentia admittere.

Quia autoritati papali in omnibus cum reverentia cedendum est. Qui enim potestati resistit, resistit Dei ordinationi, qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt *). Et Dominus ipse **): Qui vos spernit, me spernit. Igitur licet in rebus [3]) exiguis, nihilo tamen minus quam in magnis autoritati cedendum. Hinc illud etiam venit, quod, etsi papa ferret iniustas sententias, timendae tamen sunt, et ut Carolus inquit Imperator, Quicquid imposuerit, quantumvis grave sit, ferendum est. Sicut et experientia videmus fieri ab ecclesia, quae certe infinitis oneribus hodie premitur, et tamen pie et humiliter fert quieta.

Id tamen intelligendum est, ne quis in erroneam conscientiam veniat, quasi ideo sint timendae iniustae sententiae, quia sint approbandae tanquam iustae, ab iis [4]), qui debent eas timere, cum ipsemet pontifex aliquos decernat ab ecclesia ligari, qui tamen coram Deo ligati non sunt, et cogit eos ligationem [5]) ferre, nec eis nocet talis ligatio, quia est poena tantum, et timeri debet, non autem scrupulum conscientiae facere, sicut timere debemus Deum in omni alia violentia, etiam profana, et non per contemptum superbe reluctari. Ita et onera sunt ferenda, non quod recte fiant, et approbanda

1) In ed. princ.: et. 2) Ibid.: et Cura in veniarum. 3) In ed. Jen.: rebus in. 4) Ibid.: his. 5) In ed. princ.: litigationem.

*) Rom. 13. **) Matth. 10.

sint, sed ut flagella a Deo inflicta, et humiliter portanda.

Quare sententiae iniustae et onera sunt timenda, non propter illud verbum: Quodcunque ligaveris, sed propter illud generale praeceptum*): Esto consentiens adversario tuo in via. Et illud: Qui te percusserit in maxillam dextram, praebe ei et sinistram etc. Et Roma. 12: Non defendentes vosmet ipsos etc. Si enim hoc esset consilium (ut multi etiam theologi videntur errare), tunc liceret eadem libertate resistere papae in suis oneribus et sententiis iniustis, qua Turco, vel aliis adversariis, sed nullis prorsus est resistendum, licet non sit eorum opus approbandum, ne sit error in conscientia. Sed haec materia necessaria valde aliud tempus et opus postulat.

Conclusio LXX.

Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus advertere, ne pro commissione papae illi sua somnia praedicent.

Probatissima est regula illa iuristarum, papam in omnibus concessionibus sic agere, ut nulli alteri praeiudicet, nisi id faciat expressa mentione et plenitudinis potestate, ut docet quoque mos curiae atque stilus. Quare certissimum est, quod dans indulgentias vult eas esse nihil plus, quam indulgentias, neque aliquid valere, quam quod natura sua valent. Permittit autem valere, quantum valent, contentus quod dederit, nusquam enim declarat valorem earum. Haec est commissio papae.

At nostri praecones ultra procedunt, et non solum sese iactitant per pulpita, quod sint papae, quos rectius pappos alii putant, verum et nomini coniungunt officium, tam papae quam ecclesiae, ac nobis velut e coelo statuunt et pronunciant cum fiducia quid sint, imo longissime ultra quam sint, et esse unquam possint indulgentiae, ut vel ex libro suo potest probari novissimo. Horum itaque

*) Matth. 5.

somnia tenentur episcopi prohibere, ne sinant lupos intrare ovilia Christi, sicut expresse praecipitur lib. 5. de poe. et re. cap. cum ex eo, et Cle. eodem cap. Abusionibus, ut nihil permittant populo proponere, quam quod in eorum literis continetur.

Conclusio LXXI.

Contra veritatem apostolicarum veniarum qui loquitur sit ille anathema et maledictus.

Quia, etsi res parva sit veniarum largitio respectu gratiae Dei, et ad tantum boatum praedicantium eas, tamen contra potestatem superbe agit, qui contradixerit, ideo merito maledicetur, cum obedientia ecclesiastica eo sit mirabilior, quo etiam in vilioribus suo sensui cedit et humiliatur. Quae autem sit veritas indulgentiarum, satis hucusque est disputatum, et adhuc exspectat determinationem ecclesiae, nisi quod certum est, eas esse relaxationes tantum temporalium poenarum, quaecunque tandem illae sint. Relaxatio vero poenarum (ut dixi) vilius est donum, quod ecclesia donare potest, praesertim si eam donet iis, quibus culpam remiserit. Remissio vero culpae est maximum omnium cum sancto evangelio, quod illi non ita curant aut certe ignorant.

Conclusio LXXII.

Qui vero contra licentiam et libidinem verborum[1]) concionatoris veniarum curam habet, sit ille benedictus.

Sic enim hodie habet vidua Christi, sancta ecclesia, ut omnibus omnia liceant, et praesertim theologis Scholasticis, inter quos invenire est, qui veras etiam sententias damnent, nulla causa nisi quia ex suo fonte non prodierunt, ipsis tamen licet asserere, quod Deus peccatum facit, Deus est causa mali, culpae, et multa alia. Quae si quis poeta vel orator (ut vocant) aut graece, latine, hebraice

1) In ed. Jen.: verbum.

doctus diceret, omnium haereticorum pessimus fuerit, sed id maius damnum. Tantum est crimen, si quis Christianus Turcis arma deferat, aut Romam petentes impediat, aut literas apostolicas violaverit, ut nulla unquam data sit facultas illa remittendi, etiamsi plenissima plenissimarum daretur, sed sibi reservat sedes apostolica: tam sancte tunc agebat ecclesia, et servatis Dei mandatis primum, etiam tam parva voluerit, tanto rigore coercere. Nondum enim erat illa Lerna et tartarus Simoniarum, libidinum, pomparum, caedium, reliquarumque abominationum in ecclesia.

At si illa ita rigide coercentur, quo tandem putamus rigore sunt coercendi, qui non Turcis, sed daemonibus offerunt, non quaecunque, sed nostra propria arma, id est, verbum Dei, dum illud suis somniis contaminant, et (ut Isaias solet loqui) conflant in idolum per spiritum suum, ut sit non instrumentum, quo trahatur anima, sed seducatur in falsas opiniones? At hoc vitium passim ita licet, ut vitiosissimus sit, qui non virtutem et meritum meritorum existimet, a quocunque factum fuerit. Sic et B. Hieronymus queritur, scripturam omnibus patere, non ad discendum, sed ad lacerandum.

Deinde, si qui euntes Romam impediunt, adeo peccant, quid illi [1]), qui euntes in coelum impediunt, non solum pestilentibus doctrinis, sed etiam corruptissimis moribus? et illi, qui non literas apostolicas, sed divinas violant, quo ibunt? Clavem scientiae tulerunt, ipsi non intrant, et introeuntes prohibent *). An ista portenta sunt forte maiora et peiora, quam ut in die coenae legantur et reserventur? Sed legantur solum in coelo, et nunquam remittantur.

Benedictione itaque digni, qui nituntur purgare scripturas sanctas, et elucidare ex tenebris opinionum et humanarum rationum, quibus prope facti

---

1) Ibid.: qui illud.
*) Matth. 23.

sumus Pelagiani sensu, et Donatistae opere. Sed haec alias.

Conclusio LXXIII.

Sicut papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur.

Iterum dico sicut prius (quicquid sit de intentione personali summi pontificis), potestati clavium humiliter cedendum et favendum est, nec temere contra nitendum, Dei enim potestas est, quae sive per usum, sive abusum agatur, debet timeri, sicut omne aliud opus ex Deo, magis autem illa.

Conclusio LXXIV.

Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum praetextum in fraudem sanctae caritatis et veritatis machinantur.

Quantumcunque enim potestas honoranda est, non ideo tam ignavi esse debemus, ut abusum eius non reprobemus, aut non resistamus. Sic enim omnes sancti potestatem seculi, quam etiam Dei vocat apostolus, sustinuerunt et honorarunt, etiam in mediis poenis et torturis, quas illa inferebat, sed tamen constanter eius abusum detestabantur. Et non ideo sustinuerunt, quia illi recte uterentur potestate persequendo, sed reliquerunt illis conscientiam malefacti, et per mortem secum traxerunt testimonium et confessionem innocentiae, sicut B. Petrus *) ait: Nemo patiatur sicut fur etc. Ita si ecclesia vel pontifex aliquem privaverit communione fidelium, sine causa, debet id sustinere, et potestatem non damnare, sed non debet ita timere, ut approbet, quasi benefactum sit, sed potius mori in excommunicatione. Non est enim excommunicatus, nisi errante clave, cuius errorem si approbet petens absolvi, iam peius errat, clavem honoret et ferat, errorem non probet.

Igitur fulminandi sunt, qui ita venias praedicant, ut eas gratias Dei videri velint, hoc est enim

---

*) 1. Pet. 4.

contra veritatem et caritatem, quae sola talis gratia est. Multoque melius erat, nullas esse uspiam indulgentias, quam tales opiniones in vulgum seminari, quia sine indulgentiis possumus esse Christiani, sed talibus opinionibus non possumus esse, nisi haeretici. Certum est autem, quod summus pontifex vel credit vel debet velle esse in populo primum mutuam caritatem, et misericordiam, aliaque praecepta Dei in illo florere, ac sic donat indulgentias. Nunc vero fallitur, quia caritas et misericordia et fides prope exstincta est, nedum refriguit apud nos. Hoc enim si sciret, omissis veniis id ageret, ut populus primum ad mutuam caritatem rediret.

Ita testor ego Dominum Jesum, quod populus magna ex parte (alii putant ex omni parte) ignorat, quod opera caritatis meliora sunt quam veniae, credit potius sese nil melius agere posse, quam venias redimere. Et huius haereticae et pestilentis opinionis nullum habet correptorem, aut fidelem magistrum, sed potius per pomposas istas buccinas instantissimos autores.

Conclusio LXXV.

Opinari, venias papales tantas esse, ut solvere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genitricem violasset, est insanire.

Coactus sum insanos vocare, qui talia opinantur, ac venia nobis a diva Virgine est petenda, qnod talia dicere et cogitare cogimur, nec patuit via, qua hanc necessitatem vitaremus. Nescio quo diabolo operante factum sit, ut populus istum rumorem ubique spargeret, sive id vere ita dictum est, sive ita intellectum a populo. Ego quidem etsi constanter assereretur[1]) a multis, et magni nominis hominibus, ita esse praedicatum in multis locis, potius tamen mirabar, quam crebedam, sed auditu fuisse falsos existimabam. Ideo nolui in hac conclusione ullum concionatorem taxare, sed vulgum monere, qui

1) In ed. Jen.: asseretur.

talia opinari coepit, quae forte nullus dixisset, sive enim illi dixerunt sive non, mea non refert, donec certior fiam. Opinio tamen illa pessima, undecunque orta fuerit, detestanda et damnanda fuit. Veruntamen non mirum fuerit, tale quid a populo fuisse intellectum, quando audit magna et horrenda peccata quodammodo levissima existimari, propter magnitudinem gratiarum.

Vera et evangelica praedicatio est, peccata, quoad fieri potest, magnificare, ut homo ad timorem et legitimam poenitentiam veniat. Denique quid prodest propter vilissimam poenarum remissionem tot auxesibus tonare, ad extollendas venias, et propter saluberrimam crucis sapientiam vix mutire? Imo quomodo id non noceat simplici vulgo, qui tantum solet aestimare verbum, quanto fuerit gestu et apparatu praedicatum? At evangelium nullo, veniae omni apparatu proferuntur, scilicet, ut vulgus evangelium nihil, venias omnia credat esse.

Mirum tamen est, cum audeant clamare, homicidia, latrocinia, libidinem generis omnis, blasphemias in virginem Mariam et Deum facilia, ut his veniis remittantur, cur non etiam illa leviora remitti clament, quae in Bulla coenae reservantur? Pontifex non remittit, vide ergo forte ne et illa non remittat, aut saltem non tam facile remittat, quae multo sunt illis graviora.

Conclusio LXXVI.

Dicimus contra, quod veniae papales nec minimum venialium peccatorum tollere possint, quoad culpam.

Hanc Meosin non posuissem, nisi voluissem praecedentis conclusionis opinionem detestabilem facere. Patet autem, quod nulla culpa remittitur, nisi a solo Deo. Ideo nec illa magna per facultates remittuntur [1]), sed declarantur remitti, et eorum

---

1) In ed. princ.: remittantur.

poena remittitur. Haec dico secundum illorum sententiam. Mea autem patuit superius satis.

Verum hic morandum fuisset in veniali peccato, quod ita vilescit hodie, ac si nullum pene sit, et timeo magna multorum perditione, qui secure stertunt in peccatis, ubi non viderint sese crimina committere. Ego id fateor, donec legi scholasticos doctores, nunquam intellexi, quid et quantum esset veniale peccatum, an ipsi intelligant, nescio. Id breviter dico, qui non assidue sic timet et agit, ac si mortalibus peccatis plenus esset, vix unquam salvabitur, quia dicit scriptura *): Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine. Nam non solum venialia, quae nunc passim vocant, sed etiam bona opera non possunt iudicium Dei sustinere, sed egent ignoscente misericordia. Quia non ait: Non intres in iudicium cum hoste tuo, sed cum servo et puero tuo, qui servit tibi. Iste ergo timor doceret misericordiam Dei suspirare, et in eam confidere. Ubi ille deest, incipimus confidere in conscientiam nostram, magis quam in misericordiam Dei, dum nihil crimini nobis conscii simus [1]) fecisse, et ii [2]) in horrendum cadent iudicium.

Conclusio LXXVII.

Quod dicitur, nec si S. Petrus modo papa esset, maiores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum et papam.

Conclusio LXXVIII.

Dicimus contra, quod etiam iste et quilibet papa habet maiores, scilicet evangelium, virtutes, gratias curationum etc. ut 1. Corinth. 12.

Quia in potestate et obedientia papae sunt omnes, qui ista habent in ecclesia, quos potest mittere quo volet, etiamsi ipse personaliter non haberet, ut non dicam, quod Bulla coenae adhuc non

---

1) In ed. Jen.: sumus. 2) Ibid.: hi.
*) Psal. 143.

est remissa cum suis casibus. Adhuc maior esset gratia summi pontificis, si has omnes facultates gratis donaret omnibus Christianis, qui eis egerent; deinde si sublatis canonibus onerosis libertatem populi Christiani restitueret, et tyrannides officiorum ac Simonum exploderet. Sed haec non sunt forte in potestate eius, invaluit enim inimicus, et princeps provinciarum facta est sub tributo, dextera Domini faciet hanc virtutem, si id digni fuerimus impetrare.

Conclusio LXXIX.

Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam cruci Christi aequivalere, blasphemia est.

Qua fronte sint hi homines, quis non videt? quid non audeant, qui talia audent? His credendae sunt animae Christi sanguine redemptae? Christi crux vivificat totum mundum occiso peccato, crux illa armata largitur quasdam poenas remitti, et sic sunt aequalia, poena aeterna et temporalis. Sed quid persequar portenta omnia, quae ex tali sermone sequuntur, quae nec coelum possit sustinere, ut proferantur?

Conclusio LXXX.

Rationem reddent episcopi, curati et theologi, qui tales sermones in populum licere sinunt.

At timetur potestas ecclesiae, denique errores et offensiones hodie factas in sedem Romanam vindicantur gemino gladio, sed numquid ideo tacendum? Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo *).

Verum id ego vehementer admiror, quisnam illam glossam invenerit primus, quod duo gladii significent, unum spiritualem (non ut apostolus **) vocat, scilicet gladium spiritus, verbum Dei), alium

---

*) Matth. 10. **) Ephe. 6.

materialem, ut sic pontificem utraque potestate armatum nobis non patrem amabilem, sed quasi tyrannum formidabilem faciant, dum nihil nisi potestatem undique in eo videmus.

Et ista est fidelissima glossa super patrum decreta, in quibus tam rigide prohibentur clericis arma. Hic vide, num Deus iratus, videns quod pro gladio spiritus et evangelio diliximus intelligere ferrum, iustissime nobis fecit, ut daret gladium, quem voluimus, et auferret quem noluimus, ita ut nusquam in mundo fuerit crudelior strages bellorum, quam apud Christianos, rursum vix neglectior sacra scriptura, quam apud Christianos. En tibi gladium, quem voluisti. O glossa vel tartaro digna. Adhuc tamen sumus saxei, ut iram Dei non intelligamus.

Cur, quaeso, illud amabilissimum ingenium non etiam duas claves pari videlicet subtilitate interpretatur, ut una sit divitiarum mundi largitrix, altera vero divitiarum coeli. Et quidem de altera satis plana est sententia, quia secundum concionatores veniarum ipsa coelum assidue aperit, et exundat divitias Christi. Sed alteram non potuit sic intelligere, sciens voraginem rapacissimam divitiarum in ecclesia. Non enim expedit ecclesiae et patrimonio Christi, ut tanta liberalitate divitias mundi, quanta profundit divitias coeli.

Ideo altera clavis est clavis scientiae, cui si adderetur alter gladius, qui est gladius scientiae apostolicae, diceret: In iis omnibus [1]) nondum est aversus furor Domini, adhuc manus eius extenta, scilicet, quia res est mire molesta, sacras literas meditari, quibus instructi (secundum apostolum *)) destrueremus munitiones, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Compendium illud laboris nobis placet, non ut [2]) haereses aut errores destruamus, sed haereticos et errantes con-

---

1) In ed. Jen. legitur: alter gladius, id est, gladius scientiae, apostolice, id est, recte et sancte dicerent: in his omnibus etc. 2) Ibidem: ut non.

*) 2. Cor. 10.

crememus, ducti scilicet meliore consilio Catonis, quam Scipionis in Carthagine vastanda, imo contra voluntatem spiritus, qui scribit, ideo relinqui in terra promissionis Jebusaeos et Cananaeos, ut filii Israel discerent bellare et habere consuetudinem bellandi. Quod si S. Hieronymus non decipit me, puto de bellis haereticorum praefiguratum, vel certe apostolus sit dignus fide, ubi dicit*): Oportet haereses esse. At nos: Nequaquam, sed oportet comburi haereticos, ac sic radicem cum fructibus, imo zizania[1]) tum tritico evellere.

Quid hic dicimus, nisi quod cum lacrimis Domino dicimus: Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum? quid enim aliud meremur? Atque haec ideo quoque commemoro, ne Pighardi, nostri vicini, haeretici, infelix populus, qui foetore Romano gaudet, sicut Pharisaeus super Publicanum, non autem compatitur, ne, inquam, illi nos crederent nescire vitia et labes nostras, et immensum adversus nostram miseriam superbirent, si nos ista tacere et approbare videremur. Scimus heu nostrum casum et dolemus, non autem sicut haeretici fugimus, et semivivum transimus, tanquam alienis peccatis pollui timeremus. Quo furioso timore illi sic timent, ut non pudeant gloriari, sese ideo fugere, ne polluantur, tanta est caritas. Nos vero, quo miserius laborat ecclesia, eo fidelius assistimus et accurrimus, flendo, orando, monendo, obsecrando. Sic enim caritas iubet**) alterum alterius onera portare, non sicut haereticorum caritas facit, quae solum commoda quaerit alterius, ut potius portetur, et nihil molesti sustineat a peccatis aliorum. Quomodo si Christus voluisset facere et sancti eius, quis fuisset salvus factus?

Conclusio LXXXI.

Facit haec licentiosa veniarum praedicatio, ut nec reverentiam papae facile sit etiam doctis viris

---

1) In ed. Jen.: zizaniam.
*) 1. Cor. 1. 1. Cor. 11. **) Gal. 6.

redimere a calumniis aut certe argutis quaestionibus laicorum.

Etsi amici mei me haereticum, impium, blasphemum iam multis diebus clament, quod ecclesiam Christi et scripturas sanctas non teneam catholico sensu, ego tamen fretus conscientia mea credo eos falli, me vero diligere ecclesiam Christi et decorem eius. Qui autem me iudicat, Dominus est, licet nihil mihi conscius sim. Et ideo istas positiones omnes coegit me ponere, quod viderem alios falsis opinionibus infici, alios per tabernas ridere, et sanctum sacerdotium ecclesiae manifesto ludibrio habere, occasione tam effusae licentiae praedicandarum veniarum. Non erat vulgus laicorum ampliore occasione in odia sacerdotum excitandum, quod iam a multis annis propter avaritiam et pessimos mores nobis offensum (heu solo timore poenae) honorat sacerdotium.

Conclusio LXXXII.

Cur papa non evacuat purgatorium propter sanctissimam caritatem et summam animarum necessitatem ut causam omnium iustissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram basilicae ut causam levissimam?

Hanc quaestionem non papa, sed quaestores excitant, quia, ut supra dixi, nusquam legitur summi pontificis super hac re ullum decretum, ideo respondeant illi ad eam, qui suscitaverunt. Ego ad omnes istas quaestiones uno verbo responderim, quantum pro pontificum honore fieri potest, videlicet quod nemo eos informat rei veritatem, et frequenter fit, ut male narrantibus mala concedant.

Conclusio LXXXIII.

Cur permanent exsequiae et anniversaria defunctorum, et non reddit aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum sit iam iniuria pro redemptis orare?

Multos scio ista quaestione fatigatos mecum,

et multis evasionibus frustra a nobis laboratum, diximus etiam, si evolarent animae, tum officia instituta pro illis iam in laudem Dei cederent, sicut fit, dum pueri et infantes decedunt. Alius aliter, sed nullus fecit satis. Tandem coepi disputare et negare illorum sermones esse veros, ut vel sic elicerem tandem a doctioribus, quid hic respondendum foret.

Conclusio LXXXIV.

Quae illa nova pietas Dei et papae, quod impio et inimico propter pecuniam concedunt animam piam et amicam Dei redimere, et tamen propter necessitatem ipsiusmet piae ac dilectae animae non redimunt eam gratuita caritate?

Conclusio LXXXV.

Cur canones poenitentiales, re ipsa et non usu iam diu in semet mortui et abrogati, adhuc tamen pecuniis redimuntur per concessionem indulgentiarum tanquam vivacissimi?

Conclusio LXXXVI.

Cur papa, cuius hodie sunt opes opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium struit unam tantum basilicam sancti Petri?

Ad hanc quidem et similes ego dico, non est nostrum iudicare voluntatem papae, sed tantummodo ferre, etiamsi quando fuerit iniquissima, ut supra dixi. Verum monendus tamen est et praecones veniarum, ut non detur tam manifesta occasio populis loquendi, sicut olim Eli sacerdos fecit*), ut propter filios suos homines detraherent sacrificio Domini. Si tamen mens papae unquam fuit, ecclesiam S. Petri tot pecuniis corrasis aedificari, et non potius eorum, qui facilitate eius in suum lucrum

---

*) 1 Sam. 2.

abutuntur, non est necesse literis tradere, quid passim de structura illa fabulentur; det Dominus ut mentiar, non diu poterit ista exactio prospera esse.

Conclusio LXXXVII.

Quid remittit aut participat papa iis, qui per contritionem perfectam ius habent plenariae remissionis et participationis?

Haec inde venit, quod multi etiam iuristae nescire se dicant, quid sit remissio culpae per claves, de qua supra meum sensum dixi.

Conclusio LXXXVIII.

Quid adderetur ecclesiae boni maioris, si papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones et participationes tribueret?

Hic mire mira, alii communem thesaurum fingunt, qui per indulgentias augeatur. Et ideo si homo septies in die remissionem plenariam obtinet, ut in Urbe potest fieri, tanto plura bona consequetur. Hi sibi ipsis contrarii sunt, quod indulgentiae sint expensiones thesauri secundum eos, ergo non collectiones. Alii iuxta divisionem continui in infinitam remitti putant peccata, sicut dividitur in semper divisibilia lignum. Ita remittuntur peccata, semper remissibilia ulterius, licet semper minora fiant. Ego fateor me nescire quid dicam.

Conclusio LXXXIX.

Ex quo papa salutem quaerit animarum per venias magis quam pecunias, cur suspendit literas et venias iam olim concessas, cum sint aeque efficaces?

Haec maxime omnium urit et displicet, et fateor magna cum specie, illa enim suspensio unica est causa, quod vilescunt indulgentiae. Itaque ego non possum negare quidem, quod omnia ferenda sunt, quae pontifex facit, sed doleo, quod non possum optima esse probare, quamquam, si de mente pontificis, sine intermediis operariis mercedum, di-

cendum esset, optima de illa praesumenda dicerem, breviter et cum fiducia loquendo. Ecclesia indiget reformatione, quod non est unius hominis pontificis nec multorum cardinalium officium, sicut probavit utrumque novissimum concilium, sed totius orbis, imo solius Dei. Tempus autem huius reformationis novit solus ille, qui condidit tempora. Interim vitia tam manifesta negare non possumus. Claves sunt in abusu et servitute avaritiae et ambitionis, et gurges accepit impetum, non est nostrum remorari eum. Iniquitates nostrae respondent nobis, et onus est unicuique sermo suus.

Conclusio XC.

Haec scrupulosissima argumenta laicorum sola potestate compescere nec reddita ratione diluere, est ecclesiam et papam hostibus ridendos exponere et infelices Christianos facere.

Sic enim ex malo fit peius, dum terrore compescuntur, quanto rectius doceremur, hanc iram Dei intelligere, et pro ecclesia orare, et talia tolerare in spe futurae reformationis, quam, dum tam manifesta vitia volumus cogere virtutes videri, peius irritemus, siquidem, nisi nos mereremur vexari, Deus non permitteret solos homines in ecclesia dominari, daret nobis pastores secundum cor suum, qui nobis pro veniis darent tritici mensuram in tempore suo. Nunc autem, etiamsi sint boni pastores, tamen non possunt ad officium suum venire, tanta est ira furoris Domini.

Conclusio XCI.

Si ergo veniae secundum spiritum et mentem papae praedicarentur, facile illa omnia solverentur, imo nulla essent.

Quomodo? scilicet, si, ut sunt, solum remissiones poenarum, non meritoriae, ac infra bona opera habendae, non fuisset ullus unquam commotus aliquid de his dubitare, nunc propter sui nimiam magnificationem suscitant quaestiones insolu-

biles, in earum propriam vilificationem. Mens enim pontificis non potest esse alia, quam quod indulgentiae sunt indulgentiae.

Conclusio XCII.

Valeant itaque omnes illi prophetae, qui dicunt populo Christi: pax, pax, et non est pax.

Conclusio XCIII.

Bene agant omnes illi prophetae, qui dicunt populo Christi: Crux, crux, et non est crux.

Conclusio XCIV.

Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per poenas mortis infernosque sequi studeant.

Conclusio XCV.

Ac sic magis per multas tribulationes intrare coelum, quam per securitatem pacis confidant.

Satis supra de cruce et poenis dictum est, hodie rarus sermo.

Finis.

Ad Candidum Lectorem et Eruditum.

Non tibi haec edita existimes, erudite et candide lector, quamquam quid opus hoc monitorio? quasi timeam Ciceroniana haec tibi visum iri, tu pro genio tuo habes aliunde, quod legas, me oportuit cum mei similibus nostra, id est, rudia et barbara tractare. Sic placitum fuit in coelo, nec ausus fuissem nomen summi pontificis his meis bullis appellare, nisi vidissem amicos meos illius terrore quam maxime confidere, deinde quod summi pontificis peculiare sit officium, ut debitorem agat, sapientibus et insipientibus, Graecis et Barbaris. Vale. Anno Domini M. D. XVIII [1]).

1) Annus in ed. princ. non indicatur.

Contra Hochstratenum Mart. Lutherus pio lectori.

Jacobus Hogostratus (vulgo Hochstratenus, ab aliis Hochstratanus ex oppido patrio Brabantiae, Hoogstraten, appellatus), Dominicani ordinis monachus Lovaniensis et (quo titulo primores illorum uti solebant) inquisitor haereticae pravitatis, papam praefatione Apologiae suae contra Reuchlinum*) exhortabatur, ut non alio remedio, quam ferro et igne adversus Lutherum uteretur mundumque ab hoc homine pessimo liberaret. Eum hac brevi, sed acri apologia d. XIII. m. Julii 1518 repulit (cf. Seckendorf. Hist. Luther. I p. 38. Loescher Acta Reform. II, p. 320).

Hochstratenus quum in hac Apologia contra Reuchlinum Lutheri propositionem tertiam decimam**) respiceret, quam Eccii positionibus in studio Lipsiensi die quarto m. Julii 1519 disputandis oppositam in editionibus operum Lutheri Actis de disputatione Lipsiensi a. 1519 habita intersertam legimus, necesse est etiam hanc Lutheri adversus Hochstratenum schedam demum anno 1519

---

*) Titulus huius libelli erat: Apologia ad Sanctiss. Leonem Papam X ac D. Maximilianum Imp. Colon. 1518. 4 (cf. Gieseler, Kirchengeschichte Tom. III, 1 Sect. p. 37.)

**) Propositio XIII. Eccianae opposita, quae legitur in Lutheri libello: Disputatio et excusatio F. Martini Luther adversus criminationes D. Johannis Eccii. M. D. XIX, haec est: Romanam ecclesiam esse omnibus aliis superiorem, probatur ex frigidissimis Rom. Pontificum decretis, intra quadringentos annos natis, contra quae sunt historiae approbatae mille et centum annorum, textus scripturae divinae et decretum Niceni concilii omnium sacratissimi.

editam esse. Quum vero hic libellus in omnibus Operum latinorum Lutheri collectionibus eius scriptis anno 1518 editis adnumeretur, nos quoque eum hic interserimus textum sequentes editionis Jenensis anni 1556 (Tom. I p. 121).

In collect. Wittemb. hoc scriptum latine legitur Tom. I, p. 195, germanice in ed. Jen. T. I p. 52, in ed. Wittemb. T. IX p. 25, in ed. Altenb. T. I p. 70, in ed. Lips. T. XVII p. 140, apud Walch. T. XXI, p. 118 (coll. Walchii introd. in T. XVIII, p. 57 sqq., in T. XXI, §. 17.

Martinus Lutherus pio Lectori S.

Suscitavit*) mihi Deus alium et ex vetere novum hostem, eximium illum et, salva reverentia, Reverendum Patrem, Magistrum Jacobum Hostraten, Haereticorum Magistrum vulgo et vere dictum, qui in praefatione Apologiae suae seu rectius mataeologiae Propositionem meam tertiam decimam carpens dicit: Si ista propositio vera sit, Romanos pontifices esse haereticos. Deinde sanguinaria sua lingua ad caedem et fraternam perniciem anhelans monet optimum Pontificem Leonem X, ut non agnino et Christiano, sed leonino et furiali animo exsurgat. Dignus plane vir, qui inquirat haereticos et exhortetur Pontifices, facturus ex Pontificibus hominibus bestias, ex Christianis haereticos, novum genus inquisitorum tormentorum.

Sed vide hominem, qui omnes dies consumsit et perdidit in dialectica, tam multos docuit nos syllogismos Apostolicos in eodem libro, ex quibus intelligas, quam eximie polleat in dialectica. Haec est enim consequentia Hostrateni: Hoc est contra scripturas, ergo est haereticum. Gratias ago. Davidis adulterium fuit contra scripturas, imo contra

*) In ed. Jen. margini legitur adscriptum: Haec epistola debebat praecedere Resolutiones Disput. de virtute Indulgentiarum etc. Est enim a. D. Martino Luthero scripta d. 13. Julii a. 1518. Sed hoc consilio huc locata, ne turbaretur ordo superiorum etc.

Decalogum, ergo id fuit haereticum. Et breviter: Nullum est peccatum, quamlibet leve, quin sit contra Scripturas. Ideo sequitur, quod autore Hostraten totus mundus non est nisi mera haeresis. Ipsa quoque Ecclesia, quum sine peccato non sit, est haeretica. Et cum omnes simus mali, contra scripturas, sumus haeretici omnes, excepto uno Hostraten, qui non est sicut ceteri hominum, ut omnes faciat haereticos, quo latius pateat inquisitionis eius, id est, gloriae et lucri ministerium. Quis est haereticus, si tu non es haereticus, qui iuxta admirabilem tuam Dialecticam praemissas tenes, ex quibus conclusio omnium haereticissima sequitur, scilicet, quod Ecclesia est haeretica. Dico ergo et ego, quod pestilentiorem et impudentiorem haereticum sol non vidit, quam Jacobum Hostraten. Surge ergo, o Leo X Pastor mitissime, et hos haereticos Inquisitores aliis Inquisitoribus inquire. Jam vides, quo animo inquirant haereticos, et te ipsum cum tota Ecclesia haereticum facturi.

Arrige ergo aures, o Hostraten infelicissime, qui nec quid contra vel pro Scriptura sit nosti et cum summo dedecore Ecclesiae Inquisitor es haereticorum. Docebo te primum antepraedicamentum, definitionem scilicet aequivocorum, et tui S. Thomae canonem usitatum: Quod omne multiplex indistinctum parit confusionem. Contra scripturas primo est haeresis, deinde quilibet error, tum omne peccatum, etiam veniale, et verbum otiosum, sed et ipse inevitabilis fomes, ut Roman. 7 apostolus dicit: se peccatum contra legem Dei sentire in membris suis. Proinde si Pontificum Notarii vel ipsi aliud quid senserint, aut scripturas, humana passi, distorserint, contra Scripturas quidem sapiunt, haeretici tamen non sunt. Nisi quo modo tu velles esse omnes homines haereticos, dolens, quod homicidiis Christianorumque sanguine pasci non permitteris, ut permittam, quod quantumlibet sit magnus error, non est haereticus, nisi pertinaciter asseratur et defendatur. Quorum utrumque adhuc alienum fuit a Romano Pontifice. Neque enim magno er-

rore, nec pertinacia seu magni seu parvi erroris repertus est maculatus.

Ito ergo, infelix et cruente parricida, qui nil nisi fraternum sanguinem sitis, et inquire scarabeos in suo fimo, donec discas, quid sit peccatum, error, haeresis et omnia, quae ad horum scientiam pertinent. Neque enim ignorantiorem asinum ego vidi, praesertim qui tot annos in Dialectica se glorietur versatum. Quid mirum, si optimos articulos optimorum virorum pro haereticis damnas, qui necdum nosti, quid sit contra Scripturas ac per hoc, nec quid sit damnandum, aut quid haereticum. Gaudeo plane me damnatum abs te tam tenebricoso cerebro. Et obsecro te, ne unquam dicas me Christianum et catholicum hominem, ne ceteri credant te mentitum et ex coecitate locutum. Semper autem me, quaeso, haereticum proclamato, et erunt, qui pro me dicant: Coecus iudicavit de colore.

Haec tibi, sanguinarie, veritatis inimice. Et si te furor tuus incesserit, ut quid contra me tentes, vide, ut cum iudicio et mora agas (praemonens dico), Deus scit, quid sim facturus, si vixero. Mea quidem fiducia est, ostendere omnibus palam, non fuisse haereticum in quadringentis annis pestilentiorem Jacobo Hostraten. Vale optime Lector. XIII. Julii Anno M. D. XVIII.

Quatuor Conciones D. M. Lutheri

a. 1518 habitae.

Anno 1518 quum mense Maio vel Junio Silvester Prierias, Magister Palatii Apostolici, Romae Lutherum iuridice, ut vocant, haereticum declarasset et ipse una cum Hieronymo de Genutiis, Asculanae in agro Piceno ecclesiae episcopo atque Auditore Camerae Apostolicae, ad hanc caussam agendam atque diiudicandam a papa iudex constitutus esset, hi mense Julio eiusdem anni exeunte Lutherum per literas Romam citaverunt, ut die post citationem acceptam sexagesimo Romam ad caussam dicendam perveniret, si nollet, fore ut et ipse et quicumque eum sequerentur de ecclesia excommunicarentur. Id citatorium Luthero die septimo mensis Augusti est traditum (Lutheri opp. lat. ed. Jen. I p. 191 coll. Luth. Epp. ed. Aurif. I, 53, de Wette I p. 131.). Quum vero iam antea timendum esset, ne id quod accidit eveniret, atque etiam episcopi germanici eorumque officiales Lutherum eiusque asseclas excommunicatum iri nunquam desisterent comminari, is iam mense Julio a. 1518 de virtute excommunicationis Wittembergae concionatus est ad populum, idque, ut Pontificiis parceret, sermone latino, at quominus tunc de eadem re etiam publice disputaret ab episcopo Brandenburgensi impeditus est. Namque Lutherus die 15. m. Julii Wenceslao Linco, Augustiniano Norimbergensi, haec scribit: „Habui nuper sermonem ad vulgum de virtute excommunicationis, ubi taxavi obiter tyrannidem et inscitiam sordidissimi istius vulgi officialium, commissariorum, vicariorum. Mirantur omnes, nunquam sese talia audisse.

Deinde, quid futuri mali mihi incumbat, omnes exspectamus, novum ignem succendi: sed ita facit verbum veritatis signum, cui contradicitur: volueram eadem publicitus disputare, sed ecce rumor praevenit et plurimos magnates adeo permovit, ut Episcopus meus Brandenburgensis misso nuntio magno postularet, ut differrem eam disputationem, quod et feci et facio, praesertim amicis quoque consulentibus: vide, quam sim monstrosus homo, cuius conatus etiam sunt intolerabiles" (Epp. Luth. ed. Aurif. I p. 75, de Wette I, p. 130.). Lutheri amici, tam theologi quam iuristae, hunc Lutheri sermonem maxime laudaverunt ac plausu suo approbaverunt, sed adversarii eius odiosissima quaeque de eo, praesertim cum nondum typis excusus esset, in vulgus spargere atque criminationibus in Lutherum edendis alter alterum superare studuerunt. Cernere id licet ex epistola, quam Lutherus Staupitio Calendis Sept. a. 1518 misit, ubi haec leguntur: „Habui sermonem de excommunicatione Wittembergae, vehementer necessarium populo propter duras officialium vexationes in populum nostrum. Quem cum omnes nostri iuristae et theologi probant maxime, mirum tamen est, quanta incendia mihi ex illo conflare studuerint observatores atroces nimis, qui raptum ex ore meo in articulos odiosissime compositos tum redegerunt et ubique sparserunt, et spargunt cum insigni nominis mei persecutione, denique Augustae inter magnates volat et irritat multos: in Dresden mihi ipsi in faciem obiectus fuit, allatis aliquot eiusdem articulis. — Ista ecce fuit caussa, ut ederem eundem sermonem, quo venenatis istis articulis occurrerem aut male intellectis lucem afferrem. (Luth. Epp. ed. Aurif. I, 79, de Wette I p. 138). His igitur adversariorum conviciis ac falsis criminationibus commotus Lutherus hunc sermonem, quantum quidem memoria teneret, typis excudendum dedit, et sub finem mensis Augusti a. 1518 ille in lucem prodiit sub hoc titulo: „Sermo de virtute excommunicationis Fratri Martino Luther Augustiniano a linguis tertiis tandem everberatus." Eum sermonem

typis excusum d. 31. m. Augusti Lutherus per Spalatinum misit atque excusavit Friderico Electori Augustae Vindelicorum commoranti, quem, ne typis ille vulgaretur, dissuasisse ex epistola coniicere licet, quam ad Spalatinum tunc Lutherus dedit, ubi haec legimus: „Antequam venirent literae tuae, mi Spalatine, iam erat editus sermo de excommunicatione, sed tanta modestia et tam firmis fultus veritatis patrociniis, ut mihi spes sit, eum non modo non reprobari a veritatis amatoribus, sed et magnam gratiam initurum, apud eos etiam, quos tyrannis ipsa delectat: adeo sacram illam potestatem extuli magnifice, citra tamen adulationem, non tamen citra necessitatem. Nihil enim in eo docui, quod non ipsimet docuerint et doceant." (Luth. Epp. ed Aurif. I p. 77, de Wette I p. 134).

Vetustissimae eius sermonis editiones sunt:

Sermo de virtute excommunicationis Fratri Martino Luther Augustiniano a linguis terciis tandem everberatus. 4. In fine legitur: *Τέλος*. Anno M, D, XVIII. (Fortasse Wittenbergae apud Joannem Grunenberg excusus.)

Sermo de virtute excommunicationis Fratri Martino Luther Augustiniano a linguis terciis tandem everberatus. In fine: *τελοσ*. Anno M, D, XVIII s. l. 4. (Augustae Vindel.) (Panzer Ann. typ. IX, 118.)

Sermo de virtute excommunicationis Fratre Martino Luther Augustiniano linguis terciis tandem everberatus (Augustae Vindel.) MDXVIII, 4. (Panzer Ann. typ. IX, 381.)

Sermo de virtute excommunicationis Fratri Martino Luthero Augustiniano a linguis tertiis tandem everberatus. In fine: Lipsiae ex aedibus Valentini Schumann Anno domini Millesimo quingentesimo octavo decimo. 4. (Panzer VII, 205. v. d. Hardt Autogr. Luth. III, 14.)

Sermo de virtute Excommunicationis Fratri Martino Luther Augustiniano a linguis terciis tandem everberatus. In fine: Anno M, D, XVIII. 4 (Wittemb. typ. Grunenberg). (Panzer IX, 71.)

Sermo de virtute excommunicationis Fratre Martino Luther Augustiniano a linguis terciis tandem everberatus (s. l.) M. D. XIX. 4. Margo paginae tituli ornatus et inferiori eius parti signum typographicum Folii impressum est. In fine legitur: Finis.

Sermo de virtute excommunicationis fratri Martino Luther Augustiniano a linguis tertiis tandem everberatus. In fine: Lipsiae ex officina Melchioris Lottheri Anno domini Millesimo quingentesimo decimo nono. 4. (Panzer VII, 206. v. d. Hardt II, 59.)

Sermo de virtute excommunicationis Fratri Martino Luther Augustiniano a linguis tertius (sic) tandem everberatus. In fine: Lipsiae ex aedibus Valentini Schumann Anno domini Millesimo quingentesimo undevigesimo. 4. (Panzer VII, 209.)

In collectionibus Opp. Lutheri hic sermo et latine et germanice reperitur: latine in coll. 1519 et 1520, in coll. Wittenb. I, p. 62, in coll. Jen. I, 172, germanice in coll. Hall. I, 116, Lips. XVII, 167, apud Walchium XIX, p. 1088. (cf. Walchii introd. in Tom. XIX p. 80 sq. Loescher Reform. Acta T. II, 376 sqq.)

Nos in textu reddendo secuti sumus huius sermonis editionem, quam supra primo loco laudavimus et quae Christ. Scheurlio ab Othone Beckmanno sub hac inscriptione: „Doctori Scheurl O. Beckmann" missa adhuc in bibliotheca Scheurliana asservatur. Eam editionem Wittenbergae ex officina Jo. Grunenbergii prodiise ex eo coniecimus, quod iisdem literarum formis atque compendiis iisdemque signis atque institutis typographicis expressa est, quibus sermonem de triplici iustitia excusum vidimus, qui eodem volumine bibliothecae Scheurlianae continetur et cuius in fine legitur: Vuittenbergii per Joannem Grunenberg M, D, XVIII.

Sermo de digna praeparatione cordis pro suscipiendo sacramento eucharistiae, cui addita est appendix: Quomodo Christi

passio sit consideranda, itidem anno 1518 habitus et editus est. Appendicem Loescher ex sermone priore de Passione Christi a. 1518 habito sumtam esse credit, quem ipse primus ex codice MSo in lucem edidit et quem nos quoque in tomo primo huius partis Operum latinorum Lutheri p. 214 sqq. repetivimus. (Loescher Reform. Acta II, 587.)

Editiones principes huius sermonis de digna praeparatione cordis p. s. s. e. hae sunt:

Sermo De Digna Praeparatione Cordis Pro Suscipiendo Sacramento Eucharistiae R. P. Martini Luther Augustiniani Wittenbergensis. In fine: Wittenburgii in officina Joann. Grunenbergii Anno dni 1518. 4. (Panzer IX, 71. v. d. Hardt III, 14.)

Sermo de digna Praeparatione cordis pro suscipiendo Sacramento Eucharistiae R. P. Martini Luther Augustiniani Vuittenbergensis. (s. l. et a.) Quattuor folia formae quart., quorum ultima pagina nuda est. Sub libelli titulo Maria picta cernitur Christum infantem portans.

(Martini Lutheri) Sermo de digna preparatione ad Sacramentum Eucharistiae. Haec in fronte. In fine: Siluanus Otmar Auguste Vindelicorum impressit XXV. die Mensis Septembris. Anno domini M. D. XVIII. 4. (Panzer VI, 148)

Eodem anno hic sermo in linguam germanicam translatus esse videtur et sub hoc titulo in lucem prodiit:

Ein gutte trostliche predig von der wirdigen berеytung zu dem hochwirdigen Sacrament. Doktor Martini Luther Augustiner zu Wittenberg. ***. Item wie das Leiden Christi betrachtet soll werden (s. l. et a.) Tituli pagina nullis ornata marginis ornamentis Christum repraesentat cruci affixum, pagina ultima est nuda. In bibliotheca Scheurliana haec editio interserta est voluminі, quo scripta complura Lutheri a. 1518 continentur.

(Mart. Lutheri) Sermo de digna preparatione ad Sacramentum Eucharistiae. Haec in fronte. In fine: Siluanus Otmar Auguste Vindelicorum im-

pressit XIII. die Januarii Anno domini M. D. XIX, 4. (Panzer IX, 381.)

Mart. Lutheri Sermo de praeparatione cordis pro suscipienda Sacra Coena. Wittenbergae 1519, 4. (Panzer IX, 73.)

Sermo de digna praeparatione cordis pro suscipiendo Sacramento Eucharistiae. Lipsiae 1519. 8. (Olear. Autogr. Luth. 5.)

Editioni, quae anno 1518 Augustae Vindelicorum prodiit, haec praemissa est praefatio: Christianis omnibus S. P. D. Editor sermonis. Habetis sermonem vere eruditum et utilissimum de digna praeparatione ad sacratissimam eucharistiam, quem non est dubium salubriter profuturum omnibus diligenter legentibus et fideliter sequentibus. Nihil enim prodest bona scire, si mala sequaris, neque praeclarum est intelligere facienda, si probitatem non habeas. Intellectus enim bonus est omnibus facientibus eum. Deum igitur omnipotentem oremus, ut spiritum rectum innovet in visceribus nostris, ut in ordinem redacto et victo Adam veteri in vitiis concepto, nato et enutrito, novum hominem induamur, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Nisi enim huc perveneris, ut Deo omnia, tibi nihil tribuas, actum tecum erit. Semper igitur hoc propheticum in memoria habe: pro nihilo salvos facies illos. Nam gratiae Dei sicut alia debemus omnia, ita repromissionem, quae est in Christo Jesu domino nostro, qui est cum patre et spiritu sancto benedictus in secula seculorum. Amen. — Eadem praefatio legitur in collectione Opp. Luth. Basileensi a. 1520.

Hic sermo legitur latine in collect. Opp. Lutheri Basileensi 1520 p. 260, in ed. Wittenb. I, p. 64, Jen. I, p. 166, germanice in coll. Isleb. I, p. 4. Wittemb. I, p. 10. Altenb. I, p. 260, Lips. XII, p. 465. Walch. XII p. 1746.

Nos in textu huius sermonis reddendo secuti sumus editionem, quae d. XXV Mensis Septemb. 1518 Augustae Vindelicorum apud Silvanum Otmar prodiit et in bibliotheca Scheurliana asservatur, et

contulimus cum ea collectionem Basileensem a. 1519, form. quart., et Jenensem.

Sermo de triplici iustitia, quem Walchius (Introd. in tomum X p. 79) anno 1519 prodiisse credit, itidem habitus et editus est anno 1518, nam is non solum in libro: Catalogus oder Register aller Bücher und schrifften D. Mart. Luther durch in ausgelassen vom jar M. D. XVIII bis ins XXXIII. Mit einer Vorrhede (Luthers). Wittemberg. In fine: Wittenberg durch Hans Lufft. M. D. XXXIII, 8, sermonibus Lutheri, qui anno 1518 prodierunt, adnumeratur, sed etiam exstat eius editio, quae a. 1518 prodiit, in bibliotheca Scheurliana, quam nos ipsi secuti sumus.

Vetustissimae eius sermonis editiones sunt:

Sermo de triplici iusticia R. P. Martini Luther Augustiniani Wittenbergensis. In pagina ultima legitur: Vuittenbergii per Joannem Grunenberg M, D, XVIII. 4. (Panzer IX, 71.)

Sermo de triplici iusticia R. P. Martini Luther Augustiniani Wittenburgensis. Anno M. D. XIX, 4. (s. l.) Tituli pagina ornata est in margine et titulo ipsi praefixum signum typographicum folium transversum repraesentans. In fine nihil legitur nisi: Finis.

Sermo de Triplici iustitia R. Patris Martini Luther Augustiniani Vuittenbergensis. In fine: Lipsiae, ex aedibus Melchioris Lottheri, Anno domini Millesimo quingentesimo decimo nono. 4. (Panzer IX, 496.)

Sermo de Triplici iusticia R. Patris Martini Luther Augustiniani Vuittenbergensis. Icon Trinitatem repraesentans. In fine: Lipsiae in aedibus Valentini Schumann Anno domini Millesimo quingentesimo undevigesimo. 4. (Panzer VII, 209)

Sermo de Triplici iusticia R. Patris Martini Luther Augustiniani Vuittenbergensis. Icon Trinitatem repraesentans. In fine: Lipsiae in aedibus Valentini Schumann. Anno Domini Millesimo quingentesimo nono decimo. 4. (Panzer VII, 209).

In collect. opp. Luth. latine hic sermo legitur,

in Basil. a. 1520 p. 252, in Wittenb. I p. 66, in Jen. I p. 168, germanice in collect. opp. Luth. non invenitur, apud Walchium T. X p. 1506.

Nos in textu reddendo secuti sumus editionem, quae Vuittenbergii anno 1518 per Joannem Grunenberg prodiit, et cuius textum ipsum praecedit titulus plane repetitus: Sermo de triplici Justicia R. Patris Martini Luther Augustiniani Wittenbergensis.

Sermo de duplici iustitia secundum libellum, quem supra laudavimus: Catalogus oder Register aller Bücher und schrifften D. Mart. Luthers durch in ausgelassen vom iar M. D. XVIII bis ins XXXIII. Wittemberg durch Hans Lufft, itidem a. 1518 habitus et editus est (cf. Epp. Luth. ed. Aurif. I, 168, de Wette I, 256).

„Editio vetustissima, quam nos commemoratam invenimus, ea est, quam ipsi in textu reddendo secuti sumus, et quae sic inscribitur: „Sermo de duplici Justicia castigatus per R. P. Martinum Luther Augustinianum Wittenburgensem.“ Tituli pagina nullis figuris ornata nec locum nec annum indicat. In fine legitur: Vuittenburgii M.D. XIX. Textum ipsum praecedit titulus plane repetitus: Sermo de duplici Justitia R. P. M. L.

In coll. Opp. Luth. Basiliensi, quae a. 1520 uno volumine prodiit, hic sermo non invenitur, at in coll. Wittemb. I p. 68 et in Jen. I, p. 170, in germanicam linguam translatus legitur in coll. Wittenb. VII p. 40, Isleb. I p. 17, Altenb. I p. 391. Hall. p. 409, Lips. XII p. 455, apud Walchium X p. 1518.

I. Sermo de virtute excommunicationis.

D. Martinus Lutherus Pio Lectori Salutem.

Magna vere gratia mihi a Domino nostro Jesu Christo collata videtur, ut verba mea solius tam ingrata et odiosa sint multis, deinde nescio in quot haereses (ceu Protei quidam essent) secunda pene lingua transformentur. Et nisi idem ipsi Domino nostro Jesu Christo apostolisque omnibus atque prophetis contigisse scirem, iamdudum desperans, silentium essem. Nunc vero cum urgeat officii mei necessitas, eo nitor, quod magis obediendum est Deo, quam hominibus, paratissimus officium et titulum docendi relinquere, si ita placet maioribus ecclesiae, id est, Christo. Sin retinendum est, dent veniam et boni consulant, qui volent, mei studii erit omnibus viribus sudare, ut Christus Christum Christo nunciet, et audiat.

Haec commemoro, pie mi lector, quod sermonem quendam de excommunicatione feci ad populum Vittembergensem, cuius ut ego prope sum oblitus, ita adversarii miseri sunt plus quam oportet memores interpretesque rigidissimi, ne dicam iniquissimi. Dabo itaque operam, quantum sufficit memoria, ut sensa, si non verba totius sermonis, omnia in publicum exponam, ut probem, ea me docuisse, quorum neque me poeniteat tractatorem, neque pium auditorem. Quid autem amici mei paraphrasi aut pseudophrasi sua fecerint, aut faciant, det dominus, ut aliquando videant et ipsi. Amen.

Vale.

Debitum vobis Sermonem totiesque promissum tandem aliquando persolvo, hoc est de Virtute Excommunicationis hodie dicendum est, quod ut planissime intelligatis, distincte procedam.

Primum videndum, quid sit Excommunicatio ecclesiae, et quantum vis vocabuli valet. Excommunicatio nihil est aliud, quam privatio communionis et extra communionem fidelium positio. Est autem fidelium communio duplex, una interna et spiritualis, alia externa et corporalis. Spiritualis est una fides, spes, caritas in deum. Corporalis est participatio eorundem sacramentorum, id est, signorum fidei, spei, caritatis, quae tamen ulterius extenditur usque ad communionem rerum, usus, colloquii, habitationis, aliarumque corporalium conversationum.

Igitur sicut priore illa spirituali communione nulla creatura potest animam vel communicare, vel excommunicatam reconciliare, nisi deus solus, ita non potest communionem eandem ulla creatura ei auferre, seu eam excommunicare, nisi solus ipse homo per peccatum proprium.

Haec sententia satis patet, quia fidem, spem, caritatem, nulla creatura potest conferre, vel auferre, iuxta illud Rom. 8: Quis separabit nos a caritate dei? Et infra [1]): Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a caritate dei, quae est in Christo Jesu, domino nostro. Et 1. Pet. 3: Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?

Secundum, consequens ergo est, quod excommunicatio ecclesiastica est duntaxat externae privatio communionis, scilicet sacramentorum, funeris, sepulturae, publicae orationis, deinde aliarum (ut dictum est) corporalis necessitatis rerum et conversationum. Haec enim sententia nota est, sic et

1) In ed. Jen.: paulo post.

Paulus 1. Corinth. 5. scribit: Ut non commisceantur, nec cibum sumant cum eo, qui nominatur inter eos fornicator, maledicus, ebriosus, rapax etc. et 2. Thess. 3: Si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam hanc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur. Sequitur: Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Haec si non de excommunicatione externa, salva interna communione, dicta sunt, fateor me non intelligere apostolum Paulum. Et Joannes epistola secunda: Si quis venit ad vos, et non affert doctrinam hanc, nolite eum in domum recipere, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi Ave, communicatur operibus eius malignis.

Tertium, excommunicari non est animam tradi diabolo, neque privari bonis ecclesiae, communibusque orationibus eiusdem. Hoc ex dictis abunde patet, quia manente fide, spe et caritate manet vera communio et participatio omnium bonorum ecclesiae.

Quartum, excommunicatio, si iusta est, significat potius animam esse diabolo traditam et ecclesiae communione spirituali privatam, quia fertur super eum, qui peccato mortali se ipsum privavit communione caritatis, et diabolo sese tradidit, sicut econtra reconciliatio sacramentum est et externum signum interioris reconciliationis et communionis. Ideo verum est, quod excommunicatio ecclesiastica non infert, sed praesupponit, aliquem esse in morte et peccato, id est, vere excommunicatum spiritualiter.

Quintum, excommunicatio sic est temporalis et corporalis, ut tamen ordinetur, non contra, sed pro communione interiore, vel reparanda, si iuste lata fuerit, vel augenda, si iniusta fuerit.

Probatur hoc per apostolum 2. Corinth. ultimo: Agam secundum potestatem, quam dedit Dominus mihi non in destructionem, sed aedificationem. Hoc certe intelligo, quod non possit destruere, sed tantummodo aedificare per ecclesiasticam potestatem. Nam et illum fornicarium 1. Corinth. 5. sic excom-

municavit, et satanae tradidit, ut spiritus nihilominus salvus fieret. Et ut supra dictum est, non existimandi sunt quasi inimici, sed corrigendi ut fratres, non ut perdantur, sed ut confundantur. Et ut audacius dicam, nec Christus, ut homo, hanc habuit potestatem separandi animas, sicut dicit Johan. 6: Omne quod venit ad me, non eiiciam foras. Et iterum: Haec est voluntas eius, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam. Et iterum alibi: Non venit filius hominis perdere, sed salvare animas.

Item ad hoc est apertus quoque textus lib. 6. de sen. ex. c.: Cum medicinalis, qui valde est notabilis dicens, Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute provideat ecclesiasticus iudex, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis. Haec ibi. Cur non dixit, quod perdentis et occidentis fuerit, sicut quidam desperati timent, imo quidam officiales tyranni affectant? Igitur ecclesiastica excommunicatio est pium et maternum ecclesiae flagellum, super corpus et res corporis impositum, quo non trudit ad infernum, sed potius revocat, et urget ad salutem eos, qui ad inferna properant, ideo cum summa exsultatione et reverentia simul amplectendum, nedum patientissime ferendum est.

Sextum, illud solum et maxime omnium curandum est, ne excommunicatio, tam fidele salutis ministerium, contemnatur, aut impatientius feratur, quia non modo propter potestatem ecclesiae, quae per se ipsam semper est metuenda, sed etiam propter piam huius potestatis operationem, et salutis propriae promotionem amanda.

Sit simile, quod mater corripiat dilectum filium, quandoque meritum, quandoque immeritum, hic constat pium esse flagellum, et filio salutare. Quod si ipse impatiens maternae huius disciplinae non omiserit prohibitum aut non fecerit iussum, sed furens in matrem insurgat, aut contemnat, ecce tum incur-

ret in mandatum Dei, ubi praecipit, parentes honorari, et fiet, ut ex unica leviuscula disciplina, quae sine peccato, imo cum merito erat, sibi conflet detestabilissimam culpam et aeternam poenam.

Ita et nostro seculo fieri (heu miseriam) videmus, ut officiales trucident, notarios et nuncios caedant, mergant [1], captivent, aliaque detestabilia portenta committant, quod non facerent, credo, nisi vulgata illa erroneaque opinione crederent sese per excommunicationem tradi in damnationem, ac non potius quaeri ad salutem. Hinc enim sceleribus adiiciunt desperationem, novissimum omnium horrendissimumque malorum. Atque haec causa fuit, ut hunc sermonem meditarer, et nunc ederem quoque. Quamquam iuste permittat hanc caedem in officiales Deus, ut qui hanc sententiam salutis absconditam cupiunt, quo securius tyrannidem suam falso terrore hominum stabiliant, tandem extrema tyrannorum etiam patiantur.

Si vero populus huius potestatis et excommunicationis optimam necessitatem, et saluberrimam vim, ac non contra eos, sed pro eis, valere doceretur intelligere, minus ipsi periculorum et quietiorem obedientiam in populo haberent, quin et gloriam et amorem obtinerent.

Igitur, mei [2]) fratres in Domino, nolite haec portenta cogitare, sint officiales vel publicani, huius potestatis ministri, sint, inquam, boni, mali, qualescunque, non nocebit potestas ipsa vobis, sed proderit semper, sive sit in usu vel abusu, tantummodo recte feratis eam, aut cum humilitate evadere seu solvi quaerite, matrem intuemini ecclesiam, quid ad te, si virgam suam super te ponat per manum indigni? nihilo minus matris tuae dulcissimae virga est, et quidem saluberrima.

Septimum, id potius adverte, et oculos huc verte, ut illud magis vel facias vel omittas, propter quod excommunicaris et flagellaris, quam quomodo

---

1) In ed. Jen.: demergant. 2) In ed. princ.: mi.

virgam non feras. Sed heu [1]) omnia haec perversissima sunt, non quid velit, sed quid faciat duntaxat virga, consideramus. Quis est enim nunc inter nos, qui tanto timore timeat Deum offendere (pro quo utique solo excommunicamur, si iuste excommunicamur), quanto studet excommunicationém vitare vel evadere? Ita fit, ut semper poenas, etiam tam [2]) pias et bonas, plus timeamus, quam horrendissimas culpas. Et ad id, proh dolor, cooperantur tam minaces et imperiosi huius optimae potestatis ministri, rabulae forenses.

Octavum excommunicatio non tantum pro fidei contumacia, sed pro quolibet crimine scandaloso debet ferri, patet hoc ex praedictis, ubi Paulus 1. Corinth. 5. et 2. Thessalo. 3. iubet vitari etiam fornicarios etc. Quamquam magna sit miseria, et huius potestatis iniuria, quod pro septima aut octava parte floreni quandoque excommunicentur, relictis interim horribilibus et scandalosis criminibus impunitis, effioto ad hanc tyrannidem colorandam satis vafro commento, quod scilicet non propter transgressiones, sed propter contumaciam excommunicentur, quasi non sit hoc crudele satis, quod pauperem pro tantillo pretio trahunt per tantum spatium in tantas carnificinas suas. Sed haec alias.

Nonum, id super omnia et in iis omnibus considerandum est, quod potestas ecclesiae, cum sit Christi potestas, licet pro nostris peccatis plerumque tradatur Pilatis, Herodibus, Annis et Caiphis violentisque aliis tyrannis, nostrum tamen est, eam summis semper studiis revereri et colere, exemplo Christi, qui sic Annam, Caipham, Pilatum honoravit. Ideo nec indignissimae eiusdem abusiones nos debent permovere, quin, quicquid ipsa fecerit, hilariter feramus, aut saltem cum reverentia declinemus. Nam tempus nostrum periculosissimum est, ideo prudentissime oportet nos agere, ne propter personas potestatem pariter vilipendamus, imo propter

---

1) Ibid.: hui. 2) In ed. Jen.: tum.

potestatem etiam vilissimas personas honoremus. Sic enim iratus nobis dicit: Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Esa. 3. Atque id eo facilius efficiemus, quando cognoscimus, quod in animae profectum vel defectum nihil possunt nisi occasionaliter et exercitative[1]) et tentative (ut ita loquar) agere.

Decimum, excommunicatio iniusta nobilissimum meritum est, ideo dulciter ferenda, si excusationi tuae humiliter praestitae locus non fuerit datus. Hic enim dices illud Psal. 108[2]): Maledicent illi, et tu benedices. Tantum vide, ne potestatem contemnas, vis potestatis prodest, contemptus vero tete perdet. Nam si filio (ut dixi) immerito correpto eo maior gratia matris accedit, postquam cognita fuerit eius innocentia patiens, quanto magis apud Deum maiorem gratiam consequetur, si patienti innocentia etiam a matre sua ecclesia tulerit disciplinam, imo si adversario iubemur consentire, et benigni esse in via, quanto magis dulcissimae matri ecclesiae, etiamsi per indignissimos nos flagellet, ipsa enim manet mater, quia manet ecclesia. Manet autem ecclesia, quia manet Christus eius sponsus in aeternum.

Undecimum, in excommunicatione iniusta summe cavendum, ne id deseras, omittas, facias, dicas, pro quo excommunicaris, nisi id sine peccato fieri possit. Nam iustitia et veritas, cum sint de interiore communione ecclesiae, non debent omitti propter excommunicationem exteriorem, etiamsi ad mortem usque procederet, quia sic pessime omnium excommunicaretur, si quis excommunicari timeret. Debet ergo humiliter ferre et mori in excommunicatione, nec timere, quod non accipit sacramentum eucharistiae, funeris ritum, sepulturas etc. Haec incomparabiliter minora sunt, quam ut iustitia propter ea prodatur. Nam qui etiam iuste excommunicatus moritur, non ideo damnabitur, nisi forte non contritus et cum contemptu excommunicationis more-

---

1) In ed. princ.: exercitive. 1) In ed. Jen.: 109.

retur. Contritio et humilitas omnia solvit et placat, etiamsi exhumetur, aut in aquas proiiciatur. Beatus autem et benedictus, qui in excommunicatione iniusta mortuus fuerit, quia pro iustitia, quam non deseruit, etiam tanto flagello percussus, coronabitur in aeternum.

Duodecimum, monendi tamen sunt pontifices, et eorum ministri, ut censuras gravatim et quam fieri potest rarissime ferant, quia, cum censura sit lex quaedam, omnis autem lex sit virtus et occasio peccati, et sine gratia Dei lex non impleatur, gratiam etiam Dei (id est, legis impletionem) dare ipsi non possunt, nihil aliud faciunt multiplicando leges et censuras, quam quod multiplicandorum peccatorum, et offensionum Dei causas et efficaces occasiones praestant; quantumlibet enim nos obedire tenemur eorum praeceptis, multo magis tamen ipsi tenentur servire nostris infirmitatibus.

FINIS.

II. De Digna praeparatione cordis

pro suscipiendo Sacramento Eucharistiae.

Primo, necessarium est, ut omnia peccata manifeste mortalia confitearis, atque doleas. Manifeste dico, quia occulta nemo scire potest, iuxta illud Psal. 18 [1]): Delicta quis intelligit etc.

Secundo, inter omnia peccata mortalia praecipue invidiam, displicentiam, aut quamcunque prorsus amaritudinem cordis erga proximum tuum deponas. Non est enim aliud peccatum aeque huic sacramento adversum, atque discordia. Contrarium est enim et nomini et rei huius sacramenti. Nomen est communio, res unitas cordium, sicut una fides, unum baptisma, unus Deus [2]), una spes, ac pror-

1) In ed. Jen.: 19. 2) Ibid.: Dominus.

sua omnia eadem et communia. Quod et figuratur in speciebus sacramenti, in quibus multa grana, amissa singulorum differentia, in unum panem, item uvae multae [1]), amissa sua quoque differentia, in unum vinum redactae sunt.

Tertio, quia iuxta scripturam *) stultus est, qui in corde suo confidit, cumque nullus sit hominum, qui non habeat debitorem, (ut B. Augustinus ait) [2]), nullus est, qui non inveniat, aut certe non advertit, vel ignorat sese invenire in aliquibus vel aliquo, quod sibi displiceat, desperandum est tibi de tuo studio, quod non poteris omnem erga omnes amaritudinem deponere. Ideoque iuxta Christi consilium **) intres cubiculum, ores Patrem tuum, ut ignorantias tuas non meminisse velit, et id per gratiam suam facere, quod tuis viribus non potes, id est, cor dulce et commune dare. Sed haec praeparatio est remota, etiam confessuro necessaria, et quodlibet sacramentum recepturo. Ideo

Quarto oportet, ut animam vacuam et esurientem offeras, id est, te plenum multis malis morbisque animi [3]) confitearis, sicut in veritate es, etiamsi forte non sentias, nam, ut B. Augustinus ait: Iste cibus nihil aeque odit ac saturum fastidientemque stomachum, nihil ita quaerit, sicut animam esurientem et sitientem, ut ipse quoque Dominus Matth. 5 [4]): Beati qui esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Item B. Virgo ***): Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Et Psal. 106 †): Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis. Bona vero quae sunt alia? quam illa, quae Galat. 5. recitat apostolus [5]). Fructus spiritus sunt caritas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, longanimitas, mode-

---

1) In ed. 1519: multae uvae. 2) In ed. Jen. hic interseritur: id est. 3) In ed. 1519: animae. 4) In ed. Jen. interseritur: testatur. 5) Ibid. additur: dicens.

*) Prov. 28. **) Matth. 6. ***) Luc. 1.

†) In ed. Jen.: Psal. 107.

atia, continentia, castitas. In iis sive te sentis deficere et genis, optasque illa[1]) obtinere, securus accede, nusquam enim invenies illa, nisi in isto sacramento.

Corollarium I.

Optima dispositio est non nisi ea, qua pessime es dispositus, et econtra tunc pessime es dispositus, quando es optime dispositus. Quod sic intelligitur, quod, quando sentis te miserrimum et egenum gratia, iam eo ipso capax es gratiae et idoneus maxime. Rursus plus quam mortem et infernum timeas, ne quando sic accedas, ut tibi dispositus videaris ac dignus, quasi allaturus Deo cor mundum, quod potius tibi[2]) fuerat quaerendum et recipiendum. Stat firma et insolubilis sententia*): Non est opus medico bene habentibus, sed male habentibus. Nam sicut non tunc, ita nec nunc Christus venit vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Ideo poenitentia potius post, quam ante sacramentum digne peragitur[3]). Deus tuus est bonorum tuorum non indigens, sed bonorum suorum largus in te venit ad te.

Corollarium II.

Magnus et perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentum ea nixus fiducia, quod confessus est, quod non est sibi conscius mortalis peccati, quod orationes et praeparatoria sua praemiserit. Omnes ii iudicium sibi manducant et bibunt, quia iis omnibus non fiunt digni neque puri, imo per eam fiduciam puritatis peius polluuntur, fiunt autem puri per fidem, ut sequitur.

Quinto, id cura, ut cum plena aut saltem possibili fide accedas, certissime confidens tete gratiam

---

1) In ed. 1519 deest: illa. 2) In ed. princ. et 1519: ibi. 3) In ed. 1519: Ideo poenitentia est potius, postquam ante sacramentum digne peragitur.

*) Matth. 9.

consecuturum. Tantum enim accipies, quantum credis te accepturum, sicut Christus ait*): Quicquid orantes petieritis, credite quod accipietis, et fiet vobis. Et iterum dicet tibi illud: Fiat tibi sicut credidisti. Si enim accederes sine ista fide, iudicium tibi omnino acciperes et mortem. Sic enim in omni alio sacramento non nisi illusio et fictio agitur, si sine fide suscipitur[1]), quod est horrendum. Haec itaque fides sola et summa ac proxima dispositio facit vere puros et dignos, quia non nititur in operibus aut viribus nostris, sed in purissimo, piissimo, firmissimoque verbo Christi dicentis**): Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et iterum***): Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam isti saturabuntur. Fides enim est, quae iustificat, purificat, dignificat. Et Act. 15: Fide purificans corda eorum etc.

Corollarium III.

Quicquid sit de contritione tua, de poenitentia vera et falsa, illud maxime stude, ut in praesumptione istorum verborum Christi accedas, et sic accedens illuminaberis, et facies tua non confundetur. Vel matrem eius noli mendacem facere, quae[2]) dicit†): Esurientes implevit bonis. Et multo magis ne ipsummet Dominum arguas mendacii, ubi promittit: Venite ad me etc. Arguas[3]) autem mendacii, si non credis eum ita facturum tibi, sicut promittit. Ideo infidelitas est maximum peccatum, et recta blasphemia in veritatem[4]) divinam.

Sexto, si sentis te nec ista duo posse, vel satis posse, sicut[5]) vere senties, si te ipsum probes, hic non verearis cum apostolis Dominum orare: Domine, adauge nobis fidem, et cum patre illius[6])

---

1) In ed. Jen.: percipitur. 2) In ed. 1519: ubi. 3) In ed. Jen.: argues. 4) In ed. 1519: caritatem. 5) Ibid.: si. 6) Ibid.: cum illo patre.

*) Marc. 11. **) Matth. 11. ***) Matth. 5. †) Lucae 1.

daemoniaci, Marc. 9: Domine adiuva incredulitatem meam. Sic intra in cubiculum tuum, et dic patri tuo in coelis: Ecce, mi Domine Iesu Christe, miseriam meam respice, inops et pauper sum ego, et tamen adeo fastidiosus medicinae tuae, ut nec divitias gratiae tuae suspirem. Accende in me, Domine, desiderium gratiae tuae, et fidem promissionis tuae, ut non offendam te, optimum Deum meum, perversa mea et incredulitate et saturitate[1]). Ac sic accede cum fiducia misericordiae eius, et in timore indignitatis tuae.

Sed hic tractandum est illud apostoli, 1 Corinth. 11: Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat etc. Hoc verbum multi sic intelligere videntur, ac si velit[2]) apostolus, nos non ante[3]) accedere, quam donec invenerimus nos dignos et puros ab omni peccato. Ideo sibi ipsis faciunt angustiam et carnificinam conscientiae discutiendo, conterendo, confitendo, non solum venialia, sed ea quae non sunt peccata. Et iis factis (quod est horrendum baratrum praesumptionis) iam secure accedunt, nec de fide sua quicquam solliciti. Volunt enim iusti et digni venire, et similes Deo, sicut Lucifer, cum deberent velle iusti et digni fieri, et redire a Deo.

Igitur illud verbi[4]) dictum est contra eos, qui Christum dividebant in diversas sectas, alii volentes esse Pauli, alii Cephae, alii Apollo, alii Christi, 1 Corinth. 1. Et ideo invicem iudicabant et damnabant atque contemnebant. Insuper ad sacramentum alii alios praeveniebant et praesumebant, ut alii venturi nihil haberent, ut clare ex textu et glossa B. Ambrosii[5]) patet. Quos apostolus arguit, et pronunciat indigne manducare etc. volens, ut se ipsos potius probarent, iudicarent, damnarent, et non alios. Ea enim discordia (ut supra quoque diximus) maxime facit indignos et reos corporis Domini, et hanc eius esse sententiam, sequentia

---

1) Ibid.: saturitate mea. 2) Ibid.: vellet. 3) In ed. Jen. intersertum: debere. 4) Ibid. legitur: verbum. 5) Ibid.: Augustini.

ostendunt. Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate, ne in iudicium conveniatis. Item: Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur a Domino. Item: Non diiudicans corpus Domini, quasi diceret: Ita acceditis, ac si corpus Domini nihilo esset dignius reliquo pane naturali.

Potest quidem illud verbum etiam de probatione intelligi, qua homo peccata sua discutit atque ponderat, sed ea non est satis, nec pertinet nisi ad insensatos et crassos illos sacramenti contemptores, non enim sufficit, ut probes et ponderes, quam malus fueris, nisi magis ponderes et probes, quam bonus fieri cupias et anheles.'

Corollarium I.

Si apostolus per ea verba[1]) vellet nos probari a nobis, usque dum digni fieremus, prorsus ad impossibile nos obligasset, et omnes homines, etiam sanctos communione privasset, sibi denique ipse in pluribus[2]) locis contradixisset, ubi clamat*), omnes esse peccatores, et sola fide iustificandos. Oportet enim accessurum ad sacramentum esse certissimum, se sine omni peccato mortali esse, si non velit iudicium sumere. At impossibile est, ut ex se et suis viribus certus fiat, iuxta illud**): Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, Domine[3]), et illud Ieremiae***): Pravum et inscrutabile est cor hominis, quis scrutabitur illud, Ego Dominus scrutans renes et corda. Relinquitur itaque, ut[4]) certitudo illa stet super firmam infallibilemque petram, id est, Christum et verbum eius.

Corollarium II.

Quare, vera et solida probatio est, si te inve-

---

1) In ed. Jen.: eo verbo. 2) Ibid.: plerisque. 3) In ed. orig. 1519 desunt verba: ab occultis Domine. 4) Ibid. deest: ut.

*) Rom. 3. **) Psal. 19. ***) Ierem. 17.

neris inanem quidem, et sine pondere salutis et iustitiae, onustum vero ac laborantem in multis malisque cupiditatibus, quibus inventis anhelus sitiae gratiam et misericordiam, easque non dubites tete[1]) consequuturum.

Sic B. Gregorius reprehendens Petrum, quod Dominum iussisset exire a se, quia peccator esset, ait: Si te peccatorem agnoscis, non oportet Dominum repellere[2]) a te, sed multo magis invitare. Et B. Ambrosius: Quia quotidie pecco, necesse habeo quotidie communicare. Et quidam patrum consuluit, ne facile quis se abstineret a communione, ne forte simul et longe fiat a Christo. Non enim venenum nobis dedisse ac reliquisse timendus est, qui novissimum et[3]) maximum caritatis, quam ad peccatores gerit, memoriale, se ipsum protestatur nobis reliquisse, dum institueret sacramentum illud.

Septimo, si tandem adeo infirmus es in fide, ut nec illa te satis iuvent, aut non possis ea praestare, apprehende illud novissimum infirmorum remedium, et permitte te sicut infantem gestari in ulnis, et sinu matris ecclesiae, imo cum paralytico in lectulo, ut Dominus fidem illorum saltem intueatur, quando tua nulla est, id est, ut in fide vel universalis ecclesiae, vel hominis fidelis tibi noti accedas, et audacter dicas Domino Iesu: Ecce Domine, mi Iesu Christe, doleo me tam infirmum, ut de tua inaestimabili in nos amore nihil aut tam parum[4]) praesumam. Ideo suscipe me in fide ecclesiae tuae, et illius aut illius hominis. Quicquid enim sit de me, necesse est, o Domine, me obedire ecclesiae tuae, quae iubet ut accedam. In obedientia venio saltem, si nihil aliud affero. Et crede firmiter, quod non indignus accesseris, non est dubium, quin obedientiam ecclesiae tanquam sibi factam acceptet. Deinde non potest fieri, ut ecclesiae fides te permittat perire, non magis certe, quam parvulum, qui alienae fidei merito baptizatur et salvatur.

---

1) In ed. orig. 1519: in te. 2) Ibid.: repellere Dominum. 3) Ibid.: ac. 4) Ibid.: purum.

Sic B. Bernhardus, cum aliquando fratrem haberet nimis timidum et scrupulosum, ita ut nollet celebrare, ait ad eum: Vade, mi frater, et celebra in fide mea. Ivit ille obediens, et sanatus est ab omni languore conscientiae suae.

Haec itaque latius dixi, quia compertum habeo, multorum concionatorum terroribus eo redactas Christianorum conscientias, ut sibi ex Christo Mosen fecerint, ex gratia legem, ex remedio venenum, dum Christum falso imaginantur exactorem magis quam largitorem, ultorem magis quam propitiatorem, et in summa, damnatorem, non salvatorem, ita ut iam nec nominis sui, quod est Jesus Christus (id est, salutaris et unctus), gloria sit in cordibus nostris, nisi nudis syllabis. Non igitur omnibus oportet terribiles iudicii minas intentare, sed duris et insensatis, trepidis vero atque scrupulosis leviores misericordiae promissiones sunt declarandae, quia alia medicina aliis morbis convenit.

Octavo, nec illud omittendum, imo maxime curandum, ut memoria passionis Christi non omittatur. Quid enim prodest, si digne praepareris, et non impleas id, ad quod te[1]) praeparasti. Nam praecepit Dominus id sacramentum non nisi in memoriam sui celebrari. Ideo omittendum est, si memoriam eius omittere voles. Sic dixit: Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, et Paulus*): Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Inde enim statuit ecclesia, ut missa sine evangelio non legatur. Haec memoria autem alium requirit sermonem, quia non minus et ipsa in superstitiones et literalem hypocrisin apud multos versa, quam pleraque alia sacratissima Dei dona.

---

1) In ed. princ.: in te.
*) 1. Cor. 11.

Quomodo Christi passio sit consideranda.

Homini non est necessarium, ut Christum in ipsius passione deploret, sed magis se ipsum in Christo. Nam passio Christi (ut S. pater Augustinus dicit) non solum nobis exemplum est, ut sequamur eius vestigia, et in nobis membra terrena crucifigamus, sed etiam [1]) sacramentum et mysterium, Christum per suam temporalem et corporalem passionem nostram spiritualem perpetuam passionem veteris hominis vicisse et crucifixisse.

Itaque passionem Christi utiliter vel auditurus, vel lecturus, vel consideraturus talem concipias necesse est affectum, tanquam ipse eandem passionem in et cum Christo paterreris. Ergo audiens Christum flagellatum vel percussum, considera hoc significari te spiritualiter flagellatum vel percussum. Sicut igitur tibi, si modo sanae mentis homo es, dolet te spiritualiter a morte peccati et spiritu maligno cruciari, ita dolet, et quidem vehementius dolet id Christo propter te in sua passione. Tu pateris ex merito, Christus propter te et innocenter, portans in cruce non sua, sed tua peccata. Ita confitebatur latro in cruce passionem Christi.

Sic et disce ex corporali passione Christi cognitionem tuae spiritualis passionis, et notitiam tui ipsius. Christus in sua passione personam nostrorum peccatorum suscepit, ideo nos in cordibus nostris tales coram Deo apparere debemus, sicut ipse coram hominibus pro nobis apparuit. Et quemadmodum ipse propter nos lamentatus est, ita debemus nos ipsos super eum deplorare. Sicut mulieribus dixit*): Nolite flere super me, sed super vos et filios vestros.

Igitur qui se ipsum non intelligit et invenit in passione Christi, eam non intelligit sufficienter, et frustra compatitur[2]) Christo, sive Christi vicem do-

---

1) In ed. or. a. 1519: etiam est. 2) Ibidem: comparatur.

*) Lucae 22.

let, quia ex Christi passione non discit sibi ipsi compati. Ideo pro te[1]) Christus flevit, conquestus est et passus, ut discas tuam propriam passionem et miseriam ante Deum[2]) deplorare. Nam te recognoscens coram Deo[3]) filium mortis merito debes flere, donec perpetuo libereris.

Si ergo ita efficaciter tuam miseriam in passione Christi recognosceres, facilis tibi esset humilitas, mansuetudo, clementia, contemptus mundi et cetera, libenter etiam Christum in omnibus ipsius sequereris passionibus. Quis enim nollet flere, videns suam miseriam esse tantam, ut pro ea aeterna, infinita et innocens persona pateretur? Nam terribile est auditu, neque mirandum in parte nostra, si quisquam nostrum penitus desperaret, tantam miseriam[4]) considerans, nisi e diverso magna Dei misericordia in[5]) solatium succurreret, per quam nemo in Deo de sua salute desperare debet. Si enim Deus filium pro nobis tradidit, dedit etiam in ipso nobis omnia[*]). Quapropter vocatus in conscientia tua in accusationem, poenam et mortem coram Deo, tunc confitere et deplora id totum ex merito venisse, et respice Christum omnia innocenter et immerito patientem, id quod unicum tibi solatium sit.

FINIS.

III. De Triplici Iustitia.

Triplex est Peccatum, cui triplex opponitur iustitia, Teutonice Fromkeit.

Primum est criminale, id est, manifeste malum, quod etiam potestas secularis punit, ut furtum, ho-

---

1) In ed. Jen.: propter te. 2) Ibid.: coram Deo. 3) In edit. princ. et ed. orig. a. 1519 deest: Deo. 4) In ed. princ. et ed. orig. a. 1519: misericordiam. 5) In ed. orig. 1519 deest: in.

*) Roma. 8.

micidium, incendium, sacrilegium etc. Quorum aliqua gladio, igne, aqua, furca, rota plectit, ut in iure civili, aliqua poenitentia canonica, ut simplices fornicationes et alia quaedam, ut in iure canonico.

Iustitia huic contraria est illa species iustitiae, quae simias Salomonis, pavones, et sycomoros facit. Qua fit, ut coram hominibus bonus vir sit, et accusari non possit, evadatque poenas legis, consequaturque promissa temporalia legis. Rom. 10: Moses scripsit, quod iustitiam, quae est ex lege, si homo fecerit, vivet in ea, et Esai. 1: Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis.

Talis fuit Naaman Syrus, vir magnus apud dominum suum, per quem Dominus dabat salutem Syriae, 4 Reg. 5. Tales multi reges Israel, et populus Israel, quibus Dominus dedit bona temporalia et victorias multas, licet essent iuxta idolatrae. Tales Samaritani, a quibus abstulit Dominus leones, cum tamen idola colerent, et Dominum Deum simul. Tales Romani iuxta B. Augustinum lib. civi.[1]), quibus Dominus dedit imperium amplissimum. Sic solet et principes ditare.

Tales usque hodie sunt omnes, qui poenitent propter pestem, famem, bellum, aliave flagella Dei, qui tunc orant, qui processiones faciunt, vota sanctis vovent. Hic cultores sanctorum, et sacerdotes, propter praesentiam servientes, et religiosi similiter, et qui talia similia multa faciunt. Et breviter, haec est iustitia, quae recipit hic mercedem suam, et in futuro mitius quidem punitur, quam criminosi.

Secundo non Deo, sed sibi servit, nec est filiorum, sed servorum iustitia, nec est Christianorum proprie, sed Iudaeorum et gentilium, nec Christiani ad eam sunt exhortandi, quia procedit ex timore poenae vel amore commodi sui, non amore Dei.

Tertio facit hypocritas superbos mente cordis sui, temerarios iudices aliorum, ut patet in Pharisaeo illo et Simone leproso *).

Quarto, hanc apostolus Galat. 3 maledictam

1) In ed. Jen.: lib. de civi. *) Luc. 18. 7.

asserit, qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, ideoque Christiani, qui aeternis bonis sunt ditandi, non sunt exhortandi ad illam, sed dehortandi potius ad meliorem. Unde non est gaudendum in his, sicut principes Saxoniae Deus gloria, divitiis, voluptate ditat, quia religiosi sunt. Etsi haec non sint satis, nascetur adhuc unus mons argenti, et pax servabitur. Ipsi viderint, an bene id eis cedat, ne sint mercenarii. Sunt enim haec praemia vilissimae huius et maledictae iustitiae, pertinens[1]) ad benedictionem Esau et filiorum eius*). Hi sunt iactatores liberi arbitrii Themenitarum. Sic Deus munerat etiam mala, quia sicut in oculis hominum bona sunt, ita et in oculis hominum recipiunt bona.

Alterum est peccatum essentiale, natale, originale, alienum, de quo Psal. 51[2]): Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. De quo Christus**): Non potest arbor mala fructus bonos facere, et Roma. 5: Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, et per unius delictum in omnes homines in condemnationem.

Et hoc est peccatum, quod facit priorem iustitiam esse nihil et malam, et maledictam, sicut Christus ait***): Aut facite arborem bonam et fructus bonos, aut arborem malam et fructus eius malos.

Secundo, id peccatum est incurabile viribus hominis, nec aliquid hic valet liberum arbitrium, ita ut et sancti dicant: Quod nolo malum, hoc facio[3]), et Galat. 5: Non quae vultis, facitis. Psal. 38[4]): Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus etc.

Tertio, id est, quod omnes sentimus in concupiscendo, irascendo, praesertim obiectis praesentibus, ut dicit Dominus de oculo nequam etc. Ideo dixi essentiale, quia per nativitatem contrahimus et manet semper, nec aliquando transit sicut actuale,

---

1) In ed. Jen. - pertinentia. 2) In ed. princ.: 50. 3) In ed. Jen. additum est: Roma. 7. 4) In ed. princ.: 37
*) Gene. 27. **) Matth. 7. ***) Matth. 12.

sicut fons, venenum, aut aqua salis naturaliter salsa est, sicut corpus leprosum naturaliter est tale, et corpus coecum similiter, non hic cum logicis ago.

Iustitia huic contraria similiter est natalis, essentialis, originalis, aliena, quae est iustitia Christi. Iohan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu. Item Iohan. 1: Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et 1 Iohan. 3: Qui natus est ex Deo, non peccat (id est, non est peccator), sed generatio Dei conservat eum. Rom. 5: Per unius hominis iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae, et per unius hominis obedientiam iusti constituentur multi.

Haec est, de qua nuper dixi, quod sit sors, capitale fundamentum, petra nostra, et tota substantia nostra, in qua gloriamur in aeternum, ut apostolus*) ait: Quod vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, et iterum: Ut nos essemus iustitia Dei in illo. Et 1 Corinth. 1: Qui factus est nobis a Deo iustitia et sapientia et sanctificatio et redemptio. Et 1 Corinth. 3: Fundamentum aliud nemo potest ponere.

Secundo, haec fit nostra per fidem. Roma. 1: Justus ex fide vivit et 10. cap.: Corde creditur ad iustitiam. Haec per baptismum confertur, haec est proprie, quam evangelium annunciat, et non est iustitia legis, sed iustitia gratiae.

Tertio, hanc qui habet, etiamsi peccet, non damnatur. Psal. 89[1]: Si peccaverunt etc. Hic est enim filius delicatus (ut dicitur), qui non potest offendere quicquid fecerit. Psal. 25: Universae viae Domini misericordia et veritas.

Quarto, per hanc fit homo dominus omnium, quia iustitia eius de coelo prospicit, et hic iustitia et veritas obviant sibi, iustitia et pax osculantur**), veritas enim de terra oritur. Nam sine misericordia homo est hypocrita, sine iustitia inquietus. Gra-

1) In ed princ.: Psal. 88. 24.
*) Phil. 3. 2 Cor. 5. **) Ps. 85.

tia facit veracem, iustum, et vera iustitia pacem, sed ea veritas Christus est, homo vanitas.

Quinto, Roma. 5, apostolus dicit, quod Adam sit forma futuri, scilicet, sicut Adam uno peccato omnes ex se natos facit eodem suo peccato proprio, illis iam alieno, reos, et dat quod habet, ita Christus sua iustitia omnes ex se natos facit eadem sua iustitia, illis aliena et immerita, iustos et salvos, ut sicuti alieno peccato damnati sumus, ita aliena liberemur iustitia.

Et ideo essentialem hanc dixi et aeternam, quia manet semper, nec cessat aliquando sicut actualis. Iuxta illud Psal. 112[1]): Iustitia eius manet in seculum seculi. Solus Christus est aeternus, ideo iustitia eius quoque aeterna est, et tamen nostra. Haec est misericordia Dei Patris, haec gratia novi testamenti, qua dulcis est dominus his, qui gustant eum, in hac oportet nos salvos fieri, et nulla alia, Acto. 4[2]): Non est nobis datum nomen sub coelo. Psal. 31: In iustitia tua libera me, et: Deus in nomine tuo salvum me fac etc. Hoc est quod dixi: Nullus salvatur nomine suo proprio, sed appellativo, id est, non ut Petrus, Paulus, Iohannes, sed ut Christianus, sicut ait Iohan. 3: Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in coelo, de qua nuper latius dixi.

Tertium peccatum est actuale, quod est fructus originalis, haec sunt iam propria peccata omnia, scilicet opera, quae facimus, etiam iustitiae priores ante fidem, iuxta apostolum Roma. 2 et 3: Qui alium doces, te ipsum non doces, et: Non est iustus, non est intelligens, et 29[3]): Eadem facis, quae iudicas, in quo enim iudicas[4]) te ipsum. Et hoc augetur malum peccati originalis, nec tamen potest vitari propriis viribus.

Iustitia huic contraria est actualis, fluens ex fide et iustitia essentiali, de qua apostolus*): Si-

1) Ibid.: 112. 30. 2) In ed. princ.: 15. 3) In ed. Jen.: et iterum. 4) Ibid.: in quo enim iudicas, condemnas te ipsum, et in hoc augetur etc.

*) 1. Cor. 5.

aut portavimus imaginem terreni etc. Psal. 85[1]): Iustitia ante eum ambulabit (id est, coram eo erunt iusti in opere) et ponet in via gressus suos. Et de ista nunc latius dicendum, ubi dimissum fuit nuper a me.

Primum, haec opera dicuntur meritoria, nescio an intelligant, ego fateor me non intellexisse. Fides est meritum totum, vanissimum est, ut unus actus subitaneus dicatur dignus vita aeterna, oportet ut persona sit digna. Christus meruit nobis et donavit, donatque quotidie.

Secundum, quomodo possit esse meritum, cum tamen omnes Sancti peccent, iuxta illud*): Non intres in iudicium cum servo tuo. Et Christus**): Vos cum sitis mali, et demitte nobis debita nostra. Et B. Augustinus: Vae hominum vitae[2]) etc. et[3]) rursus: Unusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem. Et 4. Reg.***): Est merces operi vestro. Et Gene. 15[4]): Ego merces tua magna nimis. Et Eccle. 9: Vade, comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.

Imo caveat omnis Christianus, ne unquam incertus sit, an Deo placeant opera sua, qui enim sic dubitat, peccat, et perdit opera sua cuncta, frustraque laborat. Sed oportet, ut credat sese placere Deo, ut apostolus†): Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod sine crimine conversati sumus in hoc seculo. Et iterum††): Non sic curro tanquam in incertum, non sic pugno quasi aerem verberans. Et Petrus†††): Satagite per bona opera certificantes[5]) vocationem vestram. Qui enim nescit aut dubitat sese bene agere, aut semper male se credit agere, semper peccat, ac perdit vitam suam totam, quia non ex fide, neque in fide agit.

---

1) In ed. princ.: 83. 2) In ed. Jen. additum: quantumcunque laudabili. 3) In ed. princ.: At. 4) Ibid.: 12. 5) In ed. Jen.: certam facere.

*) Psal. 143. **) Matth. 7. ***) 2 Paral. 15. †) 2. Cor. 1. ††) 1. Cor. 9. †††) 2. Pet. 1.

Quid ergo faciemus? quomodo simul iudicium deprecabimur, et gloriam petemus? Respondetur: Cherubin adversis vultibus nos erudiunt. Hi enim vultu sunt contrarii, sed prospectu in propitiatorium conveniunt. Sic illae autoritates contrariae inter se in Christo concordant. Ideo opera nostra si sola aspicias, peccata, et ita iudicium tibi est deprecandum (id est, ne sola sine Christo discutiantur), sed in Christo confidas ea placere Deo, quae ipsa sola placere non possunt, ut orat ecclesia.

Ideo, sive pecces, sive non, semper firmiter nitere super Christum et iustitiam illam naturalem. Septies enim in die cadit iustus, et toties resurgit. Et Psal. 37[1]): Cum ceciderit iustus, non collidetur, Dominus enim supponit manum suam. Sicut ergo de Christo non debes dubitare, quin placeant propter Christum, in quo credis, et sic sunt opera talis fidei et gratissima, licet apud te, et in se ipsis indignissima.

Tertium, quae sunt opera potissimum facienda? Respondeo: Maxime illa, quae promovent iustitiam capitalem, et minuunt originale peccatum. Ideo unicuique est propria sui observatio necessaria, quia originale peccatum unumquemque aliter et aliter impugnat. Generalia sunt orationes, eleemosynae, ieiunia. Imo Roma. 12. omnium pulcherrime et alibi: Mortificate membra vestra. Quia illa tertia iustitia nihil aliud quaeritur, quam ut peccatum originale expugnetur, et corpus peccati destruatur, et sic meritum sit ipsa regnans iustitia, non autem quod actus mereatur, sed promovet meritum.

Quartum, prae omnibus custodi te ab operibus abs te electis, quia haec non purgant peccata, sed polluunt magis, ut sunt nostro tempore ceremoniales orationes[2]), voculae, ecclesiarum structurae. Ideo illa opera magis purificant, quae Deus imponit et vocat, inde omnium sunt optima passiones, aegritudines, penuria, ignominia, mors, quia hic solus Deus operatur, et homo patitur, et perfectissime

---

1) In ed. princ.: 36. 2) In ed. Jen.: ceremonialia, orationes.

occiditur Adam, mundaturque Christus, et palmes eius purgatur *). Haec est enim via compendii ad salutem, sed odiosa valde in actu, iucunda in fine.

Sermo de triplici peccato et triplici iustitia finit.

IV. De Duplici iustitia.

Fratres, hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo **).

Duplex est iustitia Christianorum, sicut et duplex peccatum est hominum.

Prima est aliena, et ab extra infusa. Haec est, qua Christus iustus est et iustificans per fidem, sicut 1. ad Corinth. 1: Qui factus est nobis a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio. Siquidem et ipse (ut Iohannis 11): Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, non morietur in aeternum; et iterum Iohan. 14: Ego sum via, veritas et vita.

Haec ergo iustitia datur hominibus in baptismo; et omni tempore verae poenitentiae, ita ut homo cum fiducia possit gloriari in Christo, et dicere: Meum est, quod Christus vixit, egit, dixit, passus est, mortuus est. Non secus, quam si ego illa vixissem, egissem, dixissem, passus essem, et mortuus essem, sicut sponsus habet omnia, quae sunt sponsae, et sponsa habet omnia, quae sunt sponsi, omnia enim sunt communia utriusque, sunt enim una caro, ita Christus et ecclesia sunt unus spiritus. Sic benedictus Deus et Pater misericordiarum (secundum S. Petrum) ***) maxima et pretiosa donavit nobis in Christo, et Paulus 2. Corinth. 1: Benedic-

*) Iohan. 15. **) Philip. 2. ***) 2. Pet. 1.

tus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis[1]), qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo*).

Haec gratia et benedictio ineffabilis olim promittebatur Abrahae Gen. 12: In semine tuo (id est, in Christo) benedicentur omnes tribus terrae, et Esa. 9: Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis. Nobis, inquit, quia noster est totus cum omnibus bonis suis, si in illum credimus, sicut Rom. 8. dicit: Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donavit? Omnia ergo sunt nostra, quaecunque habet Christus, gratis et indignis nobis ex pura misericordia donata, cum potius iram et damnationem meruerimus pariter et infernum.

Unde et ipse Christus, qui venisse dicit se, ut hanc piissimam voluntatem patris sui faceret, factus est ei obediens, et quicquid fecit, nobis fecit, nostrumque esse voluit, dicens**): Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et iterum: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et Isa. dicit 53: Servire me fecisti in peccatis tuis, et laborem praebuisti mihi in iniquitatibus tuis.

Igitur per fidem in Christum fit iustitia Christi nostra iustitia, et omnia quae sunt ipsius, imo ipsemet noster fit. Ideo appellat eam apostolus iustitiam Dei, ad Roma. 1: Iustitia Dei revelatur in evangelio, sicut scriptum est***): Iustus ex fide vivit. Denique et fides talis vocatur iustitia Dei, ut eiusdem 4†): Arbitramur hominem iustificari per fidem. Haec est iustitia infinita, et omnia peccata in momento absorbens. Quia impossibile est, quod peccatum in Christo haereat, at[2]) qui credit in Christo, haeret in Christo, estque unum cum Christo, habens eandem iustitiam cum ipso. Ideo impossibile est, quod in eo maneat peccatum.

Et haec iustitia est prima, fundamentum, causa,

---

1) In ed. Jen. hic additum: et Ephes. 1. 2) Ibid.: et.
*) Eph. 1. **) Luc. 22. ***) Haba. 2. †) Roma. 4.

origo omnis iustitiae propriae seu actualis, quia vere ipsa datur pro originali iustitia, in Adam perdita, et operatur id, imo maius quam illa iustitia originalis fuisset operata. Sic intelligitur[1]) illud Psal. 31: In te Domine speravi, non confundar in aeternum, in iustitia tua libera me, non in mea, sed in tua, inquit, id est, in iustitia Christi, Dei mei, quae est per fidem, per gratiam, per misericordiam Dei nostra facta.

Et haec vocatur in psalterio per multa loca opus Domini, confessio, virtus Dei, misericordia, veritas, iustitia. Omnia haec sunt nomina fidei in Christum, imo iustitiae, quae est in Christo. Unde Apostolus ad Galat. 2. audet dicere: Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus, et ad Ephes. 3: Ut det vobis Christum habitare per fidem in cordibus vestris.

Haec igitur iustitia aliena, et sine actibus nostris per solam gratiam infusa nobis, trahente intus scilicet patre nos ad Christum, opponitur peccato originali, quod alienum similiter est sine nostris actibus, per solam generationem nobis cognatum et contractum. Et ita Christus expellit Adam de die in diem magis et magis, secundum quod crescit illa fides et cognitio Christi. Non enim tota simul infunditur, sed incipit, proficit, et perficit tandem in fine per mortem.

Secunda iustitia est nostra, et propria, non quod nos soli operemur eam, sed quod cooperemur illi primae et alienae. Haec nunc est illa conversatio bona in operibus bonis, primo in mortificatione carnis, et crucifixione concupiscentiarum erga se ipsum, sicut ad Gala. 5: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Secundo et in caritate erga proximum.

Tertio et in humilitate ac timore erga Deum.

De quibus plenus est Apostolus et omnis scriptura. Breviter autem omnia ad Titum 2. comprehen-

---

1) Ibid.: intelligatur.

dit, dicens: Sobrie (quoad se ipsum in carnis crucifixione) et iuste (quoad proximum) et pie (quoad Deum) vivamus in hoc seculo.

Haec iustitia est opus prioris iustitiae et fructus, atque sequela eiusdem, sicut ad Gala. 5: Fructus autem spiritus (id est spiritualis hominis, qui fit per fidem in Christo) caritas, gaudium, pax, patientia, bonitas etc. Spiritus enim vocatur homo spiritualis illo loco, quod patet, quia illi fructus sunt opera hominum. Et Johan. 3: Quod natum est de carne, caro est, quod natum est de spiritu, spiritus est.

Haec iustitia perficit priorem, quia semper laborat, ut Adam perdatur et destruatur corpus peccati, ideo odit[1]) se et diligit proximum, non quaerit quae sua sunt, sed quae alterius, et in hoc est tota conversatio eius. Nam in hoc, quod odit se ipsum, et non quaerit quae sua sunt, facit sibi crucifixionem carnis, quod autem quaerit quae alterius sunt, operatur caritatem, et sic utroque facit voluntatem Dei, vivens sibi sobrie, proximo iuste, Deo pie. Et in hoc imitatur exemplum Christi et conformis fit imagini eius. Nam et hoc ipsum Christus requirit, ut sicut ipse omnia fecit pro nobis, non quaerens quae sua sunt, sed tantummodo quae nostra, et in hoc obedientissimus fuit Deo patri, ita vult, ut et nos idem exemplum ad proximos exhibeamus.

Haec iustitia opponitur peccato actuali, et proprio nostro, ut ad Roma. 6: Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae ad sanctificationem. Igitur per iustitiam priorem oritur vox sponsi, qui dicit ad animam: Tuus ego, per posteriorem vero vox sponsae, quae dicit: Tua ego. Tunc factum est firmum, perfectum atque consummatum matrimonium, ut in Cant.*): Dilectus meus mihi, et ego illi q. d. Dilectus meus est meus, et ego sum sua. Tunc anima non quaerit amplius

1) In ed. Jen. deest: odit.
*) Cant. 2.

esse sibi iusta, sed habet suam iustitiam, Christum, quaerit ergo aliorum salutem tantummodo. Unde per prophetam minatur Dominus synagogae, quod auferetur ab ea vox laetitiae, vox sponsi, et vox sponsae.

Hoc est, quod thema propositum dicit*): Hoc sentite in vobis etc. id est, sic sitis animati et affecti erga invicem, sicut videtis Christum affectum erga vos fuisse. Quomodo? Qui, scilicet, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed exinanivit se ipsum, formam servi accipiens etc.

Forma Dei hic non dicitur substantia Dei, quia hac Christus nunquam se exinanivit, sicut nec forma servi dici potest substantia humana, sed forma Dei est sapientia, virtus, iustitia, bonitas, deinde libertas. Ita quod Christus homo fuit, liber, potens, sapiens, nulli subiectus, nec vitio nec peccato, sicut sunt homines cuncti. Talibus enim praestabat formis, quae maxime Deo conveniunt, et tamen in hac forma non superbivit, non sibi placuit, nec alios fastidivit atque contempsit, qui erant servi, et variis malis subiecti, sicut ille Pharisaeus, qui dixit: Gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines, quem delectabat, quod alii essent miseri, utique nolens, quod essent ei similes. Et haec est rapina illa, quam homo sibi arrogat, imo servat, quae habet, et non refert pure in Deum, cuius haec sunt; nec per ipsam aliis servit, ut se similem faceret ceteris, et ita volunt esse sicut Deus, in se ipsis sufficientes, sibi placentes, in se ipsis gloriantes, nulli debentes etc.

Christus autem non ita arbitratus est, non ita sapuit, sed illam formam retulit in Deum patrem, ac exinanivit, nolens illis uti titulis contra nos, nolens dissimilis nobis esse, quin magis nobis factus est, sicut unus ex nobis, et formam servi accepit (id est, omnibus malis sese subiecit), et cum esset liber (ut apostolus quoque ait) omnium se servum

*) Philip. 2.

fecit, non aliter agens, quam si sua essent omnia ista mala, quae nostra erant. Itaque super sese accepit peccata nostra et poenas nostras, et egit ut vinceret ea tanquam sibi ipsi, cum tamen nobis ea vinceret. Ita cum esset respectu nostri talis, ut Deus noster esse et Dominus esse posset, tamen ita noluit, sed servus potius fieri voluit noster, sicut ad Roma. 15: Non debemus nobis placere, etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est*): Improperia improperantium tibi ceciderunt super me, quae est eadem sententia cum praedicta.

Ex isto sequitur, quod ista autoritas negative debet intelligi, quam multi affirmative acceperunt, scilicet, quod Christus non arbitratus est se esse aequalem Deo, id est, noluit esse aequalis, ut fit per eos, qui id rapiunt per superbiam, qui dicunt Deo: Si non dederis (ut ait B. Bernhardus) mihi gloriam tuam, ipsemet mihi usurpabo. Non autem affirmative sic: Non arbitratus est se esse aequalem Deo, id est, quod esset aequalis Deo, id non putavit rapinam. Haec enim sententia non habet aptam intelligentiam, loquitur enim de Christo homine.

Apostolus id vult, ut singuli Christiani exemplo Christi fiant alterius servi, et si quid habent sapientiae, vel iustitiae, vel potentiae, quibus ceteris possint praestare et gloriari, tanquam formis Dei, non hoc servent, sed in Deum referant, et omnino fiant, quasi non habeant, et efficiantur sicut unus illorum, qui non habent; ut quisque sui oblitus et exinanitus a donis Dei agat cum proximo suo eo affectu, quasi sua sit propria infirmitas, peccatum, stultitia proximi, non glorietur, neque infletur, neque fastidiat, neque triumphet adversus illum, quasi Deus illius et aequalis Deo sit, quod cum soli Deo sit relinquendum, rapina fit per talem superbamque temeritatem.

Sic itaque accipitur forma servi, et impletur illud apostoli Galat. 5: Per caritatem servite invi-

*) Ps. 69.

cem, et ad Roma. 12. ac 1 ad Corinth. 12 per similitudinem membrorum corporis docet, quomodo membra robusta, honesta, sana non superbiunt adversus infirma, inhonesta, aegrota, tanquam dominentur et sint dii eorum, sed econtra magis serviunt illis, oblita suae honestatis, sanitatis, potentiae. Sic enim nullum membrum corporis sibi ipsi servit, nec sua quaerit, sed alterius, et eo magis, quo fuerit illud infirmius, aegrius, inhonestius, et, ut verbis eius dicam: Invicem sollicita sunt membra, ne sit schisma in corpore.

Ex istis nunc patet, quomodo agendum sit cum proximo in quacunque causa [1].

---

1) Hic addita leguntur in ed. Jenensi quae sequuntur: Et illa doctrina practicanda: Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Exempli gratia: Si estis offensi a proximo, statim suggeritis, vindicta petenda (sic enim sapit natura ex Adam), hic apparent illae duae formae, scilicet iustitia in offenso, et iniustitia in offensore. Si hic natura praevaluerit, quid fiet? Nempe sibi ipsi placebit et inflammabitur adversus offensorem, atque velut iniustum despiciens per sententiam et iudicat atque condemnat, et temere omnia agit contra eum, quae Dei sunt, tanquam superior illo, Dei enim est gloria, vindicta, iudicium, Roma. 12: Mea est ultio, Johan. 8: Est qui quaerat et iudicet. Hic igitur fit homo sanguinum, iratus, invidus, impatiens, sed interim obliviscitur, quod et ipse in plurimis aliis offendit Deum et hominem. In quorum tamen uno non vellet sic secum agi, sicut agit in isto unico cum proximo suo, nollet enim vindicari, iudicari, confundi etc.

Secundo non videt exemplar illud Christi, qui propter hoc, quod tam multipliciter est offensus, non solum non quaerit vindictam in eum, sed etiam velut misero et insano compassus submittit sese formae eius, ac pro eo peccato, quo offensus est, ipse non aliter agit oblitus formae propriae, quam si ipse hoc fecisset.

Tertio non videt, quod proximus ille offensor est, sicut membrum suum aegrotum, inhonestum et sanandum, quod magis compassione misericordiae fovendum est et sanandum, quam rigore iustitiae exasperandum est et confundendum. Sic enim et nos a Christo fovemur, et non exasperamur, qui tamen quingentis talentis (id est,

Quod si nos non volumus sponte exuere istas formas Dei et induere formas servi, cogemur et inviti exuemur. De quo nota Luc. 7. historiam, ubi Simon leprosus in forma Dei et iustitia sua sedens superbe iudicabat atque despiciebat M. Magdalenam, in qua videbat formam servi. Sed vide iudicem, statim Christus exuit eum forma iustitiae, et induit forma peccati, dicens: osculum mihi non dedisti, caput meum non unxisti. Vide, quanta peccata, quae ille non videbat, nec tam foeda forma sese putabat deformem. Non sunt in memoria ulla eius bona opera. Nescit Christus formam Dei, in qua ille sibi placens superbivit, non recitat, quod sit invitatus ab eo, cibatus, honoratus, non est Simon leprosus iam nisi peccator factus, qui tam iustus sibi videbatur, detracta est gloria formae Dei, sedet confusus in forma servi, velit nolit.

At contra, Mariam honestat forma Dei, et suam imponit ei et super Simonem exaltat, dicens: Haec pedes meos unxit, osculata est, lacrimis rigavit, capillis tersit. Vide, quanta merita, quae nec ipsa, nec Simon videbat. Non sunt in memoria ulla eius demerita, nescit Christus formam servitutis in illa, quam magnificavit forma dominationis, nec est Maria aliud quam iusta, et exaltata est in gloria formae Dei etc.

Sic faciet omnibus nobis, quoties de iustitia vel sapientia vel potestate inflamur, et irritamur adversus iniustos, stultos, impotentiores nobis. Tunc enim (quae est maxima perversitas) iustitia contra iustitiam, sapientia contra sapientiam, potentia contra potentiam operatur. Nam ideo potens es, ut impotentes non impotentiores facias opprimendo, sed potentes facias exaltando et defendendo, et ideo sapiens, ut non rideas stultos, ac sic magis stultos

---

multo maioribus infirmitatibus et offensionibus ipsum laedimus), ubi nos proximus noster vix quinquaginta (id est, minoribus offensionibus) urget et irritat. Ad hoc etiam oratio dominica cogit: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

facias, sed suscipias, sicut te ipsum velles, et erudias. Sic iustus es, ut iustifices et excuses iniustum, non ut condemnes tantummodo, detrahas, iudices, atque vindices.

Hoc est enim exemplum Christi erga nos, sicut dicit *): Non venit filius hominis, ut iudicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum. Et iterum Luc. 9: Nescitis, cuius spiritus filii sitis, non venit filius hominis animas perdere, sed salvare.

At natura vehemens contra nititur, quia valde delectatur in vindicta et in gloria suae iustitiae, atque in confusione iniustitiae proximi sui. Ideo suam causam agit, quam gaudet esse meliorem quam proximi, causam vero proximi persequitur, et cupit esse malam, quae perversitas est tota iniquitas contraria caritati, quae non quaerit quae sua sunt, sed quae alterius. Debet enim dolere, quod causa proximi non est melior quam sua, et optare ut sit melior quam sua, non minori gaudio, quam quo gaudet suam esse meliorem. Haec est enim lex et prophetae.

Sed dicis: An non licet malos castigare? Non decet peccata punire? Quis non tenetur iustitiam defendere? Hoc enim esset occasionem praebere delinquendi.

Respondeo.

Non potest hic simplex solutio dari, ideo distinguendum de hominibus. Sunt enim homines vel publici vel privati. Ad eos qui sunt publici, id est, in officio Dei constituti et in praesidentia, nihil pertinent ea, quae dicta sunt, ad ipsos enim ex officio et necessitate pertinet punire et iudicare malos, vindicare et defendere oppressos, quia non ipsi, sed Deus hoc facit, cuius sunt in hoc ipso servi, ut ad Roma. 13. late apostolus prosequitur dicens: Non sine causa gladium portat etc.

Verum hoc est intelligendum in causis aliorum,

---

*) Johann. 3.

non autem propria, nullus est enim in vice Dei propter se et sua, sed propter alios. Si autem habet causam propriam, alium Dei vicarium quam se ipsum requirat, iam enim non est iudex, sed pars. Sed de his alii et alias dicunt, latior est enim res, quam nunc dici potest.

Privati vero et propriae causae homines sunt triplices. Primi, qui vindictam quaerunt, et iudicium apud vicarios Dei, et horum nunc est totus numerus. Hoc tolerat apostolus, non autem probat 1. Corinth. 6. dicens: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, imo dicit ibidem: Omnino delictum est inter vos, quod iudicia habetis, sed tamen propter maius malum toleratur hoc minus malum, ne se ipsos vindicent, et vim alter alteri faciat, reddendo malum pro malo, aut reposcendo sua bona, attamen tales non intrabunt in regnum coelorum, nisi fuerint mutati in melius, et licentia relinquant, sequendo expedientia, quia affectus ille sui commodi exstinguendus est.

Alii sunt, qui non cupiunt vindictam, imo parati sunt (secundum evangelium *)) tollenti pallium et tunicam dare, et non resistunt ulli malo. Hi sunt filii Dei, fratres Christi, haeredes futurorum honorum. Ideo vocantur in scripturis orphani, pupilli, viduae, pauperes, quorum pater et iudex Deus vocari voluit, eo quod se ipsos non vindicant, imo si praesidentes pro eis vindicare velint, vel non cupiunt nec quaerunt, vel solummodo permittunt, aut, si sint perfectissimi, prohibent et impediunt, potius parati et alia amittere.

Si dicis: Paucissimi sunt tales, et quis posset in hoc mundo permanere, si hoc faceret? Respondeo: Non est novum hodie, quod pauci salvantur, et angusta porta sit quae ducit ad vitam, et pauci inveniant eam, quod si nulli hoc facerent, quomodo stabit scriptura, quae pauperes, orphanos, pupillos populum Christi praedicat [1]).

---

*) Matth. 5.

1) In ed. Jen. additum est: Oportet ergo sic fieri.

Igitur isti magis dolent de peccato offendentium se, quam de suo damno et offensa, idque potius agunt, quo illos de peccato revocent, quam quod iniurias suas ulciscantur. Ideo formas iustitiae suae exuunt, et illorum formas induunt, orantes pro persequentibus, benedicentes maledicentibus, benefacientes malefacientibus, et pro ipsis inimicis suis poenas luere et satisfacere parati, ut salvi fiant, hoc est, evangelium et exemplum Christi.

Tertii sunt, qui sunt affectu tales, quales secundi iam dicti, sed effectu alii. Hi sunt, qui non adeo reposcunt sua, aut reddi vindictam cupiunt, quia sua quaerunt, sed per eam vindictam et redditionem suorum quaerunt emendam illius, qui rapuit, vel offendit, quem vident sine punitione non posse emendari. Hi vocantur zelosi, et in scripturis laudem habent, sed hoc non debet attentare, nisi qui in secundo gradu iam dicto perfectus est, et exercitatissimus, ne furorem pro zelo apprehendat et quod amore iustitiae sese credit facere, ex ira potius et impatientia fecisse convincatur. Similis est enim ira zelo et impatientia amori iustitiae, ut nisi a spiritualissimis discerni satis non possint. Huiusmodi fecit Christus opus (ut dicitur Johann. 2.), quando factis flagellis eiecit de templo vendentes et ementes, et Paulus *), quando dixit: In virga veniam ad vos etc.

Finis.

---

*) 1. Cor. 4.

Acta Augustana

Anno MDXVIII.

Praefatio.

Anno 1518 Imperator ac principes Germaniae Augustam Vindelicorum convenerunt, ut et de rebus publicis Germaniae et de bello contra Turcas suscipiendo consulerent. Ad eum conventum a Papa Leone X missus est Legati a Latère loco Cardinalis Thomas de Vio Caietanus, quem Cardinalem Caietanum appellare solent. Huic, ut et reditus Pontificis integros servaret et res ecclesiasticas Bohemiae et adiacentium terrarum in pristinum statum restitueret, d. V. m. Maii 1518 singularis tradita est Instructio (cf. Loescher Reform. Acta II, 310.) Cardinalis Caietanus mense Junio Augustam Vindel. pervenit, ubi Imperator Maximilianus ipse et Fridericus Saxoniae Elector cum reliquis principibus versabantur. Eundem Augustam venisse Lutheri caussam oppressurum cum ultro opinari licet tum ex epistola apparet, quam Lutherus d. 21. m. Augusti ad Spalatinum dedit, ubi haec legimus: „Nondum redierat nuntius, quem ad illustrissimum Principem Fridericum emisi: ideo adhuc exspecto, quid Dominus in mea caussa per vos agere velit. Audivi autem reverendissimum Cardinalem Caietanum id potissimum habere mandati a summo Pontifice, ut omni studio mihi Caesaris et Principum animos faciat adversos (Luth. Epp. I ed. Aurif. p. 76. de Wette I p. 132). Lutherus autem ipse, quum d. VII m. Aug. Citationem accepisset, ut Romam ad

caussam dicendam et revocandum perveniret, iam d. VIII m. Aug. per Spalatinum Fridericum, Principem suum, rogaverat, ut et Princeps ipse et Caesarea Maiestas sibi a summo Pontifice impetrarent remissionem seu commissionem caussae suae ad partes Alemanniae. Imperator contra Maximilianus d. V. eiusdem mens. Augusti ex civitate imperiali Augusta epistolam ad Leonem X Pont. dederat, ut damnosa et haeretica, quae per Lutherum essent disseminata, diudicaret, ne sinceritas Christiana huiusmodi disputationibus laederetur vel scandalizaretur, „se, quidquid Papa super his sancte statuisset, in imperio suo ab omnibus observari facturum". Ea epistola infra sequetur. Ad Friderici mentem atque animum perturbandum ac terrendum iam d. III m. Aprilis 1518 Cardinalis Raphael de Rovere epistolam ad Fridericum principem misit, ne Lutherum eiusque scripta tueretur: ad eam epistolam Fridericus Responsionem misit d. V m. Aug., quae itidem infra sequetur. Die XXIII m. Aug. Leo X Pont. Fridericum principem per literas hortatus est, ut daret operam et efficeret, ut Martinus Lutherus, ad respondendum Romam citatus, in potestatem et iudicium sanctae sedis apostolicae deduceretur (vid. infra). Eodem autem die XXIII. m. Aug. Roma datae sunt literae Cardinali Caietano, quibus illi mandatur, ut absque ulla mora Lutherum, haereticum iam declaratum, invocato principum brachio, coram se personaliter comparendum cogeret et compelleret, et in potestatem suam redactum sub fideli custodia retineret, donec a Pontifice aliud habuisset in mandatis, ut coram Sede apostolica sisteretur etc.

Eas literas (Breve quod dicunt) Luthero demum medio mense Octobri innotuisse, cernere licet ex epistola, quam Lutherus Vittembergam reversus d. 31. m. Oct. 1518 Spalatino misit, ubi haec legimus: „Responsiones meas ad D. Cardinalis obiecta una cum appellatione curabo ut edam in vulgus, adiecto theologico quodam apparatu super Breve apostolicum, imo diabolicum, cuius tu

saepe mihi mentionem fecisti et nuper exemplar misisti, quod mihi redeunti Nurmbergae redditum fuit cum aliis literis instructoriis. Nam incredibile est, tale quid monstri a summo pontifice egredi, praesertim Leone decimo. Ideo quisquis ille fuerit nebulo, qui sub nomine Leonis decimi tali me terrere proposuit decreto, intelliget me posse quoque nugas intelligere; aut si vere etiam a curia emanavit, docebo eos suas impudentissimas temeritates et iniquissimam ignorantiam" (Epp. Luth. ed. Aurif. I, 100, de Wette I p. 166). Hanc Postillam super Breve Lutherus una cum „Actis apud D. Legatum Apostolicum Augustae" mense Novembri typis vulgavit. Interim d. XXV mensis Septembris a. 1518 Rector (Johannes Stoebs de Wangen), Magistri et Doctores Academiae Wittembergensis per epistolas ad Carolum de Miltiz, Nuncium Apostolicum, et Leonem X Pontif. datas intercesserunt, orantes, ne Lutherus Romam se conferre cogeretur, et ut caussa eius in Germania commissa iudicibus non suspectis et locis tutis audiretur. Interpositis igitur Electoris Saxoniae (cf. Loescheri Reform. Acta I p. 445) et his Academiae Wittembergensis precibus concessit Pontifex, ut ea caussa in Germania cognosceretur, data iudicandi facultate Thomae de Vio, Cardinali Caietano, Legato apostolico, qui tunc Augustae Vindel. erat. Lutherum Fridericus Dux urgebat, ut coram eo viro se sisteret, ac dubitantis de comparitione animum firmabat promittendo non passurum se esse, ut Romam duceretur. Obtemperavit Lutherus Principis sui monitis, pedes iter suscepit, d. VII. Oct. Augustam pervenit Literisque Caesaris, quas salvi conductus appellant, d. XI m. Oct. acceptis Cardinalem adire constituit. (cf. Seckendorfii Hist. Luth. I. Sect. 17. §. 36. et Loescheri Reform. Acta II p. 435 sqq.). Quid Augustae inter Lutherum et Caietanum actum sit, Lutherus ipse refert in Actis Augustanis, quae mense Novembri a. 1518 exeunte typis vulgavit.

In reddendo textu scriptorum, quae ad hunc conventum Augustanum pertinent neque a Luthero

ipso sunt composita, nos secuti sumus editionem Jenensem anni 1556: in reddendis Lutheri scriptis editiones principes, de quibus haec sunt commemoranda.

Acta Augustana a Luthero mense Novembri a. 1518 edita esse, et Fridericum electorem diu dissuasisse atque postremo per Spalatinum prohibere voluisse, ne a Luthero ederentur, cernimus ex compluribus, quas tum Lutherus dedit, epistolis. Scribit enim ille d. VIII m. Nov. 1518 Wittembergae, quo Augusta d. 31. m. Oct. reverterat, Spalatino: Excuditur negotium meum Augustinense (Luth. Epp. ed. Aurif. I, 102, de Wette I, p. 169. coll. Ep. Luth. d. 31. Oct. ed. Aurif. I, 100. de Wette I, 166), et d. 25 m. Nov. Christophoro Langenmantel Canonico Augustano: Jam eduntur acta mea Augustensia, nam princeps hucusque dissuasit eorum editionem. Cetera ex optimo Patre Priore Johanne Frosch recenter insignito (sc. doctoratus theologici honore) cognosces. Signa supersunt cognoscenda. (Luth. Epp. ed. de Wette (Seidemann) VI. p. 8.). Die 9. m. Dec. 1518 Lutherus Spalatino, editionem Actorum inhibere conato, respondit: Jam actum erat, quod literis tuis mihi inhibes, mi Spalatine. Edita sunt acta mea, sed multa veritatis libertate, nondum tota tamen: mihi in his et omnibus festinandum video. (Epp. ed. Aurif. I, 123 et de Wette I p. 191. conf. ep. Luth. ad eundem d. 20. Dec. datam, ed. Aurif. I, 125. de Wette I, 198.). Et d. 13. m. Dec. 1518 haec scribit Staupitio: Princeps omnino dissuasit edi acta mea, nunc tandem permisit et iam excuduntur. (Epp. L. ed. Aurif. I, p. 101. de Wette I, 195).

Coniicere hinc licet editionem Actorum Augustanorum nisi per varia impedimenta Luthero non licuisse conficere et ex ipsis eorum Actorum editionibus principibus apparet manifesto. De iis multa disputavit D. Joh. Barth. Riederer, theol. prof. Altorfiensis, in libri clarissimi: Nützliche und angenehme Abhandlungen aus der Kirchen-Bücher- und Gelehrtengeschichte. Altdorf 1769. Partic. III, p. 362 sqq. commentatione: „Nachricht von drei ver-

schiedenen Ausgaben der Actorum Augustanorum Lutheri".

Hae editiones principes sunt:

1) ACTA. F. MARTINI LUTHER
August: apud. D. Legatū Apticū
Auguste.

Tituli pagina nec in margine est ornata nec imaginem ullam prae se fert, et textus excusus est typis minoribus ac permultis vocabulis compendiosis, sicuti Joh. Grunenberg Wittembergensis iis uti solebat. Folia sunt duodecim formae quartanariae, quorum ultima pagina est nuda: signum chartae aquaticum est caput tauri. Folia insigniuntur literis A., A II, A III, folium quartum eget signo; B., B II, B III, folium quartum eget signo etc. In folio C III finitur Breve Leonis X per vocabula: Jo. Sadoletus, et in eadem pagina incipit: Postilla F. Martini Luther super Breve praecedens, et statim post haec vocabula sequitur lacuna, cuius spatium quod octo fere versus continet atramento typographico oblitum est. Septem versuum exitus accurate ibi discerni possunt; et in exemplari horum Actorum Lutheri, quod in bibliotheca Norimbergensi asservatur, haec conspicitur forma huius loci:

. . . . is
. . . . S
. . . . o
. . . . ꝰ
. . . . ꝰ
. . . . d
. . . .*). ē

Tum postilla ipsa incipit per vocabulum Deinde, ex quo luculentissime apparet aliquid antecessisse; in posterioribus editionibus praeter unam **) omnibus hoc Deinde non legitur et Postilla incipit a vocabulis: Quis dixit Pontifici etc.

In bibliotheca regia Monacensi itidem huius editionis exemplar pigmento oblitum atro exstat,

---

*) Totum hoc spatium atramento typographico est oblitum. **) vid. infra p. 346 sq.

in quo tamen (itid. fol. C III) non ultimarum literarum partes in singulis versibus adhuc conspiciuntur expressae, sed partes literarum, quibus singuli versus inceperunt.

Haec ipsa mihi videtur princeps fuisse editio, quam Lutherus invito Principe electore Wittembergae excudendum curavit, ex qua tamen excusa Princeps Postillae exordium pigmento atro exstingui iussit.

Riedero quoque duo praesto erant exemplaria huius editionis, in quibus itidem hae erant obliterationes. Refert enim in commentatione, quam supra laudavimus, (p. 365), quae sequuntur: Bei dieser Postilla bemerkte ich schon lange in meinem Exemplar, dass der ganze erste Paragraphus von 8 Zeilen mit Druckerschwärze völlig überzogen sei, dass man nichts davon lesen könne, wie sonst die Bücher-Censores im Pabstthum mit den locis expungendis der Bücher, die sie doch nicht völlig verwerfen wollten, gethan haben. Ein anderes Exemplar eines vornehmen Gönners ist hier ebenso beschaffen, allein es mag entweder nicht sogar hart geschwärzt oder schon ehemals von iemanden diese Schwärze aufzulösen versucht worden sein, welches ich bei meinem Exemplar zur Zeit noch nicht habe zu Stande bringen können, so hahen sich doch aus jenem folgende Worte bisher herausbringen oder errathen lassen, die ich mit Weglassung der Abbreviaturen hieher setze:

Primum. Summus Pontifex Romanus Summis episcopis
scribit ut fratribus suis venerabilibus . . . . . . S.
Sixti presbytero scribit dilecto filio . . . . . -
observatum est, ut in hoc ipso Brevi observabis, sed maxime distinguebat memorabilis autor. Hieronymum Asculanum venerabilem fratrem a Papa nominari. oportuit enim praerogativae — -
etiam ab hoc Sycophanta filizari, qui dicitur Legatus a latere, memorem esse.

So viel sieht man daraus, dass Luther sich darüber aufhält, dass der Pabst den Cardinallegaten dilectum filium, den Bischof von Ascoli aber Hieronymum, venerabilem fratrem nennt. Dieser ganze Paragraphus ist in allen Werken, die ich nachgeschlagen habe, gänzlich weggelassen, und der folgende Paragraphus, folglich die ganze Postilla mit den Worten: Quis dixit Pontifici cet. angefangen worden, da doch in diesen beiden Exemplaren vor diesen Worten noch Deinde stehet: Deinde, quis dixit Pontifici, welches Deinde sich auf ein vorhergegangenes Primum bezieht, sowie die folgenden Paragraphi mit: Item und Ultimo anfangen."

Eam editionem bibliothecae Norimbergensis nos secuti sumus in textu Brevis et Postillae reddendo, et continet ea Acta R. P. D. Martini Lutheri apud Dom. Leg. Caietanum praeter Appellationem M. Lutheri a Caietano ad Papam et epistolas duas ad Caietanum Pridie Lucae Evangelistae et die S. Lucae evangelistae 1518 datas atque sub finem Breve Leonis X et Postillam Lutheri super Breve praecedens. Cum ea editione contulimus collectionem Basiliensem a. 1520, in collectione enim Basiliensi a. 1519 haec Acta nondum reddita sunt.

Legitur hoc Breve et Postilla etiam in collect. Opp. Luth., latine in Wittemb. I, p. 204 et 214, Jen. I, 190, germanice in Wittenb. IX, p. 31, Jen. I, p. 102, Altenb. I, p. 115. Lips. I, 174, apud Walch. XV, p. 656. (conf. Loescher Reform. Acta II, 437).

2) Alia editio princeps sine dubio itidem Wittembergae prodiit, cuius titulus literis gothicis exscriptus hic est:

Acta F. Martini | Luther August. | apud. D. Legatū Apo-| stolicū Augustae. | (s. l. et a.) Infra hanc inscriptionem cernitur figura ligno expressa Christum repraesentans, quem de cruce demunt. Duodecim sunt folia form. quartan. latinis typis excusa, quorum ultima pagina est nuda. Insignia paginarum A et B. sena amplectuntur folia. Sub inscriptione: POSTILLA. F. MARTINI LUTHER SUPER | Breve praecedens,

statim sequuntur haec verba: Deinde, quis dixit Pontifici me etc. Signum chartae aquaticum itidem est caput tauri, loci autem pigmento atro obliti nullum exstat vestigium. (Riederer in commentatione, quam supra laudavimus, propter figuram ligno excusam opinatur eam editionem ex officina Melchioris Lottheri Lipsiae prodiisse). Asservatur eius editionis exemplar in bibliotheca Dresdensi.

3) Alia denique editio princeps Actorum Augustanorum Basileae per Jo. Frobenium prodiit sub hoc titulo:

ACTA R. PA | TRIS MARTINI LUTHERII AUGU- | STINIANI APUD D. LEGA | TUM APOSTOLICUM | AUGUSTAE.

Folia sunt viginti form. quart., quorum ultima pagina nuda est. Quamquam nec locus nec annus additus invenitur, tamen ex literarum formis et ex more, quo Lutherius pro Lutherus scriptus legitur, manifeste patet, eam editionem per Jo. Frobenium Basileae prodiisse. Titulo denique praefixa est folii transversi forma, quae in editionibus Basiliensibus semper fere in exordiis librorum ac titulorum cernitur.

Ea editio multifariam differt ab editione priore, quae Wittembergae prodiit. Continet enim narrationem eorum, quae priore die acta sunt, protestationem altera die oblatam et responsionem Cardinali Caietano scriptam, quae finitur his verbis: „Dominus Jesus regat et servet reverendissimam Paternitatem tuam in aeternum. Amen." Tum statim sequuntur epistolae Lutheri Caietano pridie Lucae Evangelistae et die S. Lucae Evangelistae MDXVIII missae, iisque continuo adiuncta est Appellatio D. Mart. Lutheri a Caietano ad Papam. Confecta haec editio est aut anno 1518 exeunte, aut anno 1519 ineunte; exemplar enim eius, quod nobis ex bibliotheca reip. Norimbergensis praesto erat, haec in tituli pagina prae se fert manu scripta: „Filio suo Joanni Tucher C. Scheurl, doct. 31. Jan. 19". Unde vero orta sit haec editionum differentia, Jo. Frobenius ipse d. XIV mens. Febr. 1519 indicat his verbis Luthero:

„Miraberis forsan de nostra tuorum Actorum editione, quod videlicet partim Vuittembergensi respondeat, partim non. Sed causam audi. Miserat nobis ex Augusta Vindelicorum amicus quidam noster Responsionem tuam Cardinali datam, etiam iam imprimenda erat, cum Calvus *) ex Norimberga rediens unicum tantum Vuittembergensis editionis quaternionem **) secum attulit, primum videlicet, quem nos statim imitati, reliquam illam partem ex Augusta nobis missam utcunque annexuimus. Nunc vero Blásii ***) beneficio Vuittembergensis editionis exemplar nacti, quod nostrae deest, quam primum licebit, additurі sumus. Audio enim a Doctis probari quam de Decretorum violentia coronidem adiecisti (Luth. opp. lat. ed. Jen. I. p. 389)." Num Frobenius postea pleniorem editionem Actorum curaverit, non constat; in collectione opp. Luth., quae anno 1519 prodiit et per Jo. Frobenium typis excusa et divulgata est (cf. epistolam, quam modo laudavimus), haec Acta nondum reperiuntur, leguntur autem in coll. Basiliensi a. 1520, ubi Postilla Lutheri super Breve Leonis X incipit his verbis: Quis dixit Pontifici etc. I, p. 264.

Acta Augustana leguntur latine in coll. Opp. Luth. Jen. I, p. 188 sqq. Wittenb. I, p. 207 sqq., germanice in Wittenb. IX, 35 sqq., Jen. I, 108 sqq. Altenb. I, 119 sqq. Lips. XVII, 186 sqq., apud Walch. XV, 636 sqq. Loescher Reform. Acta II, 435 sqq.

Nos in textu Actorum Augustanorum reddendo secuti sumus editionem Basiliensem collatam cum Wittembergensi et collectione Opp. Luth. Ba-

---

*) Calvus bibliopola Papiensis. **) Ex epistolis Lutheri illis temporibus datis apparet, singulos quaterniones scriptorum eius, ubi primum typis excusi erant, per typographos esse divulgatos: „insidiantur, Lutherus ipse inquit, si quid vel unius paginae edo." cf. Ep. Luth. Spalatino d. 20. m. Dec. 1518 missam ed. de Wette I, 198. Aurif. I, 125. ***) Blasius Salmonius bibliopola Lipsiensis.

siliensi 1520, atque Jenensi; quae inter has editiones differant notis indicavimus.

Epistola Imperatoris Maximiliani Augusti

missa ex conventu Augustano Anno MDXVIII de controversiis Lutheri ad Leonem X Pontificem Romanum.

Beatissime Pater, Domine reverendissime, accepimus non adeo multos ante dies, quendam Fratrem Augustinianum, Martinum Lutherum, nonnullas Conclusiones in materia Indulgentiarum scholastico more discutiendas disseminasse nec non in concionibus suis et ea de re et de vi apostolicarum Excommunicationum plurima docuisse, in quibus damnosa et haeretica pleraque videantur, atque ea nunc per Magistrum sacri vestri palatii notata esse. Quae res nobis eo magis displicuit, quo pertinacius dictus Frater, ut edocti sumus, doctrinae suae inhaerere atque complures errorum suorum defensores et patronos, etiam potentes, consecutus esse dicitur.

Verum cum suspectae assertiones et periculosa dogmata a nemine melius, rectius et verius diiudicari queant, quam a Beatitudine vestra, quae sola, ut potest, ita debet, vanarum quaestionum, sophisticarum rationum, et verbosarum contentionum autores compescere, quibus pestilentiores christianae pietati nulli contigerunt, huc tantum spectantes, ut quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in pretio, quod praesentis seculi et eruditiorum consensus et pie antea in Christo defunctorum candida et solida doctrina comprobat.

Exstat pervetustum Pontificii senatus decretum de constituendis Doctoribus, in quo de sophistica nusquam unquam quicquam cautum est, nisi quod ista in Decretis vocantur in dubium, utrum fas sit ea discere necne, atque horum studium a multis et magnis autoribus improbatur.

Cum igitur, quod Pontificum autoritas iussit, negligitur, et de quo dubitatum, imo improbatum est, id solum recipitur, necesse est interdum hallucinari, somniare et caecutire magistros istos, quibus debetur, quod non solum hactenus Doctores ab ecclesia recepti solidiores non lecti, sed plerique depravati sunt atque mutili redditi.

Tacemus iis autoribus pullulasse longe plures, quam unquam damnatas fuisse haereses. Tacemus Reuchlinianam infamationem et nunc praesentem hanc periculosissimam de Indulgentiis atque censuris apostolicis disceptationem his perniciosis autoribus in mundum emanasse, quibus nisi Beatitudinis vestrae et reverendissimorum Patrum autoritas legem finemque imposuerit, brevi non solum imperitae imponent multitudini, sed et principum virorum sibi auram et favorem in mutuam perniciem comparabunt. Quibus si conniventibus oculis campus apertus atque liber dimittatur, futurum est, ut quod omnium maxime in votis habent, ut pro optimis et sanctissimis Doctoribus istorum nenias prae oculis habere cogatur totus mundus.

Haec pro singulari nostra in sedem apostolicam reverentia Beatitudini vestrae significavimus, ut sinceritas Christiana huiusmodi temerariis disputationibus et captiosis argumentis non laedatur et scandalizetur. Nos enim quidquid super his sancte statuerit in Imperio nostro ad laudem et honorem Dei omnipotentis et Christi fidelium salutem ab omnibus observari faciemus.

Datum in civitate nostra imperiali Augusta, die quinta mensis Augusti, Anno MDXVIII. Regnorum nostrorum, Romani tricesimo tertio, Hungariae vero vicesimo nono.

Responsio D. Friderici

Ducis Saxoniae, Sacri Imperii Electoris, ad Epistolam (quam desideramus) D. Raphaelis, Tituli S. Georgii ad velum aureum.

Reverentissime in Christo Pater, amicissime et Domine et amice, Caritatis vestrae literas, datas Romae die III. Aprilis, mihi die VII. Julii redditas, ut perlegi, ita amanter a Caritate vestra accepi atque intellexi, maxime, quod adhuc patris mei amantissimi beatae memoriae recordetur. Perpetuo enim honorem et optima quaeque mihi de Car. vestra pollicitus sum, quemadmodum Car. vestra ex meis hactenus literis facile potuit deprehendere, neque inferiora etiamnum mihi de Car. vestra polliceor, paratissimus etiam vicissim, Car. vestrae gratiam referre. Et quoniam intellexi Car. vestrae nescio quae adversa accidisse, gravatim vicem vestram tuli.

Quod si res interim Car. vestrae meliores factae sunt, non sine magna animi et voluptate et laetitia intelligerem.

Porro, quae Car. vestra de Doctore Martino Luthero scribit, cognovi. Itaque Caritas vestra, Deo volente, nunquam intelliget me secus daturum atque futurum, mihi etiam neque animum neque voluntatem aliam fore, quam me obtemperantem atque dicto audientem sacrosanctae ecclesiae catholicae dandi.

Neque etiam hactenus unquam mihi sumpsi vel scripta vel conciones Doctoris Martini Lutheri tuendi, imo ne hodie quidem. Quemadmodum ego id ipsum etiam pontificiae Sanctitatis Legato Cardinali S. Sixti, imo et pontificio nuncio Carolo Miltitio, tum literis, tam coram ostendi *).

---

*) cf. Loescheri Reform. Acta II, p. 316.

Ceterum, ut audio, Doctor Martinus nunquam non obtulit, se coram aequis, commodis, non suspectis et prudentibus iudicibus, fide publica munitum, obedienter compariturúm, doctrinam suam ipse defensurus, et meliora atque sanctiora ex scripturis Sanctis edoctum sese obtemperantem et ductilem praestaturum.

Ad hoc audio ipsi admotum Commissarium Archiepiscopum et Electorem Treverensem *), amicum meum, ad cuius vocationem non dubito fide publica probe et satis munitum obsequenter compariturum, ut nemo mihi quidquam hoc nomine possit iure crimini vertere. Ex animo enim mihi doleret, mea hac aetate errores in sancta fide Catholica suboriri, atque existere, hocque molestius mihi esset, errores a me provehi. A qua impietate, ut oro, me Deus clementer praeservet intaminatum. Id quod Car. vestrae ad literas ipsius nolui clam esse, flagitans has meas literas non inamanter excipiendas atque intelligendas, quam Deo omnipotenti feliciter conservandam commendo.

Datum ex Augusta, V. Augusti,
Anno MDXVIII.

Leo Papa X.

Dilecto Filio Nobili Viro, Friderico, Duci Saxoniae, Sacri Romani Imperii principi Electori, S.

Dilecte fili, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum memoria recolimus nobilissimam familiam tuam, teque ipsum caput et ornamentum familiae ad ceteras laudes proprias generis vestri hanc primam et potissimam esse voluisse, ut per vos Dei fides ac religio, et huius sanctae Sedis honor ac dignitas, quemadmodum quidem decet et fas est,

*) cf. Loescher. ibid.

salva atque illibata manerent, non possumus existimare errantem quempiam a fide, vel adversus eam potius oblatrantem, tuae nobilitatis favore aut gratia fretum, superbiae et iniquitati suae frena tam audacter laxare.

Cum vero audimus et ad nos undique defertur, quendam iniquitatis filium, Fratrem Martinum Lutherum, ordinis Eremitarum S. Augustini congregationis Alemanniae, immemorem habitus professionisque suae, quae in humilitate et obedientia consistit, praevaricantem, in ecclesia Dei iactare se, tanquam tuae nobilitatis praesidio munitus, nullius autoritatem reprehensionemque vereatur. Etsi cognoscimus falsum hoc esse, tamen eidem nobilitati tuae scribendum duximus, hortantes eam in Domino, ut pro nomine et dignitate boni catholicique Principis, qualis tu es, retinere splendorem optimae famae generis tui immaculatum ab hac calumnia velis. Neque solum culpam evitare, quod facis, nulla enim adhuc in te nostro iudicio culpa est, sed etiam suspicionem fugere huius culpae, quam tibi illius temeritas inferre conatur.

Et quoniam ex doctissimorum ac religiosissimorum hominum relatione ac praesertim dilecti filii Magistri sacri Palatii nostri nobis constat, multa dictum Fratrem Martinum Lutherum impia et haeretica audere asserere, et publice affirmare, nos et eum citari ad respondendum iussimus, et dilecto filio nostro Thomae, tituli S. Sixti Presbytero Cardinali nostro et huius sanctae Sedis de latere Legato, homini omnis theologiae philosophiaeque consultissimo, quid eum agere oporteat, commisimus.

Cum autem haec res Dei catholicaeque fidei sinceritatem omnino concernat sitque proprium officium Sedis Apostolicae, fidei magistrae, cognoscere, qui recte sentiant aut perperam. Hortamur denuo nobilitatem tuam et in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut et Dei et Nostri et sui honoris causa dare operam et efficere velit, ut is Martinus Lutherus in potestatem et iudicium huius sanctae Sedis, sicut a te Legatus praedictus requisiverit, deducatur. Quod

erit fidei catholicae gratum et salutare munus, tuae nobilitati ob pietatis et religionis cultum in primis honorificum. Siquidem ad honorem nominis tui et animae salutem in primis pertinet, ne praesens et futurum seculum ullo tempore commemorare possit, haeresin perniciosissimam in ecclesia Dei, favore Domus tuae nobilissimae, fuisse exortam, cui te periculo occurrere tua sapientia decet.

Quod si forte aliquid tibi de eo in bonam partem persuasum est re apud Sedem apostolicam discussa, et veritate indagata, aut is, si erit innocens, cum bona nostra gratia remittetur, aut si pravae mentis inventus fuerit, mens tua ab omni errore liberabitur. Nos et paterno affectu, et ex pastorali officio, neque innocentiae poenam ullam proponimus et poenitentiae clementiae nostrae gremium largiter aperiemus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII. Augusti, anno MDXVIII, pontificatus nostri anno sexto.

Jacobus Sadoletus.

Leo Papa X.

Dilecto Nostro Filio Thomae, Tituli S. Sixti Presbytero Cardinali nostro, et apostolicae Sedis de latere Legato.

Dilecte fili noster, Salutem et apostolicam benedictionem. Postquam ad aures nostras pervenerat, quendam Martinum Luther, Ordinis Eremitarum S. Augustini Professorem, in reprobum sensum versum, nonnulla haeretice, et ab eo, quod sancta Romana tenet ecclesia, diversa asseverare, et super hoc conclusiones, nec non famosos libellos temeritate propria, et erecta cervice, laxatis obedientiae frenis, inconsulta Romana ecclesia, fidei[1]) magistra, in diversis Germaniae partibus publicare ausum

1) In ed. orig.: fide.

fuisse, nos temeritatem suam paterne corrigere volentes, Venerabili Fratri nostro Hieronymo Episcopo Asculano, Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, commisimus, ut ipsum Martinum[1]) ad comparendum personaliter coram eo, et se super praemissis examinandum, et qualiter de fide sentiret respondendum, sub certis poenis moneret, ipseque Hieronymus auditor contra dictum Martinum monitorium huiusmodi, ut accepimus, decrevit.

Nuper autem ad notitiam nostram devenit, quod dictus Martinus benignitate nostra abusus et audacior effectus, mala malis addendo, et pertinaciter in haeresi persistendo, nonnullas alias Conclusiones ac famosos libellos similiter publicavit, in quibus nonnulla alia haeretica et erronea continentur, quod quidem mentem nostram non modicum perturbavit.

Quare, prout pastorali nostro incumbit officio, in praemissis occurrere, et ne pestis huiusmodi adeo invaleat, quod [2]) simplicium animos inficiat, providere volentes, circumspectioni tuae (de qua tum ob singularem doctrinam et rerum experientiam, tum ob in nos, et hanc sanctam sedem, cuius honorabile membrum existis, sinceram devotionem plurimum in Domino confidimus) per praesentes mandamus, ut eisdem praesentibus receptis absque ulla mora, quoniam res apud nos, tum ex fama, tum et [3]) facti permanentia, notoria et inexcusabilis est, dictum Martinum haereticum per praedictum auditorem iam declaratum ad personaliter coram te comparendum, invocato ad hoc tam carissimi [4]) in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris electi, quam reliquorum Germaniae Principum, Communitatum, Universitatum et Potentatuum, tam ecclesiasticorum, quam secularium, brachio, cogas atque compellas, et eo in potestate tua redacto, eum sub fideli custodia retineas, donec a nobis

1) In ed. Jen. hic et reliquis locis: Lutherum. 2) Ibid.: ut. 3) Ibid.: ex. 4) Ibid.: clarissimi.

aliud habueris in mandatis, ut coram nobis et sede apostolica sistatur[1]).

Ac quod si coram te sponte ad petendum de huiusmodi temeritate veniam venerit et ad cor reversus poenitentiae signa ostenderit Tibi eum ad unitatem sanctae matris ecclesiae, quae nunquam claudit gremium redeunti, benigne recipiendi concedimus facultatem.

Si vero in pertinacia sua perseverans et brachium seculare contemnens in potestatem tuam non venerit, Tibi in omnibus Germaniae partibus eum ac omnes ipsius adhaerentes et sequaces, etiam per edicta publica, ad instar illorum, qui olim in Albo praetorio scribebantur, pro haereticis, excommunicatis, anathematizatis, et maledictis publicandi et ab omnibus Christi fidelibus tanquam tales evitari faciendi concedimus similiter facultatem.

Et ut celerius et facilius morbus huiusmodi exterminetur, universos et singulos Praelatos, et alias ecclesiasticas personas, tam seculares quam quorumvis Ordinum, etiam mendicantium regulares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, ac quascunque Communitates, Universitates et Potentatus (praefato Maximiliano electo Imperatore excepto) autoritate nostra etiam sub excommunicationis latae sententiae, et aliis infra dicendis poenis moneas et requiras, ut sicut reputari cupiunt et haberi fideles, dictum Martinum et eius adhaerentes et sequaces capiant et ad manus tuas transmittant.

Quod si, quod absit, quod nobis persuadere non possumus, praedicti Principes, Communitates, Universitates, et Potentatus, aut aliquis eorum Martinum aut adhaerentes et sequaces praedictos quomodolibet receptaverint seu eidem Martino auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, ex quavis causa quomodolibet dederint, eorundem Principum, Communitatum, Univer-

---

1) In ed. orig. et collect. Basiliensi a. 1520 deest: sistatur.

sitatum, et Potentatuum, ac cuiuslibet eorum Civitates, oppida, terras et loca, nec non civitates, oppida, terras, et loca, ad quae praedictum Martinum declinare contigerit, donec dictus Martinus ibidem permanserit, et per triduum post, ecclesiastico subiicimus interdicto.

Mandantes nihilominus omnibus et singulis Principibus[1]), Communitatibus, Universitatibus et Potentatibus praedictis, ultra praefatas poenas, quoad ecclesiasticos et regulares praedictos sub privationis ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, nec non inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, privatione quoque Feudorum: quo vero ad Laicos, dempto praedicto Imperatore, infamiae, inhabilitatis ad omnes actus legitimos, ecclesiasticae sepulturae, privationis quoque Feudorum, a nobis et sede apostolica, vel quibusvis aliis etiam secularibus obtentorum, poenis, eo ipso incurrendis; quatenus mandata requisitionis et hortationes tuas sine exceptione, contradictione et replicatione aliqua illico exsequantur, et a consilio, auxilio, favore, et receptatione praedictis omnino abstineant.

Obedientibus vero Indulgentiam etiam plenariam, seu retributionem aliquam, aut gratiam arbitrio tuo concedendi, tenore praesentium tibi tribuimus facultatem: non obstantibus exemptionibus, privilegiis, et indultis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibusvis ecclesiasticis seu cuiusvis Ordinis et mendicantium regularibus, ecclesiis, monasteriis sive locis, aut personis etiam secularibus, quomodolibet concessis, etiamsi in eis caveretur expresse, quod excommunicari, suspendi, interdici nullo modo possint, cum irritantis decreti appositione, quibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, ad effectum praesentium specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscunque.

---

1) In ed. orig.: Principibus ac Communitatibus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, Die XXIII. Augusti, Anno M.D.XVIII, Pontificatus nostri anno sexto.

Jacobus Sadoletus.

Postilla F. Martini Lutheri

Super Breve praecedens.

Quis *) dixit Pontificime abusum benignitate sua, qua me per Dominum Hieronymum citari fecit? cum tempore huius dati Brevis, aut certe huius benignitatis ubusus, ego nondum quidquam de citatione audierim, ut infra scies, sed insulsus aliquis leucocorax in Germania meam videns fiduciam ista crocitavit.

Item, quod in haeresi pertinaciter post Hieronymianam citationem et monitionem perstiterim, et alios libellos ediderim, est apertum mendacium, non solum enim ante datum huius Brevis, sed etiam ante datum monitorii, cessatum erat a libellis meis edendis [1], exceptis resolutionibus, quas necdum citatus plene absolveram. Sed satis indicat nasus, displicuisse defensionem meam vulgarem quibusdam cucullis, quibus cum non cederem, fingunt mihi pontificem quendam de permanentia facti, de fama notoria et inexcusabili, divinantem. Iste enim Leo X, quem illi fingunt, forte est inter rationem rei rationabilis et rei ratiocinantis natus.

---

1) In ed. origin.: edendis meis.

*) In ed. origin, quam supra laudavimus et in textu reddendo secuti sumus, ante hoc vocabulum cernitur lacuna, quae orginem habere videtur ex censura typographica principis Friderici iussu instituta, quippe qui editionem horum Actorum diu dissuaserit; spatium enim 8 fere versuum atramento typographico est oblitum nec nisi exitus septem versuum accurate discerni possunt, vid. Praef. Quae sequuntur typis manifestis impressa sic incipiunt: Deinde, Quis dixit pontifici me etc.

Ultimo et omnium suavissimum, Breve hoc datum est XXIIII. Augusti, ego autem citatus et monitus fui VII. Augusti, et sic intra datum Brevis et citationem cucurrerunt 16. dies. Calculum pone, lector, et invenies Dominum Hieronymum Episcopum Asculensem, vel ante mihi insinuatam citationem, aut intra decimum sextum diem post insinuatam processisse contra me, iudicasse, damnasse, declarasse. Si nunc quaeram, ubi tunc sexaginta illi dies mihi dati in citatione mea, qui inceperunt a VII. Augusti, finiebantur autem circiter VII. Octobris. Est iste mos et stilus Romanae curiae, ut eadem die citent, moneant, accusent, iudicent, damnent, declarent, praesertim tanto spatio absentem et ignorantem? Quid respondebunt, nisi sese oblitos fuisse ellebori[1]), quando hoc mendacium adornare parabant.

In fine, mi lector, accipe fidele meum monitorium, utcunque[2]) cesserit meis propositionibus et quantumcunque indulgentias elevaverint, ne in meam stultitiam aliquando cadas, moneo. Ego enim vere mihi donari merita Christi per indulgentias aliquando credebam, atque hac stulta opinione procedens docui, et iactavi in populum, quandoquidem tantae res essent indulgentiae, non licere eas relinquere, viles et contemptas habere, non advertens omnium Bardorum bardissimus, quod eo sermone pene praeceptum salubre aut certe consilium necessarium facerem, ex permissionibus, licentiis, relaxationibus. Huc enim me perpulit sensus meus, opinionum et Extravagantium male lucidis verbis deceptus. Erravi, testis lector, revoco, testis lector.

Postquam autem receptis oculis viderem, ab omnibus Doctoribus una sententia tradi, indulgentias melius omitti quam redimi, et feliciores esse eos, qui per se satisfaciunt, quam qui indulgentias

---

1) In ed. Jen. et ed. Basil. a. 1520 haec leguntur: oblitos et elleboro purgandos fuisse. 2) In ed. origin.: utrunque.

redimunt, esseque indulgentias aliud nihil, quam relaxationes bonorum operum, quibus satisfactio impletur, mox vidi proclivi sequela, eas posse contemni, imo saluberrimum esse consilium, ut relinquantur et viles habeantur.

Porro contemnere, relinquere, vilia ducere sacrosancta, pretiosissima, inaestimabiliaque merita Christi (id est, indulgentias) horrendum sonabat, ac non tam consilii quam furentis impietatis verba iudicabantur. Ad haec perurgebat, quod indulgentiae sine nomine meritorum Christi vilissimae essent, soloque titulo meritorum Christi rerum omnium pretiosissimae fierent, ac sic sacrosancta (heu) incomparabilia merita Christi ad turpissimam foedissimamque servitutem quaestus praetexerentur. Quis enim Christianorum, si audiat vel nominari, nedum exhiberi vulnera, sanguinem, labores dulcissimi Salvatoris sui, non vitam quoque, nedum pecunias, prodigeret, idque cum gaudio? At quo rursum dolore cruciaberis, si haec omnia non nisi in teterrimum quaestum servire videris, ac non uno Iuda, nec semel, sed innumeris Iudis, singulisque momentis vendi revendique Christum.

Igitur non te fallat nomen Christi, recordare praedictum esse*), multos venturos Pseudochristos in nomine Christi, tantaque prodigia et signa daturos, ut in errorem ducant (si fieri potest) etiam electos. Sit mea propositio falsa, sint merita Christi thesaurus indulgentiarum, sed cogita, quod hinc sequi necessarium est, et dicere te oportet: Merita Christi relinquenda, et vilia ducenda esse, feliciores esse eos, qui merita Christi non redimunt, quam eos, qui devotissime eadem quaerunt, et cum merita Christi quam maxime (natura sua) ad bona opera impellant, in indulgentiis tamen sibi ipsis pugnantia, bona opera relaxant, et quod natura sua voluntateque Dei faciunt, id voluntate papae sol-

*) Matth. 24.

vunt. Feci, quod debui, lector, si deinceps erras, sine mea culpa erras. Vale.

Anno M. D. XVIII[1]).

Epistolae Duae

Academiae Witembergensis.

I.

Magnifico et generoso viro domino Carolo de Miltitz, cubiculario secreto, et Nuncio Apostolico, Patrono nostro reverenter colendo.

Non sine gravi animorum nostrorum dolore intelleximus, magnifice et generose vir, Reverendum Patrem Martinum Lutherum Augustinianum, sacrae theologiae et bonarum artium Magistrum, Academiae nostrae membrum praestantissimum, in tantam sanctae Sedis Apostolicae adductum invidiam, ut citatus Romam, multiplici sua oblatione fidei, pietatis et officii, Christiano homine digna, impetrare non potuerit hactenus, ut causa in Germania commissa iudicibus non suspectis et locis tutis audiretur. Sumus enim ita cum erga totam Christianam religionem, tum erga sanctam Sedem Apostolicam et sanctam Romanam Ecclesiam affecti, ut si certum esset nobis, Doctorem Martinum lapsum in tam foedos et impios errores, primi omnium eum non solum permitteremus legibus, sed etiam exigeremus eiiceremusque, tantum abest, ut favere velimus a via veritatis evangelicae erranti.

Verum experti multis abhinc annis hominis eruditionem tam multiiugam, quam pene singularem, moribus integerrimis et defecatissimis coniunctam, eamque multis regionibus Christianae fidei, nedum nobis cognitam, nostri muneris putamus rogare pro pio Patre, tam praeclare de nobis merito. Nisi enim talis esset, neque Christianissimo et illustris-

---

1) In ed. orig. deest: Anno M. D. XVIII.

simo Principi nostro, Domino Friderico, Duci Saxoniae, Sacri Romani Imperii Electori, et Archimarscallo, Academiae nostrae conditori, Patrono et Patri pientissimo, neque nobis in diem hodiernum fuisset tolerabilis. . . .

Quapropter magnificentiam tuam etiam atque etiam vehementer rogamus, ut hominem pientissimum simul et eruditissimum erga sanctissimum Dominum nostrum, D. Leonem X. Pontificem Maximum, ita habeat commendatum, ut impetrare possit. quod sese obtulit facturum pro defensione sua. Nam cum te gratiosum sciamus apud Pontificem summum, nos dubitamus te adiutore, te Patrono, eo facilius consequuturum quod petimus, quo mitioris est ingenii Pontifex Maximus, optimis et literis et praeceptoribus a puero institutus.

Da igitur, quaesumus, hoc patriae tuae, ut Germanus Germano non desis, praesertim eo calamitatis genere laboranti, ut nobis persuadeamus, multo feliciorem futurum, si Pontif. Max. integritatem, pietatem et eruditionem viri certo cognovisset. Scimus enim omnia facturum, quae Christiano theologo conveniunt, et nihil minus commissurum, quam ut in scirpo nodum quaesivisse insimulari possit ab aequo iudice.

Quod si magnificentia tua nobis gratificabitur, habebit nos semper non minus sibi devotissimos, quam perpetuos tuarum laudum praecones. Valeat magnificentia tua felicissime.

Datum Vuitembergae XXV. Septemb.
Anno M. D. XVIII.

Rector, Magistri et Doctores Academiae Vuitembergensis.

II.

Epistola Academiae

Witembergensis ad Leonem X. Romanum Pontificem, testimonium praebens de integritate D. Martini Lutheri, et excusans eum, quare Romam proficisci non possit.

Non temeritati neque impudentiae nobis vertet, beatissime Pater, suavissima illa tua et vere pastoralis clementia, quod Sanctitatem tuam hisce nostris literis adire praesumpsimus, pietas ipsa et veritas vice nostrae verecundiae abunde (speramus) nobis conciliabit patientissimam tuam, et passim omnibus munifice expositam, benevolentiam.

Frater quidam, Martinus Lutherus, artium et sacrae theologiae Professor, nostri studii fidele gratumque membrum (ut vocant) nobis supplex factus, fiducia nostrae intercessionis, literas ad Beatitudinem tuam postulavit, quibus testimonium perhiberemus et doctrinae et famae eius, quam a quibusdam iniquius damnari et accusari queritur.

Denique et nunc autoritate Beatitudinis tuae per Commissionem propter disputatas aliquot apud nos propositiones de Indulgentiis citatus et personaliter comparere in urbe iussus est. Quia vero et corporis valetudo et itineris periculum non patiuntur eum facere quod deberet et vellet, haec res supra vires suas esse videtur, idcirco nos eius et necessitati et petitioni compassi negare non voluimus id, quo sibi opus esse credit, testimonium nostrum.

Quare, beatissime Pater, humiliter et obnixe oramus, devoti deditique filii sanctitatis tuae, ut hunc Virum eum credere dignetur, cuius apud nos opinio usque adhuc nullius perversi et quod a sacrosanctae Romanae ecclesiae sensu aberret dogmatis labe resperas aut contaminata sit, nisi quod ritu et facultate disputandi liberius forte quaedam

posuerit (nihil asserendo) quam ferre potuerint quidam adversarii sui. Nam nec nos ipsi tales unquam videri voluimus, qui pertinaciter adversus catholicum dogma quidquam sapere statuerent, parati per omnia, tuis et sanctae ecclesiae voluntatibus parere in Christo Jesu Domino Deo nostro, qui et sanctitatem tuam nobis faciat propitiam et exorabilem, et gratia sua hic praeveniat, et illic gloria aeterna subsequatur, Amen.

Datum Vuitembergae XXV. Septemb.
Anno M. D. XVIII.

Tuae sanctitatis devoti deditique filii
Rector, Magistri et Doctores
Academiae Vuitembergensis.

Martinus Lutherus

Philippo Melanth. S.

Nihil novi aut miri hic agitur, nisi quod mei nominis rumore Civitas plena est, et omnes cupiunt videre hominem tanti incendii Herostratum. Tu age virum, sicut agis, et adolescentes recta doce, ego pro vobis et illis vado immolari, si Domino placet. Malo perire, et quod unum mihi gravissimum est, etiam vestra conversatione dulcissima carere in aeternum, quam ut revocem bene dicta, et studiis optimis perdendis occasio fiam apud hos, ut insipientissimos, ita acerrimos literarum et studiorum hostes.

Italia est in Aegypti tenebras palpabiles proiecta, adeo ignorant omnes Christum, et ea quae Christi sunt. Hos tamen Dominos et Magistros habemus fidei et morum. Sic impletur ira Dei super nos, quae dicit: Dabo pueros Principes eorum, et effoeminati dominabuntur eis. Vale, mi Philippe, et Dei iram castis precibus averte. Augustae feria secunda post Dionysii, Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus.

Brevis Commemoratio

Rerum, quae Augustae Anno M. D. XVIII peractis iam comitiis cum D. Martino Luthero Ordinis S. Augustini de Indulgentiis pontificalibus sunt gestae, atque a claris et fide dignis hominibus ad quosdam summi Ordinis viros inter alia perscriptae.

Vestrae Celsitudini pro novitatibus haec quoque observanter significanda duxi. Pridie, cum haec scriberem, nempe die Iovis, dominus Philippus de Feilitsch, eques auratus, et ego[a]), Illustrissimi Principis Friderici Ducis Saxoniae Electoris etc. nomine causam nobis a sua Cels. commissam, praesente Doctore Martino Luthero, apud Romanum Cardinalem, Ordinis Praedicatorum, virum alioqui doctum, egimus. Ibi Doctor Martinus exhibuit responsum et declarationem suarum Propositionum, quas antea refutaverat ipse Cardinalis, quod sibi adversus Pontificem et ecclesiam Romanam egisse videretur.

Inter alia vero Cardinalis legem quandam seu constitutionem pontificiam obstinatissime urgebat, atque huic, tanquam fundamento suae causae, pertinaciter insistebat, quasi Lutherus eam infringere niteretur. Ceterum Lutherus, tanquam vir integer et Christianus, minime infitias ibat, illam constitutionem esse pontificiam legem, sed tamen patrocinari eam sententiae Cardinalis pernegabat. Hoc ille moleste ferens subito ad libros confugit, et istam quaesivit Constitutionem, quam cum diligentius introspexisset, veram esse Lutheri sententiam deprehendit. Cardinalis, etsi errorem hunc suum praetextu quodam verborum studiose excusaret, et nos, excepta religionis autoritate, non multum curaremus, neque quidquam etiam Indulgentiis derogaret, Lutherus tamen, ut vir doctus, illustre spe-

---

a) Dr. Johannes Rüel Jurisconsultus et Consiliarius Electoris Saxoniae, qui cum Philippo de Feilitsch Augustae Vind. Legati Electoris munere fungebatur, conscripsit hanc Brevem Commemorationem.

cimen eruditionis suae praebens, susceptam causam multo dexterius, quam Itali volebant, defendit, id quod domino Philippo a Feilitsch et mihi valde placebat.

Cardinalis postea disputationem, quam Lutherus studio veritatis vehementer expetebat, admittere nolens postulavit, ut hac in parte Lutherus suam Concionem retractaret. Sed hoc Lutherus omnino recusabat, asserens doctrinam suam veram atque Scripturae testimoniis fundatam esse, quod si revocaret, se non modo contra suam conscientiam, sed etiam contra Pontificem facturum, quemadmodum id etiam allegata lex pontificia, cui tantopere Cardinalis inniti videretur, apertissime demonstraret.

Tandem ubi Cardinalis nihil nisi retractationem quaereret, Lutherus eum supplex oravit, ut eiusmodi responsum una cum obtestatione promptissimaque sua voluntate ad Pontificem Maximum transmitteretur, simulque rogans, ne tam duro atque rigido adversus ipsum iudicio sanctitas sua uteretur. Se enim nihil magis spectare, quam ut ipsa veritas palmam obtinere posset. Quod si certis et veris rationibus convinceretur, nequaquam erubescere sese, quominus, in honorem veritatis, errorem suum revocare velit, Cardinalis tamen nihilominus in sua sententia perseveravit.

Nemo praeterea hic est, qui publica disputatione cum Luthero congredi audeat. Monachi ceterique eius adversarii omnes, qui plurima contra ipsum in his Comitiis scripserunt, iam nusquam apparent. Nos ita discessimus a Cardinale, et illo die cum Doctore Staupicio ac D. Luthero coenati sumus. Post haec eodem die Cardinalis ad se Doctorem Staupitz accersi iussit, cui inter alia dixit, se Luthero iam amicissimum esse factum, eique ex animo favere etc. Quid posthac futurum sit, ignoro. Cardinalis quidem vehementer laborat, sed tamen Lutherum in aliam sententiam perducere hactenus nunquam potuit, neque etiam persuadebit unquam, ut revocare velit. Lutherus omnia, quae cum Cardinale sunt acta, publicis literis excudenda tradet. Veritati Dominus opem ferre dignetur.

Acta

R. Patris D. Martini Lutheri Augustiniani apud Dominum Legatum Apostolicum Thomam Caietanum Augustae, Anno M. D. XVIII. in Octobri.

Pio Lectori F. Martinus Lutherius*) S.

Ignosce mihi, carissime lector, quod toties nugis meis horas tibi perdo, facio id multum invitus, dandum rogo putes et hoc necessitati. Placuit in coelo, ut et ego fabula hominum fierem, quod tamen sic me debere Domino confiteor, ut non dubitem totum iis quoque hominibus tribuendum, quibus tanta est aurium pietas, ut suavissima piissimaque veritate offendantur usque ad insanam cordis et oris et operis impietatem.

Vexaverunt iam diu Johannem Reuchlinum secretarium consultorem, vexant nunc me quaestionarium (ut sic dixerim) disputatorem, nec consilia, nec disputationes passuri. Speramus fore deinceps, ut prae otio suo infelicissimo somnia quoque et cogitationes mortalium vexent. Quis enim ab iis Behemoth dentibus securus est, quando eos devorant, qui secrete consulunt, aut aperte doceri tantum petunt? Novum (Deum immortalem) et memorabile crimen voluisse doceri, et quaesivisse veritatem, atque id in ecclesia regnoque veritatis, in qua etiam oportet rationem reddi omnibus poscentibus. Sed haec alias.

Nunc, mi lector, quod ago, tale est, video libellos edi, et rumores varios spargi de actibus meis Augustensibus, quamquam vere nihil ibi egerim, quam quod et tempus et sumptus perdidi, nisi id satis abunde fuerit operis, quod novam audivi linguam latinam, scilicet, quod veritatem docere idem sit, quod ecclesiam perturbare, adulari vero et Christum negare, id est, ecclesiam Christi pacificare et

*) In ed. (Wittenb.) origin.: Luther.

exaltare. Neque enim video, quomodo non tu sis barbarus Romanis, et Romani tibi, si hanc nescieris eloquentiam, etiamsi alias Ciceronis eloquentiam superes.

Igitur ne in alterutram partem vel amici nimio elevent, vel inimici nimio deprimant causam, volo ipse in publicum dare ea quae obiecta mihi, et quae a me responsa fuere, simul vel hoc testimonio notum facturus, me praestitisse satis arduam et abunde fidelem obedientiam Romano pontifici.

Primum, quod pauperculus imbecillisque, pedester tamen tantis itineri et periculis[1]) me dedi, nec iustissimas et honestissimas omnium iudicio absentiae causas apprehendi. Deinde coram eis sisti passus, qui de factione partis adversariae iustissime poterant a me reiici.

Has autem iniquas et difficiles conditiones (quantum nasus olfacit), ideo mihi videntur amici isti adornasse, et omnia praestruxisse, ut non veritatis inquisitionem, sed perditionem meam facillime operarentur, nec adventum meum sperasse, sed contumaciam meam desiderasse videntur, quo latis mox censuris causaque nec audita nec cognita triumpharent. Cuius rei non leve argumentum mihi fuit, quod post adventum meum primo coeptum est quaeri, in quibusnam accusarer. Atque usque hodie sunt in domo Caiphae scripta mea, ubi quaeruntur adversus me falsa testimonia, nec adhuc inventa sunt. Etiam iste (ut video) novus mos novumque ius Romanae curiae coepit, ut Christum prius capiant, deinde quid obiiciant quaerant. Duo tamen mihi, imo unum, quod speciem haberet, obiectum est, commentum Extravagantis, ut videbis statim.

Igitur ne et Illustrissimum Principem Electorem Fridericum Ducem Saxoniae etc. frustra pro me laborasse permitterem (clementissime enim me et sumptu et epistolis commendatitiis providit, atque

---

1) In ed. Jen.: tam longo itineri tantisque periculis.

ut causa ex urbe committeretur, gratiosissime iam antea laboraverat) veni Augustam susceptusque fui a Reverendissimo D. Cardinale Legato satis clementer, ac prope reverentius (vir enim est omnibus nominibus alius, quam hi Fratrum venatores robustissimi).

Hic ubi se nolle mecum disputare dixisset, sed suaviter et paterne rem componere, tria mihi de mandato domini papae (ut asserebat) facienda proposuit,

Primum[1]), ad cor redirem erratusque meos revocarem,

Deinde, promitterem in futurum abstinere ab eisdem,

Tertio, et ab omnibus, quibus Ecclesia perturbari possit.

Ego, qui talia etiam Vuitembergae sine periculis, sine labore tanto, me facere potuisse videbam, nec in Augusta mihi fuisse quaerenda, mox peti doceri, in quibus errassem, me non esse mihi conscium ullius erroris. Tunc protulit Extravagantem Clementis VI., quae incipit: Unigenitus etc., quod contra eam asseruissem Propositione 58: Non esse merita Christi indulgentiarum thesaurum. Urgebat itaque, ut revocarem, instabatque cum fiducia, certissimus de victoria, confidebat enim atque adeo securus praesumebat, me non vidisse Extravagantem, fretus fortasse[2]) eo, quod non omnes codices eam habent.

Secundo obiecit, quod propositione 7. inter declarandum docueram, Necessariam esse fidem accessuro ad sacramentum, aut in iudicium accessurum. Hanc enim novam et erroneam doctrinam putari voluit, sed potius incertum esse omnem accedentem, gratiam consequeretur, necne. Faciebatque hac fiducia sua, praesertim arridentibus et pro more suo cachinnantibus Italis ceteris familiaribus suis, ut victo similis viderer.

---

1) In ed. orig. (Wittenb.) intersertum legitur: ut.
2) Ibid.: fortassis.

Respondi tunc, Mihi non solum istam Clementis esse diligenter visam, sed et alteram eius aemulam et analogam Sixti quarti (vere enim legeram utrasque una cum verbosissimo et qui fidem illarum merito derogaret apparatu, tanta est refertus inscitia), verum non habuisse eam apud me satis autoritatis, cum aliis multis, tum ea maxime causa, quod scripturis sanctis abutitur, et verba (si modo sensus usitatus subsistere debet) audacius torquet in alienum sensum, quem suo loco non habent, imo contrarium habent. Ideo scripturas, quas ego in propositione mea sequor, esse ei praeferendas omnino, ac nihil inde probari, sed recitari duntaxat ac narrari opinionem S. Thomae.

Tunc coepit adversus me potestatem papae commendare, quoniam supra concilium, supra scripturam, supra omnia ecclesiae sit. Et ut illud[1]) persuaderet, reprobationem et abrogationem concilii Basiliensis recitavit, ac Gersonistas quoque una cum Gersone damnandos censuit.

Haec ut erant nova in auribus meis, negavi contra, papam supra concilium, supra scripturam esse. Deinde et universitatis Parrhisiensis appellationem commendavi, multaque confusa interlocutione de poenitentia, de gratia Dei miscebamus. Nam alteram illam obiectionem cum dolore audivi, nihil enim minus timuissem, quam hanc rem in dubium vocandam aliquando. Ita in nulla propemodum re conveniebamus. Sed ut altera alteram inveniebat (ut fit), ita semper nova surgebat contradictio.

Cum autem viderem ista contentione nihil agi, nisi multa inchoari, et nulla consummari, ac iam vere nos nihil nisi multas Extravagantes comminisci, praesertim cum ille (ut vice pontificis summi) nollet cessisse videri, petii, ut tempus daret deliberandi.

Altera die, praesentibus quatuor Caesareae Maiestatis senatoribus, adductis notario et testibus, protestabar proprie et personaliter, legens coram

1) Ibid.: id.

reverendissimo D. Legato in hunc qui sequitur modum.

In primis ego Frater Martinus Lutherius[1]) Augustinianus protestor me colere et sequi sanctam Romanam ecclesiam in omnibus meis dictis et factis praesentibus, praeteritis et futuris. Quod si quid contra vel aliter dictum fuit vel fuerit, pro non dicto haberi et habere volo.

Verum ex quo reverendissimus Dominus etc. mihi de mandato papae, ut asserebat, proposuit et exegit, ut super disputatione, quam de indulgentiis habui, tria haec facerem:

Primum, redirem in mei cognitionem et errorem revocarem,

Secundum, cautelam praestarem de futuro non repetendis,

Tertium, promitterem abstinere ab omnibus, quae ecclesiam Dei perturbarent.

Ego qui disputavi et veritatem quaesivi, quaerendo delinquere non potui, multo minus ad revocationem compelli, non auditus neque convictus. Hodie protestor me non esse mihi conscium aliquid dixisse, quod sit contra sacram scripturam, ecclesiasticos patres, aut decretales pontificum, aut rectam rationem, sed omnia quae dixi hodie quoque mihi sana, vera, catholica esse videntur.

Nihilominus tamen sum homo, potens errare, submisi me et etiam nunc submitto iudicio et determinationi legitimae sanctae ecclesiae, et omnibus melius sentientibus.

Tamen ad superabundantiam offero me personaliter hic vel alibi, etiam in publico reddere rationem dictorum meorum. Quod si hoc non placet reverendissimo Domino etc., paratus sum vel in scriptis, suis obiectionibus, si quas contra me producere destinaverit, respondere, et super illis audire iudicium et sententiam doctorum insignium universitatum imperialium, Basiliensis, Friburgensis, Lovaniensis, aut si nec id satis est, etiam Parrhisiensis,

1) In ed. orig. (Witt.) : Luther.

studiorum parentis et ab antiquo semper Christianissimae ac in theologia florentissimae universitatis.

Quo facto repetiit disputationem hesternam de obiectione priore, illa enim multam speciem pro sua sententia visa est habere. Me vero tacente et iuxta protestationem in scriptis respondere promittente, rursus satis confidebat, tandem admissa scriptili responsione abitum est. Tenor et textus responsionis est iste:

Reverendissimo

in Christo Patri et Domino, Domino Thomae, Tit. S. Sixti Cardinali, sanctae sedis apostolicae Legato etc. F. Martinus Lutherius[1]) Augustinianus S.

Quam non detrectem respondere libensque velim rationem reddere de singulis specialibusque meis dictis, reverendissime in Christo Pater, ut obiectionibus satisfaciam, quas heri et nudius mihi obiectas memini, hac volui epistola humiliter protestari. Nam duo sunt, quae mihi sunt P. T. R.[2]) obiecta. Primum Extravagans illa Clemen. VI. quae incipit: Unigenitus etc., in qua thesaurus indulgentiarum asseri videtur esse merita Christi et Sanctorum, quod ego in positionibus meis videor negare.

Respondeo itaque: Non fuit mihi incognita Extravagans illa, cum istas meditationes meas meditabar, sed cum certissimus essem unamque totius ecclesiae sententiam esse scirem, merita Christi in spiritu non posse committi hominibus, nec tradi per homines aut ab hominibus, sicut tamen Extravagans ista sonare videbatur, volui intactam relinquere, aliisque ingeniis melioribus committere magnas illas molestias et angustias, quas pro tuenda papae reverentia patiebar.

Occurrebat enim et movebat primo, quod nuda essent verba pontificis, et adversus contentiosum vel

1) In ed. orig. (Witt.): Luther. 2) In ed. Jen.: a Pat. tua Reve.

haereticorum invalidum praesidium, deinde, si quis diceret, turpe esse, principem loqui sine lege, et iuxta Zachariam, non verba hominis, sed legem Dei requirendam ex ore sacerdotis, item, quod verba scripturae torquet, et in alienum sensum eis abutitur, nam quae de gratia iustificante dicta sunt, ad indulgentias trahit, quo videbatur magis narrare, et magis opinione quadam pia exhortari, quam solida demonstratione aliquid probare,

Vexabat etiam, quod fieri posse constat, Decretales aliquando erroneas esse, et contra sacras literas et caritatem militare. Nam licet Decretales Rom. pontifi. tanquam vocem Petri oportet audire, ut dicitur dist. 19, tamen hoc ipsum intelligitur de iis solum (ut dicitur ibidem), quae consonae sunt sacrae scripturae, et a prioribus patrum decretis non dissentiunt.

Accessit ad hoc, quod de facto Petrus non incedens ad veritatem evangelii reprehensus est a Paulo, Gala. 2. Ideo non mirum videri, si successor eius in aliquo defecerit, quandoquidem et Acto. 15. doctrina Petri non fuit suscepta, donec accederet et approbatio Jacobi minoris, episcopi Hierosolymitani, et totius ecclesiae consensus, unde fluxisse videtur id iuris dogma, legem tunc firmari, quando utentium moribus approbatur.

Praeterea, quam multae Decretales priores correctae sunt per posteriores. Ideoque et hanc forte pro tempore suo corrigi posse. Panormitanus quoque lib. 1. de elect. c. Significasti, ostendit, in materia fidei non modo generale concilium esse super papam, sed etiam quemlibet fidelem, si melioribus nitatur autoritate et ratione, quam papa, sicut Petro Paulus Gal. 2. Quod et illo 1. Cor. 14. confirmatur, Si fuerit alteri sedenti revelatum, prior taceat. Ideo sic vocem Petri esse audiendam, ut tamen liberior sit vox Pauli eum redarguentis, porro omnium superior vox Christi.

Maxime vero laborabam, quod eadem Extravagans manifestissime mihi apparebat falsa quaedam continere. Primo, quod dicit merita sanctorum esse

thesaurum, cum tota scriptura dicat, Deum ultra condignum praemiare, ut Rom. 8: Non sunt condignae passiones huius temporis etc. Et B. Augustinus lib. 1. retract. 19: Tota ecclesia usque in finem mundi orat: Dimitte nobis debita nostra. Ergo non superfluere aliis posse, quae nec sibi sufficerent. Inde virgines sapientes *) noluerunt oleum communicare insipientibus. Et B. Augustinus lib. 9. Confessionum: Vae hominum vitae, quantumcunque laudabili, si remota misericordia iudicetur. Et propheta**): Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ideo sancti non suis meritis, sed sola Dei misericordia salvi fiunt, ut latius dixi in Resolutionibus.

Ego vero non eram tam insigni temeritate, ut propter unam decretalem pontificis hominis, tam ambiguam et obscuram, recederem a tot et tantis divinis scripturae testimoniis apertissimis, quin potius arbitrabar quam rectissime, verba scripturae, quibus sancti describuntur deficere in meritis, incomparabiliter praeferenda verbis humanis, quibus scribuntur abundare, cum papa non super, sed sub verbo Dei sit, iuxta illud Gala. 1: Si angelus de coelo aliud vobis evangelizaverit, quam accepistis, anathema sit. Jam illud quoque nonnihil erat, quod Petro hunc commissum thesaurum dicit, de quo nihil constat nec in evangelio, nec ulla scriptura.

His perturbatus molestiis, ut dixi, consilium mihi fuit quiescere et alios audire, cum positiones meas verissimas usque hodie quoque viderem. Nunc vero, cum urgeor ipse tentare, quod ab aliis, maxime a summo pontifice exspectare debueram, cuius solius est declarare ea, quae condidit, tamen pro viribus ingenii et gratia Dei conabor pro tutela sincerissimae veritatis positiones meas cum Extravagante concordare, utrasque servando in veritate.

Primum, supponendo, quod indulgentiae prorsus nihil sunt (metaphysice loquendo), quia certum est, eas esse aliud nihil, quam remissiones satisfactionis,

*) Matth. 25. **) Psal. 143.

id est, bonorum operum, eleemosynae, ieiunii, orationis etc. Ideoque certum est, eas esse bonum privativum, dum permittunt non solvi poenas debitas, aut non fieri labores operum. Quare necessario thesaurus hoc loco impropriissime accipitur, quia nihil confertur positive, sed permittitur, ut nihil solvatur.

Secundo, certo certius est, quod hunc thesaurum papa non habet velut in loculo vel cista, sed in verbo vel clavibus, vel potestate, quia erogando non cistam, sed voluntatem et verbum aperit, et sic donat.

Tertio, ideo sequitur, quod thesaurus indulgentiarum sunt merita Christi non formaliter, nec proprie, sed effective et improprie, quia papa non dat merita Christi formaliter, sed de merito Christi, id est, per claves, quas meruit dari ecclesiae suae, quia in virtute clavium est, ut remittatur satisfactio, et sic patet, quod recte dixi conclusione 60., thesaurum hunc esse claves ecclesiae merito Christi donatas. Et hoc sensu verum est, merita Christi esse thesaurum indulgentiarum, scilicet improprie thesaurum et meritum Christi accipiendo. Patet ergo concordantia Extravagantis cum mea positione.

Quarto, hanc esse mentem papae in ista Extravagante, probant ipsa verba papae, ubi dicit, hunc thesaurum Petro et successoribus suis a Christo commissum. Sed constat et certum est, nihil Petro commissum praeter has claves regni coelorum, quae sunt merita Christi (id est, de merito Christi donatae) improprie et effective, ut dixi, et alterum verbi thesaurum, de quo dicit: Pasce, pasce, pasce oves meas.

Quinto, hanc autem thesauri indulgentiarum intelligentiam certum est esse incognitam apud populum Christi et innominatam, ut dicit conclusio 56, quia vere [1] non dicuntur nisi impropria et obscura illa nomina, thesaurus, merita Christi etc. Ideo fere credunt, sese bonum aliquod proprium et positivum consequi, sicut donum aliquod aut gratiam,

1) In ed. princ. et Basil. et Wittenb.: fere.

cum tamen non consequantur nisi ministerium clavium, quo solvuntur, ne satisfaciant pro peccatis, ac sic privativum bonum accipiunt et improprium thesaurum. Et ille est inexhaustus et infinitus, quia virtus clavium est inexhausta, quae in merito Christi immediate nititur, indulgentiae vero mediate. Ac ideo potest etiam dici, merita Christi esse thesaurum indulgentiarum mediate.

Sexto, similiter admitterem etiam, merita Sanctorum esse hunc thesaurum, scilicet improprie, id est, quod merita Sanctorum per fidem Christi incorporata et unum cum eis facta iam idem sint et faciant quod merita Christi, iuxta illud, quod vita iusti non est ipsius, sed Christi in eo viventis, Gala. 2: Vivo ego, non ego, vivit vero in me Christus. Nam merita Sanctorum, ut Sanctorum, nihil essent et damnabilia, ut supra dixi, ut B. Augustinus: Ubi non ego, ibi felicius ego, quia Christus et ecclesia sunt duo in carne una.

Septimo, verissimum tamen est, merita Christi non esse thesaurum indulgentiarum positive, proprie et immediate, ut aliquid conferant, sicut intelligunt rudiores, quia, quando conferunt donum positivum, faciunt id, non ut indulgentiae thesaurus, sed ut gratiae vitalis thesaurus, tunc enim formaliter proprie et[1]) immediate donantur sine clavibus, sine indulgentiis a solo spiritu sancto, non autem unquam a papa, quia per caritatem homo fit unus spiritus cum Christo, ideo participat omnibus bonis eius. Et hoc est, quod mea conclusio 58. dicit: Nec sunt merita Christi, quia haec sine papa operantur gratiam hominis interioris.

Breviter itaque patet, quod merita Christi necesse est dupliciter accipi, si salva debet Extravagans consistere. Uno modo proprie et formaliter, et sic sunt thesaurus vitae spiritus, et propriissime a solo spiritu sancto distributus, cui voluerit.

Alio modo improprie et effective et literaliter pro eo quod meritis Christi effectum est, et sicut

---

1) In ed. orig. (Wittenb.) deest: et.

Extravagans improprie inducit scripturas, ita etiam improprie [1]) thesaurum, improprie merita Christi, et omnia improprie accipit. Quo factum est, ut esset ambigua, obscura et occasio iustissima disputandi, ego autem proprie loquutus sum in meis positionibus. Qui habet, det meliora, et revocabo ista, non enim meum est interpretari canones pontificum, sed meis positionibus adesse, ne contra canones pugnare videantur, exspectans humiliter, si alia fuerit mens papae demum declarata, paratus eidem parere.

Haec omnia tamen dicta volo pro reverentia sedis apostolicae et reverendissimi domini Cardinalis etc. Nam si legitima et libera agendum mihi est sententia, contendo et probo eandem Extravagantem esse proprie, directe, aperte pro me meaque conclusione, et contra sententiam reverendissimi domini Card., quia textus expresse dicit, quod Christus thesaurum hunc acquisivit ecclesiae etc. Hoc verbum: acquisivit, evidenter convincit [2]) atque concludit irrefragabiliter, aliud esse merita Christi, quibus acquisivit et aliud thesaurum, quem acquisivit, quia aliud est causa, et aliud effectus, ut etiam philosophi dicunt. Ideo conclusio mea stat invicta, quod merita Christi non sunt thesaurus indulgentiarum, sed acquisierunt eum. Nihilominus tamen etiam haec ipsa submitto iudicio ecclesiae, ut supra.

Obiectio altera est, quod in conclusione mea septima declaranda dixi: Neminem iustificari posse, nisi per fidem, sic scilicet, ut necesse sit et cum certa fide credere, sese iustificari, et nullo modo dubitare, quod gratiam consequatur. Si enim dubitat et incertus est, iam non iustificatur, sed evomit gratiam. Hanc theologiam novam videri putant [3]) et erroneam.

Ad quam [4]) respondeo:

Primum, infallibilis est veritas, quod nullus est

1) In ed. utraque princ.: proprie. 2) Ibid.: convicit.
3) In ed. orig. (Witt.): putat. 4) Ibid.: Ad quod.

iustus, nisi qui credit in Deum, Roma. 1: Iustus ex fide vivit. Ideo quicunque non crediderit, iam iudicatus et mortuus est, igitur iustitia iusti, et vita eius est fides eius. Quare omnia [1]) opera fidelis viva sunt, et omnia opera infidelis mortua, mala et damnabilia, iuxta illud: Non potest arbor mala fructus bonos facere. Arbor autem, quae non facit fructus bonos, excidetur, et in ignem mittetur.

Secundo, fides autem est nihil aliud quam illud, quod Deus promittit aut dicit, credere, sic [2]) Roma. 4: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Ideo verbum et fides necessario simul sunt, et sine verbo impossibile est esse fidem, Isa. [3]) 55: Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.

Tertio, nunc probandum est, quod accessuro ad sacramentum necessarium sit credere, sese gratiam consequi, et in hoc non dubitare, sed certissima fiducia confidere, aut [4]) in iudicium accedit.

Primo per illud apostoli ad [5]) Ebrae. 11: Oportet accedentem credere, quod Deus est [6]) et quod [7]) remunerator est. Omnino etiam oportet credere iustificatorem et gratiae largitorem in praesenti, sine qua praemium non largietur.

Secundo necessarium est sub periculo aeternae damnationis, et peccato [8]) infidelitatis credere his verbis Christi: Quodcunque solveris super terram, solutum erit [9]) in coelis. Ideo si accedas ad sacramentum poenitentiae, et non credideris firmiter tete absolvendum in coelo, in iudicium accedis et damnationem, quia non credis Christum vera dixisse:

---

1) Ibid.: et omnia. 2) Ibid.: sicut. 3) Ibid.: ut Isa. 4) Ibid.: alioquin. 5) Ibid. deest: ad. 6) Ibid.: quia Deus sit. 7) In ed. Jen. et in ed. orig. (Wittemb.) sic pergitur: et quod inquirentibus se remunerator est. Hic patet, quod non licet dubitare, sed firmiter oportet credere, quod Deus sese inquirentes remuneret. Quod si oportet credere remuneratorem, omnino oportet etiam credere iustificatorem et gratiae largitorem in praesenti, sine qua praemium non donatur. Secundo etc. 8) In ed. orig. (Wittemb.): peccati. 9) Ibid.: et in coelis.

Quodcunque solveris etc.: et sic tua dubitatione Christum mendacem facis, quod est horrendum peccatum.

Si autem dixeris: Quid si sim indignus et indispositus ad sacramentum? Respondeo ut supra: Per nullam dispositionem efficeris dignus, per nulla opera aptus ad sacramentum, sed per solam fidem; quia sola fides verbi Christi iustificat, vivificat, dignificat, praeparat, sine qua omnia alia vel sunt praesumptionis vel desperationis studia. Iustus enim non ex dispositione sua, sed ex fide vivit. Quare de indignitate tua nihil oportet dubitare, ideo enim accedis, quia indignus es, ut dignus fias, et iustificeris ab eo, qui peccatores et non iustos quaerit salvos facere. Dum autem credis verbo Christi, iam honoras verbum eius, et ex eo opere iustus es [1]).

Tertio, hanc fidem multipliciter [2]) commendavit in Evangelio. Primo quando mulieri Cananaeae dixit*): O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut credidisti. Hic patet, quod non de fide illa generali agitur, sed de speciali illa [3]), quae erat de effectu sanandae filiae, quem mater petiit. Hunc enim effectum ipsa fortiter credidit posse et velle Christum efficere, et sic impetravit. Nunquam autem impetrasset, nisi ita credidisset. Ergo ad hunc effectum nulla dispositione, sed sola fide digna facta est.

Secundo, quando ad caecos illos dixit**): Creditis, quia possum hoc vobis facere? Et illi: Utique. Ait: Sicut credidistis, fiat vobis. Ecce certi erant, quod fieret, quod petebant, ideo et factum est, sine omni alia dispositione. Si autem dubitassent futurum, nec petissent bene, nec accepissent.

Tertio, centurio ille***): Dic tantum verbum [4]), inquit, et sanabitur puer meus. Non utique generali fide, sed speciali de praesenti effectu credidit et impetravit.

---

1) Ibid. additum: etc. 2) Ibid. additum: nobis. 3) Ibid. deest: illa. 4) Ibid.: verbo.

*) Matth. 15. **) Matth. 9. ***) Matth. 8.

Quarto Johan. 4. [1]) regulus ille credidit sermoni, quem dixit illi Jesus, scilicet: Vade, filius tuus vivit. En ipsa fide meruit vitam filii. Ita certe oportet animum [2]) accedentem credere, sese consecuturum, quod quaerit, aut nihil consequitur.

Quinto illud Marci *): Amen dico vobis, quidquid orantes petieritis, credite quia accipietis, et fiet vobis. Ecce dicit: Quidquid, nihil excipiendo. Patet autem, quod in sacramento quolibet petimus aliquid (nemo enim sacramentum accedit, nisi gratiam petiturus), ideo hic audiendus est Christus dicens: Credite, quod accipietis, et fiet vobis, alioqui omnia nutarent in ecclesia, et nihil certi [3]) constaret, quod est absurdissimum.

Sexto illud: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, et dixeritis monti huic **): Transi hinc, et non haesitaveritis in cordibus vestris, amen dico vobis, fiet. Et si totum evangelium percurras, invenies exempla alia multa, quae omnia non de fide generali, sed de fide particulari [4]), et quae ad effectum aliquem praesentem pertinere dicuntur [5]). Quare necessaria est fides certa absolvendo, cum sacramenta novae legis iuxta magistrum sint in exercitium et actuationem fidei nostrae instituta.

Septimo, hinc enim discipulos et Petrum saepe arguit dominus ***), quod essent modicae fidei, non generalis illius [6]), ut dicitur, sed specialis de effectu praesenti, ut patet.

Octavo, Jacobus cap. 1: Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, postulet autem in fide, nihil haesitans, nam qui haesitat, similis est fluctui maris, qui vento movetur, non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Deo. Ista est certe evidentissima autoritas, etiam cogens me ad hanc sententiam, quod gratiam aut sapientiam nullus accipere

---

1) Ibid: 10. 2) Ibidem: omnem. 3) Ibid.: certe. 4) Ibid.: sed particulari. 5) Ibid.: et quae ad effectum aliquem pertineant, dicuntur. 6) Ibid. deest: illius.
*) Marci 11. **) Matth. 17. ***) Matth. 14.

potest, qui dubitet[1] sese accepturum, nec video, quid ad eam responderi possit.

Nono, B. Virgo nunquam concepisset filium Dei, nisi angelo nunciante credidisset ita futurum[2], ut diceret *): Fiat mihi secundum verbum tuum, sicut praedicat Elisabeth: Beata, quae credidisti, quia perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino. Unde fidem eius miratur divus Bernardus et universa ecclesia. Sic[3] Samuelis mater, Anna, postquam credidit verbo Eli, abiit, et vultus eius non est amplius in diversa mutatus. Contra filii Israel, quia non crediderunt verbo promittentis terram Canaan, in deserto prostrati sunt.

Et breviter, quidquid illustre factum legimus in veteri et nova lege, fide factum esse legimus, non operibus, nec fide generali, sed particulari, ad[4] praesentem effectum destinata. Inde nihil aliud in scriptura, quam fides commendatur, praesertim Abrahae, Rom. 4, quae tamen fuit in filium nascitarum Isaac, et nihilominus est ei in iustitiam reputata. Sic et nobis in sacramentis fiet, si credimus, consequimur, si non credimus, in iudicium accedimus.

Decimo, B.[5] Augustinus super Johannem: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, non quia fit, sed quia credidit[6]. Ecce baptismus abluit, non quia fit, sed quia creditur abluere. Inde et Mariam absolvens dicit **): Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Inde illud dictum commune: Non sacramentum fidei, sed fides sacramenti iustificat, sine qua impossibile est, ut pax sit in conscientia rei[7], ut Roma. 5: Justificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum.

Undecimo, Bernardus[8] Sermone de Annuncia.

---

1) In ed. orig. (Wittenb.): dubitat. 2) Ibid. deest: futurum. 3) Ibid.: Sicut. 4) Ibid.: sed fide ad praesentem etc. 5) Ibid.: sic B. 6) Ibid.: creditur. 7) Ibid.: ut sit pax in conscientia, ut etc. 8) Ibid.: Et Bernardus.

*) Lucae 1. **) Lucae 7.

1: Necesse est enim primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde adhuc, ut credas et hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur, hoc est testimonium, quod perhibet spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur apostolus *) gratis iustificari hominem per fidem. Haec ille. Istae et multae aliae autoritates tam expresse, tam copiose cogunt, captivant, ducunt [1]) me in sententiam, quam dixi.

Quare reverendissime in Christo Pater, cum divino munere venis [2]) insignibus dotibus, praesertim iudicii acrimonia donatus, rogo humiliter, Reverendiss. tua Paternit. dignetur clementissime mecum agere, et conscientiae meae compati, ac demonstrare lucem, qua possim haec aliter intelligere, et non cogere ad revocationem eorum, quae etiam teste conscientia non alia duco, quam ea, quibus me necesse sit consentire. Et stantibus his autoritatibus aliud facere non possum, nisi quod obediendum Deo [3]) magis quam hominibus scio.

Velitque Reverendiss. Paterni. tua apud sanctissimum dominum nostrum Leonem X. pro me intercedere, ne tanta rigoris inclementia in me promoveatur [4]), ut in tenebras proiiciat animam quaerentem non nisi lucem veritatis et paratissimam cedere, mutare, revocare omnia, ubi aliter intelligenda esse edocta fuerit. Nec tam arrogans et vanae gloriae studiosus sum, ut hac causa pudeam revocare male dicta, imo gaudium meum primum fuerit victricem fieri veritatem [5]), solum ne quid contra conscientiae meae sensum tentare cogar, nam sine omni scrupulo hanc esse scripturarum sententiam credo. Dominus Jesus regat et servet reverendissimam Paternitatem tuam in aeternum, Amen.

---

1) Ibid.: ducunt, cogunt, captivant. 2) Ibid.: quando divino munere es unus. 3) Ibid.: esse Deo. 4) Ibid.: permoveatur. 5) In ed. princ. (Basil.): veritatis.

*) Roman. 3.

Quae [1]) cum altera die obtulissem, primo contempsit et verba esse, missurum tamen ea ad Urbem sese dixit, interim ad revocationem urgebat, intentans censuras sibi demandatas, ac nisi revocarem, abirem, et non redirem in conspectum suum.

Quo audito, cum viderem eum esse firmatum in proposito, nec vellet audire scripturas, ego quoque firmassem propositum non revocandi, abii sine spe redeundi. Nam quamquam dixit, et etiam nunc glorietur, sese paterne, non iudicialiter mecum acturum, non intellexi tamen hanc paternitatem, nisi omni iudicio rigidiorem esse, ut quae non nisi revocationem contra conscientiam exigeret, nec saltem vellet aut posset potius ostendere et convincere errorem. Nam cum vidisset a me reiici scholasticorum opinatorum commenta, promisit quidem se acturum contra me sacra Scriptura et Canonibus, quod quomodo intellexerit, iterum ignoro. Nullam enim syllabam ex sacris literis contra me produxit unquam, nec usque hodie, si quam maxime vellet, posset, cum uno omnium consensu firmatum sit, nihil de indulgentiis in sacris literis haberi, quae potius non nisi fidem commendant et tam vacuae sunt indulgentiarum memoria, quam plenae sunt fidei eruditione, ut impossibile sit, utrum illorum articulorum posse convelli per ipsum.

Ubi vero ego scripturas pro me attuli, coepit homo, paterne agens, de corde suo mihi fingere glossas. Et qui tam vigilanter Extravagantem contra me observarat, satis pulchre dissimulabat canonem illum, quo prohibet ecclesia, ne quis proprio ingenio scripturas interpretetur, et iuxta Hilarium, non afferendas, sed referendas esse ex sacris literis

---

1) Quae adhinc sequuntur usque ad epist. Lutheri ad Card. Caietanum datam, quae incipit: Iterum venio etc., leguntur in ed. Jen., in ed. princ. non item; nos textum reddidimus secundum edit. Lucubrationum D. Mart. Luth. Part. I. Basileae apud Adam Petri. 1520, quacum contulimus edit. princ.: Acta. F. Martini Luther August: apud. D. Legatū Apticū Augustae.

intelligentias. Nec tamen hanc violentiam eius aegre tuli, sciens eam facultatem interpretandi ex longa romanae curiae consuetudine et scholasticorum distinctorum usu sibi praesumptam. Creditum est enim iamdiu, quod quidquid Romana ecclesia dixerit, damnarit, voluerit, id mox omnibus dicendum, damnandum, volendum esse, nec aliam reddi rationem oportere, quam quia sic sedes apostolica et Romana ecclesia sentit. Hinc relictis sacris literis et acceptis traditionibus verbisque hominum factum est, ut ecclesia Christi non mensura tritici pascatur, nec verbo Christi, sed non raro temeritate et voluntate alicuius indoctissimi adulatoris regatur, et eo profecerit nostrae infelicitatis magnitudo, ut ad revocationem et abnegationem fidei Christianae et sacratissimae Scripturae incipiant compellere.

Porro, si iste est modus revocandi, nihil video futurum, quam ut praecedentem revocationem, sequente alia, sine fine revocem. Nam si qua industria suum ipsius dictum in eum ipsum retorsero, cito aliud cordis sui idolum mihi fingeret (est enim mire fecunda distinctionibus Thomistica theologia, ac vere Proteus quidam), cui necesse esset denuo revocando obedire. Cum enim non in soliditate petrae, sed in arena cogitationum suarum vagetur, nihil aliud quam perpetuum revocandi negotium mihi incumberet.

Igitur accepto mandato non redeundi, mansi tamen eodem die in loco, tum vocato reverendo et optimo Patre meo Johanne Stupicio, Vicario, egisse dicitur multis, ut ad revocationem inducerer spontaneam. Mansi et sequente die, et nihil mandabatur. Tertia die, scilicet Dominica, mansi, et literas dedi, nec aliquid respondebatur. Quarta die mansi, et nihil fiebat. Idem silentium quinta die passus, tandem consulentibus amicis, praesertim cum antea iactasset sese habere mandatum, ut et me et Vicarium incarceraret, disposita appellatione affigenda recessi, sat periculosam obedientiam me praestitisse arbitratus.

M. L. Pio Lectori[1]).

Nunc, mi lector, tu mihi conveniendus es. Posteriorem illam [2]) responsionem meam etsi cum multa reverentia dedi ac velut in arbitrium summi pontificis reposui, non tamen id me fecisse credas, quod de re ipsa dubitem, aut animi sententiam sim unquam mutaturus. Veritas divina est etiam domina papae, non enim iudicium hominis exspecto, ubi divinum iudicium cognovi, sed quia oportuit reverentiam servare ei, qui vice summi pontificis fungebatur, tum quod etiam verissime dicta oporteat cum humilitate et timore asserere et tueri.

Priorem vero nihil refert utut acceperis, nam in ipsa nullum periculum est, stet sive cadat, nec indulgentiis quippiam accedit, si ficta ac falsa fuerit, nec quidquam decedit, si vicerit veraque fuerit. Nec ad rem ipsam multum pertinet, nisi quod per eius ingressum subdole totius disputationis calumnia quaeritur. Nam si superbius voluissem agere, non potuissem ad unum verbum cogi, cum tota disputatio iam sit dedicata et oblata pontifici, ita ut ad me amplius nihil pertineat, nisi exspectare sententiam. In posteriore vero responsione certe summa pendet salutis. Non es malus Christianus, sive scias, sive ignores Extravagantem, non es autem nisi haereticus, si neges fidem verbi Christi. Quid hic premam et taceam, credo te sentire, optime lector, non sine gemitu.

Unum tamen te latere non volo, hac disputatione nihil quaeri, quam sincerae [3]) scripturae intelligentiam, quam nobis in multis locis sacra illa, ut vocant, Decreta, si non corrumpunt, certe verbis detortis ac male tractatis obscurant, et velut obducta nube purissimum solem tegunt. De quo aliquando latius, si aliquis mihi Romanus adulator obstrepuerit, praestabo Deo propitio quendam Juristo-

1) In ed. origin. (Witt.) desunt verba: M. L. Pio Lectori. 2) Ibid.: istam. 3) Ibid.: sinceram.

theologum, sed qui parum sit placiturus, praesertim Romanae curiae adulatoribus, iamdudum enim gestit animus ludere bellum, quod gessit Josue adversus[1]) Aitas *). Interim hunc gustum tibi praelibo, quod conclusio mea vere est contra Extravagantem illam, ideo falsa et erronea, et revocanda. Quare et revoco eam solenniter in his scriptis, damnatamque a me ipso pronuncio, profiteor denique, quod ita posita est a me et usque hodie placet ipsa, atque si posita non esset, adhuc ponerem.

Secundo reprobo, damno, detestorque Extravagantem illam, tanquam falsam et erroneam, meritoque reprobandam, profiteorque bonum fuisse, eam aliis verbis positam esse, non quod sit falsa in suo sensu, sed quod in theologico sensu errat, cuius verba inducit contra sententiam textus apertissimam.

Ecce revocationem, iam satisfeci, etiam adversariis, spero. Quid? insanum me putas, lector, aut ebrium censes? Nón insanio, sed sobrietatis verba loquor. Quod ut ostendam etiam crassissimae ruditati, clarum faciam, solere scilicet pontifices vim facere sacris literis in suis decretis. Nam reverendissimus dominus Legatus omnium impatientissime tulit, quod nec papae sanctitati pepercerim (sic enim scribit ad Illustrissimum Principem Fridericum etc.) et relatione indigna dixerim, quod papam torquere et abuti scripturis dixerim, nitendum itaque mihi est, ut non possit negare, vim scripturae aliquando factam.

Primo, dicit Decretalis de consti. Translato sacerdotio, necesse est, ut translatio legis fiat. Haec apostoli verba sunt ad Ebraeos dicentis, Temporale sacerdotium legis finitum et abrogatum succedente sacerdotio aeterno Christi. Haec est germana[2]) et genuina sententia istorum verborum. At Decretalis huius sententia est haec, sacerdotium Christi est

1) Ibid.: adversus Haiitas. 2) In ed. orig. (Witt.): germina.

*) Jud. 7.

translatum a Mose in Christum, et a Christo in Petrum. Sic enim interpretantur iuristae, et pontifex permittit seu approbat.

Quis autem non videt alienam hanc tortamque et abusivissimam esse verborum intelligentiam? imo prorsus talem, quae nisi multo sudore moderetur, simul et indoctissima et impiissima sit. Impiissimum est enim dicere, sacerdotium et legem Christi esse abrogata et finita, ut Petrus sacerdos et legislator amoto Christo sit. Id enim significat proprie verbum apostoli, translatio. Nolo Petrum aut Paulum sacerdotium [1]) habere, quoniam et ipse peccator est, non habens, neque quod pro me, neque quod pro se offerat, ut interim taceam foedissimam arrogantiam, quam talis olet intelligentia, scilicet in solum Petrum a Christo fuisse translatum sacerdotium Christi, quasi ceteri apostoli remanserint laici, aut a Petro ordinati fuerint sacerdotes et apostoli.

Igitur, si nunc posuero hanc propositionem, sacerdotium Christi nec in Petrum, nec in papam translatum est; et reverendissimus dominus Legatus [2]) mihi hanc Decretalem opposuerit cum gestu et tonitru maiestatis suae, et urgeat me ad revocationem, et ego responderim, papam ibi torquere scripturas] et abuti verbis eius, meam autem conclusionem esse veram in theologico sensu, decretalem autem forte in aliquo alio abusivo, putas me debere formidare minas verbi humani, quibus terreor, quasi indignum relatu dixerim et sanctitati papae non pepercerim? Honorabo sanctitatem papae, sed adorabo sanctitatem Christi et veritatis.

Item, si illud Matth. 16: Tu es Petrus, et tibi dabo claves regni coelorum, quodcunque solveris etc. tractarem vel in scholis, vel in suggesto, et ponerem hanc propositionem: Istis verbis non potest probari, Romanam ecclesiam esse ceteris per totum orbem ecclesiis praelatam, et mihi reverendus dominus Legatus [2]) opposuerit (credo cum commotione prae relati indignitate) distin. 21, ubi Pelagius

1) Ibid.: sacerdotem. 2) Ibid.: R. D. L.

papa tanta voce clamat, non synodicis decretis, sed evangelica voce (bene voce, sed non sensu) Romanam ecclesiam esse ceteris ecclesiis praelatam, et ad id inducat hunc Matthaei apostoli locum, credisne me relicturum evangelicum sensum, et non nisi Pelagii sensum amplexurum, qui vocem, non sensum evangelii sese iactat sequi?

Non quod novam monarchiam nostri seculi Romanorum damnem aut negem, sed quod vim scripturae verbis fieri nolim, et insulsissimorum quorundam hominum stultitiam reprobem, qui nobis ecclesiam Christi tempori et loco affixerunt contra verbum Christi dicentis *): Non veniet regnum Dei cum observatione, et Christianum esse posse audent negare, qui non sub Romano pontifice decretisque eius oppressus fuerit.

Ac sic plus quam octingentorum annorum Christianos totius Orientis et Africae nobis ex ecclesia Christi eiiciunt, qui nunquam sub Romano pontifice fuerunt, nec evangelium unquam sic intellexerunt: nam adhuc S. Gregorii tempore Romanus pontifex universalis episcopus non salutabatur, imo ipsemet Greg. licet Romanus episcopus acerrime persequitur nomen universalis episcopi et totius ecclesiae pontificem plus fere sex epistolis, ut non dubitet vocabulum eiusmodi profanum appellare, quod nostro seculo et solum appellatur sanctissimum. Sicut enim Petrus ceteros apostolos non creavit (sic enim hodie vocatur episcopos [1]) ordinare), ita successor Petri nullum successorem aliorum apostolorum creavit, denique non nisi fratrem et coepiscopum et collegam vocaverunt Romanum pontificem ceteri episcopi, ut Cyprianus Cornelium, et Augustinus Bonifacium et alios.

Unde S. patres illud Matthaei: Tibi dabo, non intellexerunt ad sensum sacri istius canonis super ceteros fuisse Petro dictum. Sed unus, inquiunt, pro omnibus, ut aequalitas una omnium exprimeretur,

1) In ed. Basil. a. 1520: episcopus.
*) Luc. 17.

dum quod Petrus respondet, omnes et singuli respondent. Unde et alio loco in plurali eandem sententiam dicit: Quodcunque ligaveritis etc. et quod uni dicitur, omnibus dicitur. Denique non primum super Petrum descendit spiritus sanctus in die Pentecostes, nec in terris primum legitur insufflasse in Petrum, quod tamen si quam maxime factum fuisset, non ideo Petrus monarcha prae ceteris fuisset apostolis.

Igitur canon ille sit verus, admitto, sed abusive, mea evangelico et proprio sensu conclusio vera est. Quod si monarchia papae probari potest, potius ex illo apostoli Roma. 13. probabitur: Omnis potestas a Deo est, et quaecunque a Deo sunt, ordinata sunt. Huius, inquam, virtute (proprie loquendo) subiicimur sedi Romanae, donec Deo placuerit, qui solus, non etiam Romanus pontifex transfert regna atque constituit.

Talia multa, mi lector, in sacris decretis invenies, et alia quaedam, quae si nasum sponsae respectorem Damasci, id est, carnis et sanguinis, adhibeas, saepius odore offenderis.

Sic nunc de Extravagante illa dico, merita Christi non sunt thesaurus indulgentiarum, quia sine papa operantur gratiam. Haec propositio evangelica est, ubi scribitur in multis locis, Christi sanguine et obedientia nos factos et constitutos iustos, praesertim Rom. 5: Per unius, inquit, obedientiam (credo hanc esse merita Christi) iusti constituti sunt multi, per indulgentias autem nemo sanctus efficitur, quod de meritis Christi affirmari est contra tam apertas scripturas.

Igitur, an sit ista propositio contra vel Extravagantem vel Intravagantem, non curo, prior est veritas scripturae, et post hoc, si hominis verba vera esse possunt, videndum. Nam ego certe non auderem unquam asserere, quod per indulgentias amici Dei fiant, sicut expresse dicit Extravagans, ducens verbum sapientis, de participatione aeternae sapientiae dicentis, ad participationem indulgentiarum. Fuerunt istae scripturae verae ante tempus illius

Extravagantis, nec ab ipsa receperunt veritatem, nec potest dici, quod de indulgentiis loquantur, cum per totam ecclesiam notum sit, nihil in scriptura haberi de indulgentiis, ideo necessario sequi, si quae Scripturae de eis interpretentur, ut hic fit, vim eis fieri, et improprie ac abusive accipi.

Nihilominus tamen reverentiae causa veram eam confiteor, et utrumque sensum volo tueri. Et dicunt [1]) mihi, imo istum (id est, deteriorem) sensum servabis, alterum (id est germanum) negabis. Ideo si meam conclusionem cogor falsam dicere, faciam quidem, sed simul Extravagantem bis falsam praedicabo. Nam quod in me criminantur contra communem consuetudinem me sentire de indulgentiis, plane fateor ita esse, et dedita opera a me factum, ut discuteretur aliquando ista communis opinio, iuxta quam merita Christi vocari thesaurum indulgentiarum non ignorabam, sed mihi falsa ad verborum sonum videbatur. Ideo posui, quod claves merito Christi donatae essent hic thesaurus, non omnino reiiciens ab indulgentiis merita Christi, sed ad alium sensum exponens, quam haberet opinio communis. Quod nisi cum humilitate et reverentia voluissem communi huic opinioni contradicere, omisissem dicere, claves merito Christi donatas, ut penitus merita Christi excluderem. Nunc autem involvi, ut mitior esset contradictio, quin non peccassem mortaliter, si Extravaganti in faciem restitissem. Et illud divi Hieronymi adduxissem, ubi de iis loquens, qui quidquid dixerint legem Dei putant, dicit: Nec scire dignantur, quid prophetae, quid apostoli senserint (nota senserint), sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Sic certe facit haec Extravagans, nam verba de meritis Christi, quibus remittuntur peccata, trahit ad indulgentias, quod qua fiat congruitate adverte quaeso.

---

1) In ed. orig. (Witt.): dicitur.

Merita Christi tollunt peccata, et augent merita, indulgentiae tollunt merita, relinquunt [1]) peccata. Et potest idem textus de utrisque proprie intelligi? Credo, Orestes quoque hoc negabit. Et tamen ego reverentiae studio id admisi, et asserui, licet multa violentia, denique cum sit obscura verbis Extravagans et vere quaedam extravagans, nunc sonans, quod merita Christi sunt, nunc, quod acquisierunt thesaurum indulgentiarum, dixi, quod et pro mea sententia stare potest contra communem sententiam, et super hac dubia tortrice verborum Dei et depravatrice (ut Hieronymus ait) sententiarum, ego certam revocationem faciam, non convicto errore? non faciam, sed constanter et cum fiducia nego, merita Christi esse in manu papae ullo modo (ut verba sonant), ipse viderit, quomodo suam Extravagantem intelligat.

Sat igitur sit pro hac vice ostendisse, non in omnibus decretis pontificum haberi verum legitimum sensum scripturae, ideoque citra eorum iniuriam posse aliter dici, teneri, sentiri, quam ipsi habent, siquidem ipsimet scripturae interpretandae autoritatem doctoribus tribuunt, sibi vero iudicium descindendarum causarum.

Deinde alia est facultas iuridica, quam theologica, multa permittuntur in illa, quae in hac prohibentur. Elevent iuristae suas traditiones, multo magis nos theologi puritatem scripturae servemus, eoque magis, quo videmus nostro seculo surgere nocentissimos adulatores, qui summum pontificem ultra Concilia elevent [2]), scilicet ut uno concilio per alterum reprobato nullum nobis certum relinquatur, tandem omnia simul conculcet unus homo, papa, idem super concilium et infra, supra, dum potest damnare, infra, dum accipit a Concilio autoritatem tanquam a maiori, qua fit [3]) supra concilium.

Sunt quoque, qui papam non posse errare et supra scripturam esse impudentissime iactitent, quae

---

1) In ed. orig. (Witt.): et relinquunt. 2) Ibid.: elevant. 3) Ibid.: fiat.

monstra si admissa fuerint, scriptura periit, sequenter et ecclesia, et nihil reliquum erit, nisi verbum hominis in ecclesia, sed quaerunt hi adulatores invidiam, deinde ruinam et perniciem Romanae ecclesiae.

Quare ego coram te, lector, protestor me colere et sequi Romanam ecclesiam in omnibus, solum illis resisto, qui nomine ecclesiae Romanae Babyloniam nobis statuere moliuntur, volentes quidquid cogitare poterint, modo linguam tantum movere possint, ut Romanam ecclesiam nominent, totum statim pro Romanae ecclesiae sententia accipi, quasi non supersit scriptura sancta, per quam (ut Augustinus ait) de omnibus iudicamus, contra quam sine dubio Romana ecclesia nunquam sapit aut statuit.

De quorum numero esse credo suavissimos istos Sycophantas, qui dictarunt quoddam Breve *) apostolicum contra me, cuius formam, ut videas, quam prudentibus insidiis sint usi, volo in publicum dare, nam in Germania fuisse confictum, et aliqua deinde industria ad Romam missum, et forte solo nutu alicuius magnatis Romae remissum ad Germaniam, statim addita Postilla, te vel certum vel suspiciosum saltem faciam, pertinet enim et hoc ad Actorum meorum partem.

FINIS.

---

*) Hoc Breve, quod incipit: Dilecto nostro filio Thomae — Leo Papa X, vide supra p. 354 sqq. In collectione Basiliensi a. 1520 hic demum intersertum est Breve Leonis X Caietano missum et Postilla, quam ei subiunxit Lutherus; et in ed. orig. Wittenb., quam supra laudavimus, Breve et Postilla ultimam efficiunt libelli de Actis Augustanis partem, quum duae a Luthero Caietano missae epistolae ibi non legantur.

Epistolae Duae Lutheri

ad Cardinalem Caietanum [1]).

I.

Reverendissimo in Christo Patri

et Domino Thomae, Tituli S. Sixti Presbytero Cardinali, sanctae sedis apostolicae per Germaniam de latere Legato etc. in Christo metuendo et colendo Salutem et omnem subiectionem sui.

Reverendissime in Christo pater, iterum venio, sed per literas, dignetur reverendissima paternitas tua me clementissime audire.

Egit mecum reverendus mihique dulcissimus pater meus in Christo, Vicarius noster, Johannes Stupicius, ut humiliter sentirem [2]), et sensum meum submitterem, commendavitque ac persuasit [3]) paternitatem tuam reverendissimam mihi esse gratiosissimam, ita ut res ipsa et nuncius pariter eximie me laetificarent [4]). Est enim homo hic talis et tantus in oculis meis, ut nullus sit in mundo, cui libentius audirem et obsequerer. Nec minus egit dulcissimus, frater meus, Magister Venceslaus Lyncus, eadem de reverendissima paternitate tua referens, qui ab ineunte aetate pari mecum studio adolevit. Breviter non potuit reverendissima paternitas tua fortius et dulcius me movere, quam his duobus viris mediatoribus, quorum uterque in solidum me habet in manu sua. Tanta est tua simul humanitas et prudentia, qua video tuam reverendissimam paternitatem non mea, sed me quaerere, cum potuisset sola potestate in me dominari. Itaque iam timor meus sensim transit, imo mutatus est in sin-

1) Hic titulus non legitur in ed. princ., ad quam textum reddidimus. 2) In ed. Jen. additum est: et opinioni propriae cederem. 3) Ibid.: exuberantissime persuasit. 4) Ibid.: gratiosissimam. Ea res et nuncius pariter me mirum in modum exhilararunt.

gularem erga reverendissimam paternitatem tuam amorem, et veram filialemque reverentiam.

Nunc, reverendissime in Christo pater, fateor, sicut et alias fassus sum, me fuisse certe nimis (ut dicunt) indiscretum, acrem et irreverentem in nomen summi pontificis. Et licet acerrime fuerim in hanc irreverentiam provocatus, tamen meum fuisse nunc intelligo, modestius, humilius et reverentius hanc materiam tractare, et non ita respondere stulto, ut ei similis efficerer, de quo sincerissime doleo, et veniam peto, et per omnia pulpita in vulgus promulgabo, sicut et saepius iam feci, daboque deinceps operam, ut alius sim, et aliter loquar Deo miserente. Imo promptissimus sum, atque facillime promitto, me posthac materiam de indulgentiis non tractare, atque his finitis quiescere, modo illis quoque modus imponatur aut sermonis aut silentii, qui me in hanc tragoediam suscitaverunt.

Ceterum, mi reverendissime in Christo ac iam dulcissime pater, quantum ad sententiae veritatem pertinet, libentissime omnia revocarem, tam tuo, quam Vicarii mei iussu et consilio, si ullo modo conscientia mea permitteret. Ego enim scio, nullius praecepto, nullius consilio, nullius gratia me tantum debere permittere, ut aliquid contra conscientiam dicam aut faciam. Deinde narrationes divi Thomae et aliorum tantae non sunt, ut mihi in hac quaestione satisfaciant, cum dedita opera contra eas disputarim, ut optime perlectas et percognitas, visae enim sunt non satis firmo niti fundamento. Hoc autem unum superest, ut meliori superer ratione, quae est: Si vocem sponsae audire merear, hanc enim certum est vocem sponsi audire.

Ideoque omni humilitate supplico, reverendissima paternitas tua dignetur ad sanctissimum dominum nostrum Leonem X. istam [1]) causam referre, ut per ecclesiam haec dubia determinata ad iustam vel revocationem vel credulitatem possit compelli. Nihil enim aliud cupio, quam ecclesiam sequi. Nam

1) In edit. princ.: iustam.

mea super dubiis et indeterminatis revocatio quid faciat, ignoro, nisi quod merito mihi obiici posse timeo, me nec quid asseruerim, nec quid revocarim scire. Suscipiat reverendissima paternitas tua hanc humilitatis et pronitatis [1]) meae supplicationem, et in filii vicem clementer commendatum me habere dignetur [2]).

Reverendissimae tuae paternitatis
deditus filius
F. Martinus Lutherius Augustinianus.

II.

Reverendissimo in Christo

Patri et Domino Thomae, Tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali, sanctae sedis apostolicae per Germaniam de latere Legato etc. in Christo metuendo et colendo F. Martinus Lutherius salutem et se ipsum.

Vidit reverendissima paternitas tua, reverendissime in Christo pater, vidit, inquam, et satis cognovit meam obedientiam, qua per tantum iter, ac per tot pericula imbecillis corpore, et pauperrimus sumptu huc me contuli. Et ad mandatum sanctissimi domini nostri Leonis X. coram reverendissima paternitate tua comparui et me obtuli. Praeterea edito libello resolutionum me et omnia mea sub pedibus suae sanctitatis proieci, exspectans accepturusque quidquid sive damnanti sive approbanti visum fuerit. Et plane nihil me omisisse mihi conscius sum, quod ad deditum obedientemque ecclesiae filium pertinere possit.

Quare frustra hic tempus terere nolo neque possum, quia et sumptus deficit, et patribus his

1) In ed. Jen.: parvitatis. 2) In ed. Jenensi hic additum legitur: Datum pridie Lucae Evangelistae, Anno M D.XVIII.

Carmelitis satis superque fuerim et sim onerosus, maxime cum reverendissima paternitas tua mihi viva voce mandarit, ut, si nollem revocare, non redirem in conspectum reverend. Pat. tuae. Revocare quid et quantum valeam, prioribus literis significavi.

Itaque nunc abeo, et alio me loco provisurus migro. Et quamquam mihi consultum est, ab his etiam, qui vel maiores me movere possunt, ut a reverendissima paternitate tua, imo a sanctissimo domino nostro Leone X. male informato ad melius informandum (scio enim quod principi nostro illustrissimo gratum facturum appellando magis quam revocando) appellem. Tamen quantum in me fuisset, non appellassem, primum, quod mihi non videatur necessaria appellatio vel commissio ad partes, cum ego, ut dixi, omnia in iudicium ecclesiae retulerim, et non nisi sententiam eius exspectem. Quid enim ultra facere debeo, aut facere possum? Neque enim me reo aut responsore opus est, qui non quid ego dixi, sed quid ecclesia dictura sit attendo, nec adversarius contendere, sed discipulus audire volo.

Deinde, quod mihi pene persuasum est, hanc causam reverendiss. paternitati tuae esse molestam, et appellationem gratissimam, ideoque sicut non mereor, ita nec timere habeo censuras, etsi ego Dei gratia talis sim, ut censuras longe minus timeam, quam errores et malam in fide opinionem, sciens, quod censura non nocet, imo prodest, si sana fides et veritatis sensus mecum fuerit.

Quare per Christi viscera, et insignem tuam mihi exhibitam clementiam rogo, dignetur hanc meam obedientiam hucusque praestitam et completam gratiose agnoscere, et sanctissimo domino nostro papae benigniter commendatam facere, atque hanc meam abitionem et appellationem, pro mea necessitate et amicorum autoritate paratam, boni consulere. Nam eorum vox et ratio mihi insuperabilis est haec: Quid tu revocabis? Numquid tua revocatione nobis legem fidei statues? Damnet ec-

clesia prius, si quid damnandum est, et eius tu iudicium sequere, non illa tuum sequatur iudicium, atque ita victus cedo.

Valeat itaque reverendissima paternitas tua, in Christo mihi observandissima.

Ex Carmelo Augustensi, die S. Lucae Evangelistae M.D.XVIII.

Reverendissimae paternitatis tuae
deditus filius
F. Martinus Lutherius Augustinianus.

Appellatio D. Martini Lutheri

prima a Caietano ad Papam facta Augustae, Anno M.D.XVIII. Mense Octobri [1]).

In nomine Domini. Amen. Anno a nativitate eiusdem M.D.XVIII. indictione VI. die vero sabbati, XVI. mensis Octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Leonis, divina providentia papae X., anno VI. In mei notarii publici testiumque infra scriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, personaliter constitutus reverendissimus pater, dominus Martinus Lutherius Augustinensis, sacrae theologiae professor, eiusdemque in Vuittenbergensi studio Brandenburgensis diocoesis lector ordinarius principalis, principaliter pro se ipso tenens et habens in manibus suis quandam provocationis et appellationis papyri schedulam, iuxta cuius continentiam et tenorem se, ut asseruit, a quadam commissione, a praelibato sanctissimo domino nostro papa non bene informato ad eiusdem procuratoris fiscalis instantiam signati, ac praetensis iudicibus et citationibus, ac omnibus et singulis inde secutis, secuturis, nec non a quolibet gravamine futuro velle dixit provocare et appellare, quam in medium exhibuit, ac in continenti iuxta eiusdem continentiam ad praelibatum sanctis-

1) Hic titulus non legitur in edit. princ.

simum dominum nostrum papam, eiusdemque S. sedem apostolicam provocavit et appellavit, apostolos petiit, se submisit, protestatus fuit, omniaque et singula alia fecit, contenta in eadem schedula, cuius quidem schedulae appellationis et provocationis tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis.

Cum Appellationis remedium in subsidium et relevamen oppressorum a iuris conditoribus sit adinventum, et non solum ab illatis, verum etiam ab inferendis et inferri comminatis gravaminibus et iniuriis iura appellare permittant, idcirco ego Frater Martinus Lutherius Augustinensis, sacrae theologiae professor, eiusdemque in Vuittenbergensi studio Brandenburgensis diocoesis lector ordinarius principalis, principaliter, et pro me ipso coram vobis, notario publico, tanquam publica et authentica persona, ac testibus hic praesentibus, animo et intentione provocandi et appellandi, apostolosque [1]) petendi et recipiendi, dico et propono.

Quod cum in materia indulgentiarum variae et incertae sint opiniones doctorum, tam canonistarum quam theologorum, nec in his usque hodie aliquid certum et determinatum habeat ecclesia, nisi quod ex C. Quod autem etc. et C. Cum ex eo, aliisque quibusdam clarum est, indulgentias esse remissiones satisfactionis poenitentialis, a suo iudice impositae. Satisfactio autem esse aliud non potest, quam optima illa opera, oratio, ieiunium, eleemosyna, ut est una omnium theologorum et totius ecclesiae concors sententia. Et ex C. Abusionibus, in gloss. super verbo: mendaciter, clare patet, quod per indulgentias non extrahuntur animae de purgatorio, eo quod sunt divino iudicio reservatae. Nec satis constat, nec per ecclesiam determinatum est, quid sit, et quantum valeat modus ille suffragii, per quem conferuntur indulgentiae defunctis, praesertim cum non tantum poenae, sed et culpae quoque remittantur in purgatorio, ut dicitur distin. 25: Qualis, culpas autem remitti a solo Deo certum est,

1) In ed. Jen.: apostolicosque.

per infusionem gratiae, quae per indulgentias infundi non potest.

Deinde in his, quae sunt dubia et opinabilia, non solum est licitum disputare et contradicere sapientem sapienti (maxime vero in his, quae non sunt praecepta, nec consulta, nec necessaria ad salutem), verum etiam alteram contradictionis partem pertinaciter asserere, periculosum et per spiritum sanctum prohibitum est[1]), ubi dicitur apud Johannem in epistola *): Probate spiritus, utrum ex Deo sint, et apud Paulum**): Omnia probate, quod bonum est tenete. Ita ut et ecclesia eodem spiritu rectore praeceperit in Cle. C. Abusionibus, ut non permittantur quaestores proponere populo aliud, quam quod in eorum literis continetur.

Quibus iuribus, imo praeceptis nixus, disputandam hanc materiam suscepi, motus immodestissimis declamationibus nimiumque indiscretis promulgationibus, quibus indulgentias divulgabant quidam in nostris regionibus apostolici (ut asserebant) commissarii et quaestores, ita ut sub indulgentiarum praetextu inauditas avaritiae et scandalosas machinas exercerent, in gravissimum romanae ecclesiae et clavium ecclesiasticarum ludibrium et contemptum, reverentiaeque apostolicae sedis non mediocre detrimentum. Denique in seductionem populi nova dogmata moliti sunt, ut auderent verbis male sobriis docere, et libellos in vulgus edere, indulgentias esse semper indulgentias, hominem[2]) consequi gratiam Dei iustificantem, donum scilicet inaestimabile pro veniis venundantes, et alia, quae passim ostendit libellus eorum, qui instructio summaria vocatur, absurdissimis et falsis propositionibus plenus, ad sui suorumque autorum ignominiam.

Et licet ego non de fide, non de moribus, non de praeceptis Dei aut ecclesiae, sed de indulgentiis (ut dixi) disputarem, quae nec praeceptae, nec con-

---

1) In ed. princ.: sit. 2) In ed. Jen. legitur: indulgentias esse idem, quod hominem etc.

*) 1. Johan. 4. **) 1. Thess. 5.

sultae, nec meritoriae sunt, ita ut sine his nihilominus ecclesia Christi bene et forte melius haberet, pluribusque meritis (quae per illas remittuntur) salvi fierent fideles, imo expresse fateantur doctores, etiam Scholastici, melius esse per se ipsum satisfacere, quam indulgentias redimere.

Deinde sic disputavi, ut totam hanc disputationem submitterem non solum ecclesiae, sed etiam cuiusque melius sentientis iudicio, in primis vero sanctissimo in Christo patri et domino nostro, domino Leoni X. papae moderno, ut in epistola mea Resolutionibus meis praemissa clare patet, ac ita res dubias, liberas, opiniosas, non determinatas, nec necessarias ad salutem tractavi disputandi gratia, ut nulla prorsus esse possit iusta causa et occasio citandi me aut in ius trahendi, et merito debuerim a molestiis etiam invidorum et malignorum tutus et quietus videri (quandoquidem de rebus seriis, necessariis, divinis disputantes securi sunt).

Nihilominus quidam mammonae cultores et lucri mancipia inquieta, in ovibus Christi non pascua, sed lac et lanam tantummodo quaerentes, timentesque, ne huius disputationis occasione fideles Christi eorum lucrosas et avarissimas insidias intelligerent, ac sic quaestus ipsorum, sicut dignus est, funditus periret, exarserunt sicut ignis in spinis. Atque cum ipsi sic indulgentias non solum indiscrete, sed et subdole, in fraudem animarum quoque ac longe lateque a mente summi pontificis, sacrisque patrum decretis, praedicando aberrarent, etiam hoc mali adiecerunt, ut frivolis quibusdam et mendacibus delationibus, pro avaritia sua et tyrannide impia coloranda, adeo me apud sanctissimum dominum nostrum, dominum Leonem X. Papam etc. et eximium virum dominum Martinum de Perusiis suae sanctitatis Procuratorem fiscalem foedaverunt et odiosum fecerunt, et tandem exacuerunt et exasperaverunt, ut dictus D. Martinus ad importunam eorum instantiam, causam contra me, tanquam de haeresi suspectum, et in ecclesiasticae potestatis iniuriam, vilipensionem, diminutionem, claviumque

irreverentiam machinatum, reverendissimis in Christo patribus, domino Hieronymo de Ghinutiis[1]), episcopo Asculanensi, auditori Camerae etc. et Sylvestro Prierati ordinis praedicatorum, palatii apostolici magistro, committeret. Quin imo per illum ipsi potius extorserunt. Qui quidem iudices et auditores cum mihi, salva semper eorum reverentia, suspecti sint, quod ipse reverendus pater Sylvester alias contra me exacerbatam affectionem suam abunde ostenderit, in dialogo, quem contra meas positiones edidit, in quo suae opinioni plus aequo affectus me haereticum et insanum multisque aliis nominibus criminum iudicaverit et damnaverit.

Deinde suis fratribus, quos haec res principaliter tangit, verisimiliter praesumitur plus quam causae favere, atque ita fieret, ut per ipsum adversarii ipsimet in sua causa iudices fierent. Et ipsi Thomistae, licet sibi ipsis contra me non constantes, saepius tamen inventi sunt pro suis opinionibus maiora et alia tentasse, quam cuiusque merita postulassent, et aequitas iuris pateretur. Denique cum idem reverendus pater solum in scholastica theologia sit institutus et enutritus, parumque in scripturis sanctis (ut apparet ex suis scriptis variis) exercitatus, et haec materia iudices quaerat in sacris literis et ecclesiasticis patribus instructissimos, non praesumi potest, eum vel posse recte iudicare.

Reverendus vero in Christo pater, dominus Hieronymus episcopus etc., merito timetur alteri collegae suo adhaerere (quod pace ac reverentia ac citra iniuriam dictum volo), et qui patri Sylvestro ob professionis theologicae nomen facile iudicium redderet[2]), atque ipse, qui in causis aliis civilibus et huiusmodi satis idoneus esset. Haec autem cum sint de fide et haeresi (ut adversarii dicunt), extra suae professionis modum esse satis intelligatur, atque ideo mihi utrique suspectissimi me citari fecerunt et citaverunt ad comparendum personaliter Romae, in loco mihi omnium suspectissimo et non

1) In ed. Jen.: Genutiis. 2) Ibid.: cederet.

tuto, cum omnibus constet, quantum et in quam multos saevitum sit, qui se Romae crediderunt, etiam habentes salvum conductum, et luce meridiana clarius sit, ipsum etiam optimum pontificem, sanctissimum dominum nostrum Leonem X. ac multos alios reverendissimos dominos Cardinales saepius in periculo mortis fuisse, nec satis tuto ibidem vivere, ut iuxta Esaiam*) de Roma fere dici possit: Justi habitaverunt in ea, nunc autem homicidae.

Atque si quam maxime Romae omnia tuta et salva forent, tanti tamen itineris prolixitas imbecillitati corpusculi mei prorsus impossibilis est, tot etiam pericula maris 1), et maxime omnium insidiae adversariorum, quae tantae ac tam multae sunt, ut omnino mihi per magnates et principes utriusque status consultum sit et pro certo denunciatum, ne ullo pacto muros Vuittembergae egrederer, certissimos scilicet sese nosse, aut ferri aut veneni insidias paratas. Atque cum sim de ordine mendicantium nihil proprii habens et sub obedientia alterius vivens ipsa sane paupertate abunde comparere prohiberer.

Cum itaque metu huiusmodi iustissimo, et qui in constantem virum cadere potest, et causis his iustissimis impeditus Romam ire non possem, sollicitavi per illustrissimum Principem Fridericum, sacri Ro. Imperii Electorem, Saxoniae Ducem, Thuringiae Landgravium, Misnae Marchionem potentissimum, ut a sede apostolica causa viris aliquibus doctis, probis et honestis committeretur, in partibus, in loco tuto, coram quibus et ibidem comparere et omnia facere, quae iustitia suadet, paratissimus essem.

Quod cum sanctissimus in Christo pater et dominus, dominus noster Leo X., ut cuius clementia et veritatis et iustitiae observantia per totum orbem dignissime celebratur, per adversarios suae causae timentes, ut in personam reverendissimi in Christo patris et domini, domini Thomae, Tituli S. Sixti

---

1) In ed. Jen.: viarum.
*) Esai 1.

Presbyteri et Cardinalis, sanctae sedis apostolicae per Germaniam de latere Legati, transferretur, sperantes, quod, cum idem reverendissimus dominus etc. de ordine eorum fuerit, ruinosae et aegrae suae causae facilius hoc ingenio mederentur.

Qui quidem reverendissimus dominus etc., etsi suspectus merito videri poterat, quod de parte et opinione adversariorum sit et aliis quibusdam verisimilibus causis, tamen, ut est vir omnibus modis doctissimus et humanissimus, primum paterne quidem et clementer sese mihi exhibuit meque suscepit, sed deinceps mihi (ut ait) consulere volens, simpliciter instabat et urgebat ad revocationem meorum dictorum, antequam discuterentur et determinarentur, reiecta et posthabita omnium protestatione honestissima, quod videlicet paratus essem vel publice denuo respondere, vel privatim in scriptis rationem reddere, et omnia mea subiicere, inprimis iudicio S. ecclesiae Romanae, deinde illustribus studiis Basiliensi, Friburgensi, Lovaniensi, ac, si opus esset, etiam antiquae illi studiorum parenti et in theologicis rebus prae caeteris uti florentissimae, ita zelosissimae universitati Parisiensi.

His omnibus posthabitis et spretis, nec saltem docere voluit aut ostendere, in quibus et qua ratione errassem, ut cognitum errorem revocarem, nisi quod duos articulos mihi opposuit, ad quos me satis abunde respondisse confido, ut in scriptis ad eundem reverendissimum dominum datis videri potest. Sed simpliciter et nude me ad revocationem adigere voluit minando mihi, quod, nisi vel hoc facerem, vel Romae in quodam termino penso in citatione per supradictos praetensos iudices praefixo comparerem, me et omnes mihi adhaerentes et faventes sententia excommunicationis innodare ac ceteros quoscunque, ad quos me declinare contigerit, ecclesiastico interdicto supponere vellet. Super quibus omnibus sese mandatum sufficiens a sede praedicta habere dixit.

Ex quibus me gravatum laesumque et oppressum sentio, cum et hodie fatear solummodo me

disputasse, et omnia sub pedibus sanctissimi domini nostri Leonis X. subiecisse, ut occidat, vivificet, reprobet, approbet, sicut placuerit. Et vocem eius vocem Christi in ipso praesidentis agnoscam. Et legitime protestor me nihil dicere aut sapere velle, quod non in et ex sacris literis et ecclesiasticis patribus sacrisque canonibus probari potest, ut in libro Resolutionum mearum videri potest. De quo denuo protestor, sicut alias saepius protestatus fui.

Idcirco a praefato sanctissimo domino nostro Papa, non bene informato, eiusque praetensa commissione, ad supradicti domini Procuratoris Fiscalis instantiam (ut praefertur) signata, ac a praetensis iudicibus et citatione supradicta, ac praetenso processu, contra me forsitan instituto et instituendo, et omnibus inde secutis et secuturis, et quolibet ipsorum, nec non a quolibet futuro gravamine, quod mihi ex eo venire poterit, ad sanctissimum dominum in Christo patrem, et dominum nostrum, dominum Leonem, divina providentia papam X. melius informandum provoco, et appello in his scriptis, apostolosque primo, secundo et tertio, instanter, instantius, et instantissime mihi dari peto, si quis sit, qui mihi dare hos voluerit et potuerit, et praesertim a vobis, domino Notario, testimoniales, subiiciens me mihique adhaerentes et adhaerere volentes in his protectioni ac defensioni praefati sanctissimi domini nostri papae, melius informati[1]). Et protestor de prosequendo hanc meam appellationem suis temporibus et locis congruis per viam nullitatis et alias, prout melius potero, optime mihi reservata facultate[2]) addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, et in melius reformandi, omnique alio iuris beneficio semper salvo.

Super quibus omnibus et singulis praemissis praelibatus reverendus Pater D. Martinus Lutherius, sacrae theologiae professor, et appellans, sibi a me Notario publico infra scripto, loco apostolorum

---

1) In ed. Jen.: informandi. 2) In ed. princ. deest: facultate.

testimonialium, unum vel plura publicum seu publica, fieri atque confici petiit instrumentum et instrumenta.

Acta fuerunt haec Augustae, et ibidem in monasterio Ordinis Fratrum Carmelitarum, sub anno, indictione, die, mense et pontificatu, quibus supra, praesentibus ibidem honorabilibus viris, dominis Venceslao Steinbeiss, et Bartholomaeo Utzmair, presbyteris Augustensis diocoesis, testibus ad praemissa vocatis atque rogatis.

Et ego Gallus Kunigenter de Herbrachtingen, laicus Augustensis diocoesis, publicus sacris apostolica et imperiali autoritatibus Notarius, quia supradictae schedulae appellationis [1]) exhibitioni, provocationi, submissioni, apostolorum petitioni, protestationi, omnibusque aliis et singulis praemissis, dum (sicut praemittitur) fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens et personaliter interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi. Idcirco hoc praesens publicum instrumentum, manu propria scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et requisitus.

Actorum [2]) D. Martini
Lutheri apud Legatum Apostolicum Augustae
Finis.

Epistola

Thomae Caietani, Tituli S. Sixti Presbyteri Cardinalis, ad D. Fridericum, Saxoniae Ducem, sacri Imperii Electorem etc. de Lutheri causa, post discessum eiusdem Lutheri ex Augusta anno
M. D. XVIII.

Illustrissime et excellentissime Princeps, venit Frater Martinus Lutherus cum literis excellentiae

---

1) In ed. Jen.: appellationi. 2) Haec non leguntur in ed. princ.

vestrae, et antequam nos adiret, voluit se munire salvo conductu, quem ab illis Dominis, Caesareae Maiestatis Consiliariis, vestrae illustrissimae Dominationis intuitu et favore impetravit. Non tamen sine scitu meo, noluerunt enim hi Domini quidquam illi concedere, nisi me permittente. Quibus respondi, Facerent quidquid eis placeret, dummodo nomen meum non misceretur. Et hic coepi mirari, nam si excellentia vestra in me confidebat, non erat opus salvo conductu, si non confidebat, non erat mittendus ad me ut patrem.

Adiit deinde nos Frater Martinus, primum excusans se super impetratione salvi conductus propter inimicitias etc. deinde dicens, se venisse, ut nos audiret, et veritatem a nobis agnitam profiteretur. Nos hominem libentissime ac humanissime excepimus, paterneque complexi sumus. Dixi ante omnia, quod secundum solidam Scripturam sacram et sacros Canones interrogandus esset, et quod si se cognosceret et de cetero caveret possemusque secure dormire, ne reverteretur ad vomitum, omnia componerem, sanctissimi Domini nostri Papae Leonis X. autoritate.

Ostendi deinde monuique paterne, disputationes et sermones eius esse contra apostolicam doctrinam, maxime super Indulgentiis, citavique Extravagantem Clementis VI. aperte contra ipsum stantem, tam super causa, quam effectu Indulgentiarum. Adduxi praeterea antiquam et communem Romanae ecclesiae consuetudinem, ac interpretationem super alio etiam articulo de fide Sacramentorum aperui, admonuique opinionem eius non esse sanam, sed manifeste dissentire a sacra Scriptura et recta ecclesiae doctrina, quae illi omnino repugnat. Is ad Extravagantem claram et apertam dixit nescio quid relatione indignum, et petiit diem ad deliberandum, rediturumque se affirmavit, ego illum hortatus, ut se cognosceret, dimisi.

Rediitque postridie, una cum Patre Vicario generali congregationis Observantium, multisque stipatus. Et cum exspectarem, ut se vere agnosceret,

coepit coram Notario, quem secum duxerat, protestari, ego id subridens iterum humanissime hominem hortatus sum, ut relicto huiuscemodi inani consilio ad cor et sanitatem rediret, durum esse illi contra stimulum calcitrare. Addidit deinceps, in scriptis se velle mihi respondere et causam suam agere, me anteriore die satis digladiatum verbis cum illo fuisse. Ego audaciam hominis miratus dixi, Fili, neque tecum digladiatus sum, neque digladiari volo, tantum paratus sum, intuitu illustrissimi ducis Friderici te paterne ac benigne (non disputandi contendendive gratia) audire, ac pro veritate monere ac docere, conciliare etiam (si voles) sanctissimo Domino nostro Papae Leoni X. et Romanae ecclesiae.

Rogavit me tum is, tum Vicarius eius, ut illum in scriptis audire vellem. Dixi me libentissime auscultaturum et facturum omnia paterne, non tamen iudicialiter. Itaque abiit, reversusque postea tertio est, et longam scripto exhibuit phylacteriam, in qua fatue admodum respondet ad constitutionem Extravagantis Papae, nec parcit etiam suae sanctitati, quam dicit abuti autoritatibus sacrae Scripturae. Ad illud vero de fide Sacramentorum implet papyrum locis sacrae Scripturae omnino impertinentibus et perperam intellectis.

Ego postquam ostendi non ita esse intelligendum, quod in illa Extravagante et sacris literis scriptum est, iterum atque iterum Fratrem Martinum ut filium monui et obtestatus sum, nollet plus sapere, quam oporteret, nec nova dogmata in ecclesiam intrudere, sed se ipsum cognoscere, et salvare animam suam.

Venit ad me deinde Pater Vicarius congregationis, cum quo, praesente magnifico Domino Urbano Oratore Montis ferrati, et uno Magistro theologiae dicti Ordinis, multasque horas tractavimus de negotio hoc, ut tolleretur scandalum, salva reverentia Apostolicae Sedis, et sine ulla nota Fratris Martini. Venit postea solus ille theologiae Magister,

socius Fratris Martini, qui probavit et collaudavit tractatum.

Jactis his fundamentis, cum bene sperarem omnia, profectus est hinc idem Vicarius, insalutato hospite, ac me omnino inscio. Subsequutuus est deinde Frater Martinus et socii eius, mihique omnino, imo sibi, perbelle illuserunt. Accepi interea Fratris Martini literas, quibus petit fucatam veniam, non ideo vero revocat maledicta et scandala, quae catholicae ecclesiae incussit.

Ego, illustrissime Princeps, fraudulentum Fratris Martini et sequacium consilium non solum admiratus sum, verum etiam prorsus perhorrui et obstupui. Cum enim de bona illius valetudine maxime sperarem, maxime sum frustratus. Non video tamen, cuius fiducia haec agat.

In causa vero tria affirmaverim. Primo, dicta Fratris Martini in Conclusionibus suis disputative esse posita, in sermonibus tamen ab eo scriptis affirmative et assertive esse posita, et confirmata in vulgari germanico, ut aiunt. Ea autem sunt partim contra doctrinam Apostolicae Sedis, partim vero damnabilia. Et credat mihi illustrissima Dominatio vestra, quia vera dico et loquor, ex certa scientia, non ex opinionibus.

Secundo, illustrissimam illam vestram Dominationem hortor et rogo, consulat honori et conscientiae suae, vel mittendo Fratrem Martinum ad Urbem, vel eiiciendo extra terras suas, postquam non vult paterna via errorem suum cognoscere et cum universali ecclesia bene sentire.

Postremo, illud sciat illustrissima Dominatio vestra, nequaquam hoc tam grave et pestilens negotium posse diu haerere, nam Romae prosequentur causam, quando ego lavi manus meas, et ad sanctissimum Dominum, Dominum nostrum, huiuscemodi fraudes scripsi.

Bene et feliciter valeat Excellentia vestra, cui me intime commendo. Ex Augusta Vindelicorum, XXV. die Octobris anno M.D.XVIII.

Iterum atque iterum rogo, ut Dominatio vestra illustrissima non permittat se decipi a dicentibus: Nihil mali continent Fratris Martini Lutheri dicta, nec ponat maculam in gloriam Maiorum suorum, et suam, propter unum Faterculum, ut toties promisit. Ego loquor puram veritatem, et servabo Jesu Christi regulam: A fructibus eorum cognoscetis eos. Haec pauca manu propria.

E. V. et illustriss. D.
ad obsequia
Thomas, S. Sixti Cardinalis, Legatus Apostolicae Sedis.

Illustrissimi Principis D. Friderici,

Ducis Saxoniae, Romani Imperii Electoris, Responsio ad literas D. Thomae, Tituli S. Sixti Cardinalis, praecedentes.

Reverendissime in Christo Pater, singulariter nobis dilectissime Domine et amice, Vestrae Caritatis literas die XXV. Octob. Augustae datas, die XIX. Novemb. per tabellarium non peculiarem, sed fortuitum redditas, accepimus, ad D. Martinum Lutherum Augustinianum pertinentes, quas undecunque cum toto earum argumento percepimus atque intelleximus.

Quoniam ergo dictus Martinus coram pietate vestra apud Augustam comparuit, sicut cum caritate vestra colloquuti Augustae pollicebamur, nostrae satisfecimus promissioni. Praeterea persuaseramus nobis, vestram pietatem, audito Martino, secundum vestrae Reverentiae promissionem multiplicem eum paterne et benevole dimissuram fuisse, neque quamvis nondum cognita causa et sufficienter discussa, ut Martinus refert, coacturam ad revocationem et palinodiam. Sunt enim plurimi eruditorum in nostris principatibus et terris, et alibi in Universitatibus studiorum, a quibus hactenus et in hodiernum usque diem constanter et irrefragabiliter

certiores fieri non potuimus, Martini doctrinam impiam, non Christianam et haereticam esse, exceptis nonnullis, quorum rei privatae et utilitati pecuniariae eruditio eius non profuit, qui, ut propriae commoditati consulerent, Martino sese adversarios opposuerunt, suo tamen proposito contra Martinum nondum probato. Nam si aliquo constanti fundamento et ratione intelligeremus, D. Martini Lutheri doctrinam impiam et instabilem esse, Dei omnipotentis auxilio et gratia ipsimet ita nos doceremus, ut nulla indigeremus exhortatione atque admonitione. Noster enim animus, nostra voluntas, nostra mens in hoc tota est, ut ad Christiani Principis officium sit paratissima, et qui Deo adiutore et honori et conscientiae suae capiat consultum.

Quapropter modis omnibus speravimus, non futurum, ut in hoc rerum statu hac afficeremur comminatione, scilicet Rom. curiam id causae prosequuturam et Reverentiam vestram manus lavisse, vel ut a nobis postularetur, ut Martinum Lutherum sive Romam mitteremus, sive ex nostris regionibus expelleremus, non tamen ob alia, quam quod Martinus Lutherus criminis haereseos nondum convictus est. Pelleretur enim incommodo nostrae Universitatis, sicut in hanc diem notum est, Christianae, et multos bonos et doctos et studiosos homines habentis.

Neque omisimus D. Martino vestrae caritatis literas exhibere, ad quas nobis secundum tenorem exempli, his nostris literis inclusi, respondit.

Cum itaque D. Martinus sese offerat ad aliquarum Universitatum iudicium et in locis tutis disputationem, et cognita causa permissurum se obedienter, ut doceatur et simul ducatur. Arbitramur eum merito admittendum, aut saltem ei ostendendos in scriptis errores, id quod et nos petimus, ut sciamus, quamobrem tamen haereticus esse debeat, et habeamus quod sequamur et faciamus. Neque enim nos ita (nondum convictum) pro haeretico reputandum et scribendum sentimus. Denique non libenter per-

mitteremus, nos in errores pertrahi, neque et inobedientes a sancta Sede Apostolica inveniri.

Hoc vestram caritatem (quam Deo omnipotenti diu feciliter conservandam commendamus) celare noluimus.

Datum Aldenburg, die VIII. Decembris,
Anno M.D.XVIII.

Epistola D. Martini Lutheri

ad Illustrissimum et Clementissimum D. Fridericum, Saxoniae Ducem etc., in qua respondet ad ea, de quibus eum Legatus Apostolicus accusat in Literis suis ad praedictum Saxoniae Electorem ex Augusta missis *).

Illustrissimo et Vere Optimo Principi,

D. Friderico Electori, sacri Romani Imperii Archimarscallo, Duci Saxoniae, Praesidi Thuringiae, Marchioni Misnensi, Domino suo Clementissimo, deditum mancipium, F. Martinus Lutherus Augustinianus, felicitatem et quidquid potest oratio peccatoris.

Accepi, clementissime ac illustrissime Princeps, per amicissimum meum Dominum Georgium Spalatinum literas una cum exemplo literarum Reverendissimi Domini Thomae Caietani, Tituli S. Sixti Cardinalis, Sedis Apostolicae Legati, voluntate illustrissimae Dominationis tuae ad me misso, accepi autem et reverenter et hilariter. Video enim pul-

---

*) Legitur haec epistola Latine ap. Aurif. I, 110. de Wette I, 175. Edit. Jen. I, 208 sqq. Viteb. I, 221. Loescher R. A. II, p. 531, Germanice Edit. Vittenb. IX, 50. Jen. I, 123. Altenb. I, 140. Lips. XVII, 203. Walch XV, 772. Nos textum reddidimus secundum editionem Aurifabri collatam cum ed. Jenensi.

cherrimam totius causae meae exponendae occasionem datam. Unum solum ab illustrissima Celsitudine tua precatus fuero, ut sordidum hunc et mendicum Fraterculum splendor magnitudinis tuae clementissime toleret balbutientem.

Primum vere scribit Reverendus Dominus Cardinalis, me salvo conductu voluisse muniri meam Augustae praesentiam. Neque id feci aut meo aut illustrissimae Dominationis tuae consilio, sed amicorum singulorum et omnium, quibus fueram literis commendatus, excepto uno, magnifico Domino Urbano Oratore, qui solus multis verbis dissuasit. Sed necesse fuit mihi, ut omnes praeferrem uni, ne si quid temere mihi contigisset, me contempsisse scriberent et illustrissimae Dominationis tuae commendationem et ipsorum fidelissimam operam. Deinde non capitosi, sed naturalis affectus est, multos Germanos antea cognitos atque vita et autoritate celebres, a me Germano praeferri uni Italo. Ipsa enim natio et multitudo me, spero, iustissime excusabunt, ne Orator ille dominus magnificus se a me contemptum possit causari.

Non ergo tua, illustrissime Princeps, diffidentia arguenda fuit, imo plus in reverendissimum dominum Legatum confisum est, quam speraverant amici, ita ut meam temeritatem mirarentur, seu (ut ipsi honorabant) audaciam, quod sine conductu essem ingressus Augustam. Mandaverat enim mihi illustrissima tua Dominatio per Spalatinum meum, non esse mihi necessarium salvum conductum, adeo illustriss. tua Celsit. omnia bona de reverend. Legato praesumebat.

Percurram et cetera epistolae Reverendissimi domini Legati membra, ac paucis respondebo ad ea.

Vere scribit me tandem comparuisse et dilationem accesus ac salvi conductus impetrationem excusasse. Dicebam enim me a magni Ordinis utriusque status viris fuisse monitum, ne muros Vuittembergae egrederer, esse enim mihi insidias aut ferri aut veneni paratas. Deinde addidi et causam praedictam, scilicet amicorum studium nomine

illustrissimae Dominationis tuae mihi consulentium. Obtuli itaque me prostratum ante pedes reverendissimi Domini Legati, et omni reverentia et humilitate petii veniam, si quid temere vel dixissem vel egissem, esseque me paratissimum doceri et duci (sicut et hodie sentio) in saniorem sententiam.

Hic me reverendissimus Dominus Legatus paterne et clementissime suscepit, commendans et congratulans huic meae humilitati, statim tria mihi facienda proposuit de mandato Sanctissimi Domini nostri Papae Leonis X., sicut aiebat (nam exemplar Brevis petenti denegabat):

Primum, ut redirem ad cor, et erratus meos revocarem,

Secundo, ut promitterem in futurum abstinere ab eisdem,

Tertio, ut ab omnibus quoque aliis abstinerem, quibus perturbari possit ecclesia.

Ad primum petii, ut monstraret mihi, in quonam errassem, mox id obiecit, quod Conclusione 7. inter declarandum dixeram, oportere eum, qui ad Sacramentum accedit, credere, se consecuturum gratiam sacramenti. Hanc enim doctrinam esse contra sacram scripturam et rectam ecclesiae doctrinam voluit. Ego vero constanter dixi in eo puncto me non esse cessurum, sicut nec hodie neque in aeternum sum cessurus. Tunc ipse: Velis, nolis, hodie oportebit te revocare, alioqui vel propter hunc locum omnia tua dicta damnabo.

Et quanquam dicebat sese non opinionibus Doctorum, sed Scripturis sanctis et canonibus mecum acturum, nec syllabam tamen Scripturae contra me produxit, cum ego contra multas Scripturas pro me adducerem, ut videri potest in schedula responsionis meae. Nisi quod de efficacia sacramentorum mihi concilia recitabat, quae non negavi, neque contra me erant. Labebatur tamen inter dicendum semper in opiniones Doctorum. Et exspecto, peto, rogo usque hodie unam Scripturae autoritatem, vel sanctorum Patrum, quae sit contra meam hanc sententiam.

Et ut tibi, illustrissime Princeps, ex corde lo-

quar, doleo totis visceribus hanc rem fidei nostrae in ecclesia non solum dubiam et ignotam, sed etiam falsam putari. Verum, optime Princeps, coram Deo et angelis eius protestor, fiat de alia mea responsione quicquid fieri potest, sit falsa, sit contra Extravagantem, sit damnanda, sit revocanda, faciam hic omnia, si ita oporteat. Hanc autem sententiam moriens confitebor, et omnia potius negabo, quam illam revocabo. Nam sive merita Christi sint thesaurus indulgentiarum, non ideo indulgentiis aliquid accedit, sive non sint, nihil ideo decedit. Manent indulgentiae id quod sunt, quocunque tandem nomine honorentur et inflentur. Nec sum ideo malus Christianus, si indulgentias nolim, quas ille tantum solas extollit et pro eis pugnat. Sed si hanc fidei sententiam mutavero, Christum negavero. Sic sapio, sic sapiam, donec contraria sententia per scripturas fuerit probata, et adductae per me autoritates dissolutae, quod nondum est factum, neque fiet (Deo propitio) unquam.

Deinde quia indulgentiae movebant plus, quam materia illa fidei, sicut et scribit, maxime (inquit) super indulgentiis, attulit Extravagantem Clementis VI. contra propositionem meam LVIII, ubi negavi merita Sanctorum et Christi esse thesaurum indulgentiarum, sicut adhuc nego, saltem ut iacent et sonant verba, quantumcunque ipse claram apertamque iactet Extravagantem, ego contra obscuram, ambiguam, impropriam dico, sicut in responsione mea priore patet.

Quod autem in literis suis scribit, me dixisse ad Extravagantem nescio quid relatione indignum, hoc tanquam Laico scribit. Illud indignum relatione (ut odium verbi illius revelem, et appareat, an hoc sit paterne me quaerere), hoc fuit, illustrissime Princeps, quod dixi Extravagantem illam non satis valere contra meam conclusionem, maxime cum torqueat in alienum sensum Scripturas et abutatur eis, hoc verbum, torquere et abuti, mire torquebat hominem et adhuc torquet, ut indicant literae eius. Voluit enim et vult verba humana Ponti-

ficis simpliciter accipi, non habita ratione, an consentiant cum Scripturis necne.

Verum, optime Princeps, permittat Celsitudo tua, ut et ego tanquam coram Laico hanc rem tractem, id est, crasse et aperte. Volo interim oblivisci acerrimum illud et omnibus doctissimis quoque formidabile iudicium, quo Deus insignivit prae omnibus, quos nostra vidit aetas, ingenium Principis Friderici. Dico itaque non esse rarum atque novum, Scripturas sanctas a Pontificibus et Doctoribus sanctis fuisse tortas, et in alienum sensum ductas, quod, ne multis agam, etiam crasso cuique bubulco clarum faciam, uno extra propositum (ut vocant) exemplo adducto.

Dicit Decretalis quaedam de constitutionibus: Translato sacerdotio, necesse est, ut legis fiat translatio. Haec verba apostoli sunt apud Ebraeos cap. 7 docentis, temporale sacerdotium et legem abrogata et finita succedente aeterno sacerdotio Christi. Haec est propria et genuina sententia verborum apostoli.

At in Decretali est ista sententia, sacerdotium Christi est translatum in S. Petrum, sic enim iuristae interpretantur. Quis non videt alienam esse hanc intelligentiam, et prorsus talem, quae, nisi multo sudore moderetur, sit impiissima omnium. Impiissimum enim est dicere, sacerdotium Christi aeternum esse translatum, id est, abrogatum et finitum, et legem eius aeternam esse abrogatam et translatam, ut Petrus sit sacerdos et legislator amoto Christo.

Nolo Petrum aut Paulum habere sacerdotem, quoniam et ipse peccator est, non habens, quod neque pro se, neque quod pro me offerat. Ut interim taceam, quod in solum Petrum a Christo translatum dicitur, quasi ceteri apostoli laici remanserint, aut a S. Petro in apostolos ordinati fuerint. Quanto rectius ergo non sacerdotium, sed ministerium tantum sacerdotii in Petrum positum intelligeretur, aut alio quocunque sensu, qui illaesum permittat germanum apostoli sensum.

Nunquid ergo male dico, si in faciem huius

Decretalis dixero, hanc contrariam propositionem: Sacerdotium Christi cum sit aeternum, non est translatum in S. Petrum. Aut etiam hic me coget reverendissi. Dominus Legatus, ut verum sensum negem et Decretalis sensum solum amplectar? Talia sunt in iure Canonico multa, quibus (ut cum fiducia loquar) si non corrupta, certe obscurata est Scriptura.

Tale quid et in Extravagantem a me factum est, nam certissimum est merita Christi non posse per hominem dispensari. Deinde etiam ipsa potius imponunt, quam relaxant bona opera (quod est indulgentias esse) poenitentiae, ut Petrus aperte dicit: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Non ait, passus est pro vobis, ne vos pateremini, aut ut vos relaxaremini, sed exemplum reliquit sequendi, non reliquit thesaurum omittendi etc.

Haec est enim propria *) virtus meritorum Christi, armare ad opus, non ponere cervical, et ponere pulvinos sub cubitis et capitibus, ut ait propheta Ezechiel. Ideo contra Extravagantem, imo contra malum eius intellectum opposui, et adhuc oppono. Nec est ista communis ecclesiae consuetudo, quam iactat, sed corruptela et abusus, contra Scripturae veritatem militans.

Igitur permitto Extravagantem esse veram, sed nego sensum eius esse, quem adducta verba Scripturae habent in suo loco, quae verba utique vera fuerunt plus quam per duodecim annorum centenaria ante constitutionem huius Extravagantis. Neque ab Extravagante, vel a tempore eius primum veritatem acceperunt. Nam si ista verba scripturae de indulgentiis debent intelligi proprio et genuino sensu, iam possent ex sacra Scriptura probari et demonstrari indulgentiae, quod ad unum omnes constantissime negant.

Igitur volo utrumque servare, et dicitur mihi: Imo istum (scilicet peiorem sensum) servabis, alte-

---

*) Edit. Jen.: proprie.

rum (scilicet meliorem) negabis. Ego autem nolo, sed sufficere puto verbo hominis me tantum reverentiae gradum dedisse, ut verum esse confitear. Nolo verbum Dei, qui mentiri (ut ille) non potest, propter illius verbum negare. Non igitur relatione indignum est (nisi dum alteri velis mortem et perditionem moliri sine causa) dicere, quod Papa aut sancti Patres aliquoties torserint Scripturas et in alienum sensum abusi sint, aut, si id pertinaciter negatur, iam et Papam et sanctos haereticos et impios faciemus, ut quos manifestum est alium sequi sensum, quam sit in Scriptura, et id non paucis locis, neque raro.

Hucusque prima die actum est, id est, duo ista obiecta sunt. Petii enim diem ad deliberandum, et abii. Non enim e re mea fore vidi verbis rem agere, quod ille loco Pontificis sedens, quidquid diceret, ratum apud me esse voluit, rursum, quidquid ego opponerem, exsibilatum fuit, explosum, imo derisum, etiamsi sacras adveherem literas. Nam omitto dicere, quod potestatem Papae et supra Scripturas et supra concilia tollere conabatur, allegans, quomodo iam Papa concilium Basiliense abrogasset: cum rursus Parisiensis Universitatis appellationem allegassem, videbunt, inquit, poenas suas.

Tandem nescio quos Gersonistas damnavit, nam Basiliense concilium aut certe Gersonem allegaveram in Resolutionibus, quod hominem movebat. Breviter paternitas illa toties illustrissimae tuae Dominationi promissa erga me in hoc constitit, aut vim me passurum, aut revocaturum: non enim disputare sese mecum velle aiebat. Ideoque consilium fuit scriptis respondere, quae id certe oppressis praebent solatium, quod aliorum quoque iudicio examinari possunt, et nonnihil conscientiae atque timoris incutiunt alioqui verbis praevalenti.

Altera itaque die redii, et mecum reverendus Pater Vicarius Johannes Staupitzius *), qui interim

*) In ed. Jen.: Stupitzius.

advenerat, praesentibusque quatuor insignibus viris Caesareae Maiestatis senatoribus coepi coram Notario, quem adduxeram, protestari, me nihil velle dicere aut dicturum esse unquam, quod contra sanctae ecclesiae Romanae doctrinam esset, paratumque esse doceri ac duci, sicubi errassem, subiiciens mea dicta summo Pontifici, deinde quatuor Universitatibus, Basiliensi, Friburgensi, Lovaniensi, tandem, si hoc non esset satis, etiam ipsi parenti studiorum, Parisiensi, ut schedula protestationis meae indicat.

Hic iterum ridens meum hoc consilium coepit monere, ut ad cor redirem veritatemque agnoscerem, velle sese rursum me reconciliare ecclesiae et summo Pontifici, et his similia, quasi iam haereticus, apostata et extra ecclesiam essem declaratus. Sed cum ego non verbis, sed scriptis respondere promitterem, et peterem, satis fuisse mecum anteriori die digladiatum: hoc verbum, digladiatum, mordicus apprehendit, et ridens, Fili mi, inquit, non sum tecum digladiatus, nec volo tecum digladiari, sed monere, et intuitu illustrissimi Principis Friderici paterne ac benigne audire. Hoc est (ut ego cogebar intelligere) ad nihil aliud quam ad Revocationem urgere. Displicuit enim merito stultitia mea, quod pro disputare vel contendere (quod anteriori die egimus re ipsa, si non oportet negare) digladiari dixeram, elegantius, quam tuuc res ipsa postulabat.

Interim me tacente surgit reverendus Dominus Vicarius, petens, ut me (sicut et ipse petieram) in scriptis audiret. Quod tandem vix obtinuimus, nam publicam disputationem noluit, privatim quoque negabat se mecum disputaturum. In scriptis etiam respondere similiter usque ad eam horam noluit concedere, solummodo revocandi verbum inculcabat. Quod si fecissem, non dubito omnia fuisse vel paternissime composita, benignissimus enim vir est meo iudicio, sed qui revocare libentissime audivisset.

Tertio reversus obtuli Responsiones ad obiecta

duo in scriptis, quas primo multa et inania verba [1]) dixit (sicut et nunc scribit), me admodum fatue respondisse, et implesse papyrum locis scripturae impertinentibus, seseque veram eorum intelligentiam dedisse. Verum cum dixissem tandem pro me stare, quod Extravagans dicit, Christum suis passionibus acquisivisse thesaurum ecclesiae suae, statim arripuit codicem, legit et in verbum, acquisivit, impegit, sedulo tamen dissimulans sese impegisse.

Surgens tandem dixit: Vade, inquit, aut revoces, aut in conspectum meum non revertaris. Ego vero mox abii, credens me simpliciter non reverti audere, quandoquidem propositum non revocandi firmaveram, nisi aliud docerer. Taceo, quod rumor circumferebatur, permissum esse a reverendo Patre Generali, me capiendum et in vincula, nisi revocarem, coniiciendum. Mansi tamen Augustae eodem die. Erat tum feria sexta.

Post prandium vocato reverendo Patre Vicario tractavit cum eo, ut me ad revocationem adduceret, sine mea nota, ut hic scribit, id est, cum perpetua infamia, quae solet eos sequi, qui timore hominum contra conscientiam abnegant veritatem. Quod ille quidem fecit, sed rogatus, ut scripturas mihi solveret, dicebat, supra vires suas esse, et ego, contra conscientiam meam esse revocare, nisi Scripturae mihi aliter elucidarentur. Mansi deinde et sabbato toto, nihil dicebatur, nihil mandabatur. Mansi et sequenti dominica, ubi saltem per literas adii reverendissimum Dominum Legatum, sed nihil fiebat. Mansi et feria secunda. Mansi et feria tertia. Et suspectum mihi et omnibus amicis silentium factum est. Ideo timens vim Appellatione disposita reliqui Augustam, et feria quarta recessi, confidens me praestitisse abunde arduam et fidelem obedientiam summo Pontifici, iuxta tenorem Citationis. Si quid autem ultra prosequentur, vigore eiusdem, nihil mirum, si iniuriam patiar.

---

1) In ed. Jen. hic additum legitur: esse.

Deinde vide, optime Princeps, quod vere Deus in altis habitet, et comprehendat astutos in astutia sua. Dicit enim, tria affirmaverim in hac causa.

Primo, dicta fratris Martini in Conclusionibus suis disputative, in Sermonibus tamen ab eo scriptis affirmative et assertive esse posita.

Respondeo: Si disputative posita intelligit, quid ergo me miserum et pauperem hominem tot molestiis vexant, tot sumptibus extenuant, tot criminibus et ignominiis afficiunt, tot scandala et prope schismata excitant? Sunt Disputationes (inquit): gratias ago, absolutus sum, imo et damnati sunt omnes, qui me in ius vocaverunt. Ipse enim reverendissimus dominus Legatus his verbis testis nobis sit, se frustra et iniqua ratione omnia contra me egisse, et ista quoque non sincere scripsisse. An nondum pudet eos suae tyrannidis, quam proprio testimonio tam clare confitentur? Quid enim disputationi potest obiici criminis? Quid disputatori, qualem hic me confitetur? Quid istis literis voluit? An ut nosceremus Fratrem Martinum nihil egisse, nisi disputasse? Ideoque contra eum motos fuisse eius adversarios, ipsumquemet reverendissimum Dominum Legatum, et non nisi insidiose calumniam et iniuriam ei molitos fuisse? Nam super disputatione fuit citatus, non super Sermonibus: super Sermones enim, postquam fuerat citatus, facti sunt certiores. Quos ego facilius defendam (Deo propitio) quam ipsas disputationes. Nam hic multa dubitavi et ignoravi, illic loquutus sum ex certa scientia, et non ex opinionibus.

Nunc hoc videamus, quod ea, quae in Sermonibus dixi, partim damnabilia, partim contra doctrinam apostolicae Sedis asserit. Quia scilicet ei aliud est, esse damnabile, et aliud esse contra doctrinam apostolicae Sedis. Forte quod damnabilis non est, qui contra doctrinam Sedis apostolicae loquitur. Ac sic iterum absolvor et iustificor, qui in hoc maxime et solum accusatus sum et citatus, quod contra doctrinam Sedis apostolicae fuerim locutus, id est, non damnabiliter, ut hic distinguitur.

Quam vellem, illustrissime Princeps, hanc epistolam ab aliquo Silvestro Prieriate fuisse scriptam, ut libertate plena ingenii eam liceret excutere. Ostenderem profecto, quam difficile sit, malam et sinistram conscientiam dextera operire specie. At nunc reverentia optimi et humanissimi viri cogit me bullientis cordis mei premere aestus usque in aliud tempus.

Sed hoc pati non possum, quod ex prudentissimo et acerrimi iudicii Principe nobis quendam facere Pilatum conatur. Nam cum Judaei Christum coram Pilato statuissent et interrogati fuissent, quam accusationem afferrent, aut quid mali fecisset homo ille? dixerunt: Si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Ita et hic reverendissimus Dominus Legatus, cum Fratrem Martinum Principi obtulisset multis odiosis verbis, et Princeps interrogare posset: Quid fecit Fraterculus ille? Respondet: Credat mihi, illustrissime Princeps, Dominatio vestra, quia vera loquor ex certa scientia, non ex opinionibus. Respondebo ego pro Principe, Fac, ut sciam hanc esse certam scientiam, ponatur in scriptis, formetur in literas, non vereatur publicum et lucem. Quod ubi factum fuerit, tunc mittam Fratrem Martinum ad Urbem, imo ipse eum capiam et interficiam. Tunc consulam honori meo et conscientiae meae, et non ponam maculam in gloriam meam. Donec autem illa certa sciéntia lucem fugit, et non nisi voce tantum prodit, nolo in tenebras confidere, quando nec lux satis tuta est. Sic enim ego responderem, Princeps illustrissime, verum nec doctore, nec consule eget illustrissima tua Prudentia. Nam crassae istae Italitates (ut sic dixerim) et Romanitates iam pueris quoque cantatae sunt.

Nunc iudicet illustrissima Dominatio tua, quid amplius facere debui aut debeo, per pericula tanta vitae et salutis contra omnium amicorum consilium comparui, ut et hodie dicant, me non fuisse obligatum comparere. Deinde coram reverendissimo Domino Legato reddidi rationem dictorum meorum.

Poteram legitima libertate unum verbum respondisse, nec me in aliquam examinationem dare, praesertim, cum Resolutiones meae essent oblatae et significatae summo Pontifici, ita ut ad me nihil pertineret haec causa, nisi ut exspectarem sententiam. Nam in arbitrium ecclesiae a me translatum iam reposueram, et tamen ob reverentiam reverendissimi Domini Legati passus sum ultra haec me etiam examinari. Non ego fraudulentus fui, sed vim iustissimo timore declinavi. Nihil me omisisse video, nisi sex istas literas, Revoco. Ceterum damnent, doceant, interpretentur, vel reverendissimus Dominus Legatus, vel ipse summus Pontifex, non autem dicant solum: Errasti, maledixisti, sed in scriptis signent errorem, probent maledictum, rationem, quam habent [1], reddant, dissolvant Scripturas a me inductas. Doceant sicut iactant, verbis sese fecisse, instruant doceri cupientem, petentem, volenlem, exspectantem, quae nec Turcus homo mihi negaret. Ubi videro aliter intelligenda, quam intellexi, si tunc non revocavero, et me ipsum non damnavero, illustrissime Princeps, tua Celsitudo sit prima, quae persequatur me, expellat me, obruant me viri Academiae nostrae, denique coelum et terram contra me invoco, perdatque me ipse Dominus meus Jesus Christus. Loquor et ego ex certa scientia, et non ex opinionibus, nolo mihi Dominum Deum ipsum, nolo ullam creaturam Dei mihi fore propitiam, si edoctus meliora secutus non fuero.

Quod si me Fraterculum et mendicum prae nimia conditionis meae vilitate contempserint docere et in viam veritatis reducere, age faciat tua illustrissima Celsitudo, et oret reverendissimum Dominum Legatum, ut saltem tuae Celsitudini scribat, in quibus erraverim, et quomodo me errorem emendare oporteat, ut saltem per illustrissimam tuam Dominationem audire merear, quibus rationibus, quibus autoritatibus errorem meum confutare possint. Quod si etiam illustrissimae tuae Dominationi hoc

---

1) In ed. Jen.: debent.

denegaverint, scribant id vel imperatori vel archiepiscopo alicui in Germania. Quid enim aliud possum facere? Mira res est, quod errasse arguor, et obtinere non possum (nec per tantum Principem), in quibus, et quare ipsi me errasse putent.

Videat igitur tua illustrissima Dominatio, disputationem publicam mihi negat (quam usque hodie vel Lipsiae, vel Erffurdiae [1]), vel Hallis, vel Magdeburgi, vel ubicunque tuae Dominationis valet imperium seu salvus conductus, non detrecto, quin etiam oro, et utinam exorem), privatam similiter negat. In scriptis etiam ostendere errorem negat. Quatuor illustrissimarum Academiarum iudicia recusat. Si nunc id addat, ut illustrissimi ac potentissimi Principis petitiones reiiciat, quomodo possum aliud quam meram vim et insidias suspicari?

Iterum ego quoque atque iterum, et tertio iterum rogo, illustrissi. Dominatio tua non credat iis, qui dicunt Fratrem Martinum male dixisse, antequam audiatur et doceatur male dixisse. Erravit Petrus, etiam post acceptum Spiritum sanctum, etiam errare potest unus Cardinalis, quantumlibet doctus.

Consulat igitur illustrissima Dominatio tua honori suo, et conscientiae suae, non mittendo me ad Urbem. Homo enim non habet hoc mandare illustrissimae Dominationi tuae, cum sit impossibile me tutum fore in Urbe: et id nihil aliud esset, quam illustrissimae Dominationi tuae mandare, ut traderet sanguinem Christiani, et fieret homicida, ubi nec ipse summus Pontifex satis tuto vivit. Habent papyrum et calamos et atramentum in Urbe, habent infinitos notarios, facile erit in papyrum signare, in quibus et quare erraverim. Possum levioribus expensis doceri absens per literas, quam perdi per insidias praesens.

Unum ego intimo corde doleo, quod literis suis reverendissimus Dominus Legatus oblique mordet illustrissimam Dominationem tuam, quasi fiducia potentiae Celsitudinis tuae moliar ista omnia. Sic enim

---

1) In ed. Jen.: Erphordiae.

et apud nos quidam sycophantae iactaverunt, tuae Celsitudinis hortatu et consilio me ista disputasse, cum huius disputationis nullus etiam intimorum amicorum fuerit conscius, nisi reverendissimus Dominus Archiepiscopus Magdeburgensis, et Dominus Hieronymus Episcopus Brandenburgensis. Hos enim, sicut intererat eorum ista monstra prohibere, ita privatis literis, antequam Disputationem ederem, humiliter et reverenter monui, ut super oves Christi vigilarent adversus lupos istos. Bene sciebam haec non ad Principes laicos, sed ad episcopos primum referenda. Exstat epistola mea, multorum in manus devoluta, horum omnium testis. Ista ego feci.

Sed quod nunc vellet reverendissimus Dominus Legatus tuae illustrissimae Dominationi maculam inurere, totique sanguini domus Saxoniae, et in invidiam summi Pontificis vocare, adeo homines hodie credunt Christum esse sepultum, quasi non et nunc per asinam loqui possit, et apostolis apostolicisque viris tacentibus, per ligna lapidesque clamare.

Verum opto, oro, cupio, ut illustrissima tua Dominatio in omnibus adhaereat ecclesiae et summo Pontifici, mihi vero in omnibus adversetur. Nisi id unum pro me (imo pro sancta veritate, pro ecclesiae, et pro summi Pontificis, denique pro ipsius reverendissimi Domini Legati honore, denique pro illustriss. tuae Dominationis fama quoque) supplicet, ut rationes et autoritates appareant aliquando, quibus error meus convinci putatur. Nam sine his me damnare, neque tuae illustrissimae Dominationi, neque summo Pontifici, neque ecclesiae, neque reverendissimo Domino Legato honorificum fuerit. Vivunt fideles, vivit Christus, vivunt vel homines certe, qui iudicent.

Quod vero reverendissimus Dominus Legatus illustrissimam tuam Dominationem admonet, ut, nisi in urbem me miserit, vel eiecerit e regionibus suis, Romae causam prosecuturi sint etc. In exilium ire non magnopere abnuo, ut cui undique ab adversariis meis insidias parari videam, neque facile us-

quam tuto degere possim. Quid enim ego miser et humilis monachus sperem, imo quid non timeam discriminis? Quid non metuam mali ab aemulis meis? cum ne[1]) illustrissimam quidem tuam Dominationem, quamvis tantum Principem, tantum Romani Imperii sacri Electorem, tantum Christianae religionis cultorem, non dubitent ita insigniter offendere, ut multo meliora merito minari videantur, nescio quam calamitatem, nisi me vel in Urbem mittat, vel e terris suis eiiciat.

Quapropter, ne illustrissimae tuae Dominationi quidquam meo nomine mali (quod minime omnium velim) accidat, ecce regiones tuas relinquo, iturus quo Deus misericors voluerit, et eius divinae voluntati me in omnem permissurus eventum. Nihil enim minus sequor, quam ut quisquam mortalium mea causa (nedum illustrissima Dominatio tua) vel in invidiam, vel in periculum aliquod adducatur.

Quamobrem, illustrissime Princeps, illustrissimam tuam Dominationem reverenter saluto, eique simpliciter valedico, gratias immortales pro omnibus suis beneficiis erga me agens. Ego enim, ubicunque ero gentium, illustrissimae Dominationis tuae nunquam non ero memor, futurus semper sincerus et gratus pro tua et tuorum felicitate precator.

Porro, quod ait reverendissimus Dominus Legatus, reverendum Patrem Vicarium abiisse insalutato hospite, quid hoc ad illustrissimam Dominationem tuam? Vicarius non erat vocatus, nihil ad eum causa ista pertinebat, poterat ire, redire, abire, venire omni hora ut voluit. An etiam portas Augustae ingredientibus et egredientibus propter me claudi oportebat? Sed timeo, quod undecunque corrodatur et quaeratur causa contra me. Necesse est enim quaeri causam ab eo, qui vult habere causam, ubi nullam habet causam.

Sed iam ignoscat illustrissima Dominatio tua verbosissimis nugis meis. Ego adhuc gratia Dei gaudeo et gratias ago, quod Christus Dei filius in

---

[1]) In ed. Jen. deest: ne.

tam sancta causa me pati dignum iudicaverit, qui conservet illustrissimam Dominationem tuam in aeternum, Amen.

XIX. Novemb. Vuitembergae,
Anno M. D. XVIII.
Illustrissimae Dominationis tuae
precator indignus
F. Martinus Lutherus Augustinianus.

Epistola Academiae

Vuitembergensis ad D. Fridericum Saxoniae Ducem etc. in causa Lutheri.

Illustrissimo

Principi et Domino, D. Friderico, duci Saxoniae, sacri Romani Imperii Archimarscallo, et Principi Electori, Landgravio Thuringiae, et Marchioni Misnae, Domino nostro gratiosissimo, Gratiam et pacem a Domino nostro Jesu Christo, cum sui commendatione.

Retulit nobis, illustrissime et clementissime Princeps, venerabilis vir Frater Martinus Lutherus, artium et Theologiae Magister, nostrae Academiae nobile et celeberrimum membrum, quomodo reverendiss. Dominus Legatus Sedis Apostolicae Thomas, Tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, illustrissi. tuae Celsitudini scripserit et consuluerit, ut eundem ipsum Martinum vel ad Urbem mitteret vel extra terram expelleret, propter quasdam propositiones a se disputatas, ac iam diu summo Pontifici oblatas. Addiditque quod et ad publicam sese disputationem obtulisset, vel ad privatam in scriptis responsionem, petiissetque ut errores sui in scriptis ei signarentur, adiectis rationibus et autoritatibus Scripturae et Sanctorum Patrum, quibus illustratus videre et agnoscere posset errores suos, nullum

tamen istorum obtinere potuerit, sed simpliciter ad Revocationem male dictorum suorum eum compulsum. Nec ei illud fidele Pastoris officium prius exhibitum esse, quo rationem reddere oportet omni poscenti, et non solum volentibus doceri, sed etiam nolentibus, opportune importune mandatum est instari.

Rogavit itaque atque impetravit, ut apud illustrissimam tuam Celsitudinem intercederemus et supplicaremus, quatenus illustrissima tua Celsitudo dignetur, ad eundem reverendissimum Dominum Legatum vel ipsum summum Pontificem scribere et gratiose intervenire, ut in scriptis sibi signarentur articuli et puncta errorum suorum, et adderentur vel rationes vel autoritates, quibus cognosceret sese errasse et sic revocaret, nec antea cogeretur damnare sententias, quam cognosceret esse damnandas, quum sic antiqua fuerit ecclesiae consuetudo, et Patrum sic doceant exempla, ut datis rationibus et autoritatibus ad emendationem erroris urgerent, non autem nuda sua assertione et potestate damnarent ullius dicta.

Nos itaque, illustrissime Princeps, etsi viri huius petitionem repellere non potuimus, ut iustissimam, narrationibus suis credentes, tamen ante omnia mirifice placet, quod illustrissimae tuae Celsitudini simpliciter et pure defert honorem sanctae ecclesiae et summo Pontifici, neque nos unquam aliud sapiemus. Denique id addimus, si repertus fuerit hic homo in aliquo male sensisse, erimus primi, qui eum alienum habebimus, nihil enim antiquius ducimus iudicio sanctae Romanae ecclesiae.

Idcirco id solum deprecamur, optime Princeps, et huius nostri studii, nunc Dei favore tuaque opera florentissimi, unicum praesidium, ut illustrissima tua Celsitudo non velit gravari, et postquam humillime et devotissime Romanae ecclesiae reverentiam (ut sine magisterio nostro quam optime facturam scimus) per literas exhibuerit, huius tandem hominis petitionem, praesertim ob revelandam veritatis puritatem laborantis, non obliviscatur, sed implorare dignetur lucem ei, quem in tenebris esse

dicunt, quandoquidem non negat sese in tenebris esse, optat vero illud iustissimum Christianisque dignissimum officium, ut accensa luce et datis testimoniis veritatis e tenebris educatur, et non in ulteriores tenebras detrudatur. Non quod speret unquam id facturum sanctissimum Dominum Leonem X, sed quod malignorum studia formidet, „vel sub nomine sanctae ecclesiae moliri, quod ecclesia quam maxime esset amolitura, si cognosceret. Dominus Jesus servet illustrissimam tuam Celsitudinem nobis et toti Ecclesiae suae felicem longissime, Amen.

Vuitembergae, nono Kalend. Decemb.
Anno M. D. XVIII.

Illustriss. tuae Celsitudinis
Subditi,
Rector, Magistri et Doctores
Universitatis studii Vuitembergensis.

Nova Decretalis

Leonis X. Pontificis Maximi de Indulgentiis, Anno M. D. XVIII. condita *).

In Nomine Domini Amen.

Universis et singulis praesens transsumptum seu publicum instrumentum inspecturis, pateat, et evidenter sit notum, quod anno a nativitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo decimo octavo, indictione sexta, die vero decima tertia mensis Decembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Leonis, divina providentia Papae decimi, anno sexto. Ego Petrus Antonius Berrus Parmensis, publicus apostolica autoritate Notarius, ac in Romano Archivo descriptus, constitutus in Lintz oppido, Archiducatus Austriae, in camera reverendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Thomae, Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyteri

*) Textus redditus est ex ed. Opp. Luth. Jenensi.

Cardinalis, ad Caesaream Maiestatem etc. Sedis Apostolicae de latere Legati, sita in monasterio Fratrum Conventualium S. Francisci oppidi praedicti ad infra scripta per reverendiss. Dominum, Dominum Cardinalem, Legatum ibidem personaliter constitutum requisitus, ut exemplum seu transsumptum literarum apostolicarum, de quibus infra fit mentio, et quarum tenor subinseritur, in forma authentica conficerem, easque transsumerem, et earundem veram copiam sive transsumptum facerem, et cum originalibus mihi Notario infra scripto per praefatum reverendissimum Dominum Legatum praesentatis et traditis collationarem, et facta collatione transsumptum, sive copiam huiusmodi in publicam formam redigerem, quarum literarum apostolicarum post reverendissimi Domini, Domini Cardinalis Legati earundem insinuationis exordium infra scriptum, tenor subsequitur et est talis:

THOMAS miseratione divina, Tituli S. Sixti Sa. Ro. Ecclesiae Presbyter Cardinalis, ad Caesaream maiestatem etc. Apostolicae Sedis de latere Legatus, universis et singulis Dominis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, Salutem in Domino, sinceraeque dilectionis affectum, et praesentibus fidem indubiam adhibere. Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster, Dominus Leo, divina providentia Papa, decimus, suas nobis transmisit literas, cum vera Bulla plumbea cum Cordulis ex Canopo, more Romanae Curiae bullatas, sanas siquidem et integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspicione carentes, tenorem, qui sequitur, de verbo ad verbum continentes.

Leo Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio Thomae tituli S. Sixti, ad clarissimum in Christo filium nostrum Maximilianum in Imperatorem electum nostro et Sedis apostolicae Legato, Salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, postquam Circumspectio tua Germaniam applicuerat, ad aures nostras pervenisset, quod nonnulli Religiosi, etiam ad evangelisandum verbum

Dei deputati, super Indulgentiis, a nobis et Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris ab immemorabili tempore citra concedi solitis, publice praedicando multorum cordibus imprimerent errores, idque nobis intelligere nimis grave et molestum esset, aliis nostris literis eidem circumspectioni tuae, de qua propter eius singularem doctrinam, et in rebus agendis experientiam specialem, in Domino fiduciam obtinemus, commisimus, ut autoritate nostra approbatione digna approbares, ea vero, quae minus recte dicta essent, etiam per eos, qui Rom. Ecclesiae doctrinam se sequi paratos asserent, reprobare et damnare curares.

Et ne de cetero quisquam ignorantiam doctrinae Rom. Ecclesiae circa huiusmodi Indulgentias et illarum efficaciam allegare, aut ignorantiae huiusmodi praetextu se excusare, aut protestatione conficta se iuvare, sed ut ipsi de notorio mendacio ut culpabiles convinci, et merito damnari possint, per praesentes tibi significandum duximus, Roma. Ecclesiam, quam reliquae tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse, Rom. Pontificem*), Petri Clavigeri successorem, et Jesu Christi in terris Vicarium, potestate clavium, quarum est aperire tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante sacramento poenitentiae, poenam vero temporalem pro actualibus peccatis, secundum divinam iustitiam debitam, mediante ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui caritate iungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et Sanctorum, ac tam pro vivis quam pro defunctis apostolica autoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Jesu Christi et Sanctorum dispensare, per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suf-

---

*) Nota ed. Jen.: Quam vere rugit hic Antichristus, iuxta Dani. 12. et 2 Thess. 2. collocans se supra Deum.

fragii illam transferre consuevisse. Ac propterea omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae et acquisitae Indulgentiae aequivalet. Et ita ab omnibus teneri et praedicari debere sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua illam incurrentes ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, autoritate apostolica, earundem tenore praesentium decernimus.

Et ne quispiam de praemissis valeat ignorantiam allegare, circumspectioni tuae mandamus, quatenus universos et singulos Germaniae Archiepiscopos, Episcopos, et alios locorum Ordinarios, in virtute sanctae obedientiae, et sub suspensionis a divinis poena, moneas, eisque districte praecipiendo mandes, ut praesentes literas sive earum transsumptum, infra tempus per circumspectionem tuam eis praefigendum, in eorum ecclesiis, dum inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicare, et circa Indulgentias praedictas supradicta sub simili excommunicationis latae sententiae poena tenere et praedicare debeant, et nullus contra ea quovismodo directe vel indirecte venire praesumat. Tibi nihilominus contra praesumentes et inobedientes procedendi, illosque debitis poenis, quibus tibi videbitur, puniendi plenam et liberam etiam per praesentes concedimus facultatem, in contrarium non obstantibus quibuscunque.

Et quia difficile foret easdem praesentes Literas ad singula quaeque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus et dicta autoritate decernimus, illarum transsumptis manu publici Notarii inde rogati subscriptis, et sigillo alicuius Praelati seu Personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, vel curiae ecclesiasticae, ea prorsus in iudicio et extra, ac alias ubilibet fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si fuissent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum, Anno

incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo decimo octavo, quinto idus Novembris. Pontificatus nostri anno sexto.

Bembus.

Scriptor Albergatus.

A tergo vero Literarum apostolicarum praefatarum, Registrata apud me Bembum.

Quas quidem literas Apostolicas cum ea, qua decuit, reverentia per nos acceptas debitae exsecutioni mandare, et mandatum sanctissimi Domini nostri, Domini Leonis Papae decimi, nobis in hac parte directum, omniaque et singula in praeinsertis Literis apostolicis contenta reverenter exsequi (ut tenemur) volentes, Nos Thomas Legatus Cardinalis praefatus, autoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, Literas apostolicas praefatas de verbo ad verbum praesentibus fideliter insertas vobis universis et singulis Dominis Germaniae Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis praefatis intimamus, insinuamus, notificamus, et quantum fieri potest, ad vestrum omnium et singulorum notitiam deducimus, monentes vos omnes et singulos Dominos Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque locorum Ordinarios ante dictos, et requirentes primo, secundo et tertio, vice ac nomine sanctissimi Domini nostri, D. Leonis Papae decimi, in virtute sanctae obedientiae, et sub suspensionis a divinis poena ac districte praecipientes, quatenus praefatas Literas apostolicas, sive illarum praesens Transsumptum, ac omnia et singula in eis contenta, intra mensem, a notitia praesentium publicetis, adimpleatis, et adimpleri mandetis ac faciatis, et quilibet vestrum adimpleat, adimplerique mandet et faciat, prout in dictis apostolicis literis plenius continetur.

In quorum omnium et singulorum fidem praesentes literas, transsumptum, imitationem, insinuationem, notificationem et monitionem, praemissaque alia continentes sigilli nostri minoris impressione

fecimus communiri. Et ut efficaciores essent, rogavimus Notarium publicum infra scriptum ut de omnibus et singulis praescriptis publicum instrumentum seu publica instrumenta conficeret et publicaret.

Quocirca ego Petrus Antonius Berrus Parmensis, Notarius supra et infra scriptus, Literas praefatas cum ea, qua decuit, reverentia ad me recipiens, una cum infra scriptis testibus ad haec a me specialiter vocatis et rogatis vidi, legi, et diligenter inspexi, quibus visis et perlectis vidimus seu transsumptum, atque earundem literarum praesentem copiam cum ipsis originalibus diligentissime per me auscultatam in omnibus et per omnia concordare inveni. Ideo transsumptum huiusmodi sive actum authenticum in hanc publicam formam ad praefati reverendissimi Domini Domini Cardinalis Legati instantiam et requisitionem redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi, ut eisdem tanquam Literis originalibus ubilibet in locis omnibus et singulis, quibus opportunum fuerit, fides adhibeatur plenaria et adhiberi possit, ac transsumpto huiusmodi in quocunque foro sive iudicio et extra stetur, ac si originales ipsae Literae apostolicae apparerent. Super quibus omnibus et singulis idem reverendissimus Dominus Dominus Cardinalis Legatus a me Notario publico infra scripto unum vel plura publicum seu publica confici petiit instrumentum seu instrumenta.

Acta fuerunt haec in Lintz oppido Archiducatus Austriae, in Camera praefati reverendissimi Domini Domini Cardinalis Legati sita in monasterio S. Francisci praedicto, Anno, indictione, die, mense, et Pontificatu, quibus supra. Praesentibus ibidem nobilibus viris Dominis Hilarione Ursino nobili Romano, Petro Flavio Aquilano, ac Johanne Caspare Caracciolo Neapolitano, testibus ad praemissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et Ego supradictus Petrus Antonius Berrus Parmensis, publicus apostolica autoritate Notarius, ac in Archivo Romanae Curiae descriptus, quia dictarum Apostolicarum

literarum praesentationi, receptioni, requisitioni, transsumptioni, collationi, auscultationi, omnibusque aliis et singulis praemissis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi. Ideo hoc praesens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi, una cum reverendissimi Domini D. Cardinalis Legati praefati minoris sigilli impressione, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et requisitus.

Impressum Viennae Pannoniae, cum reverendissimi Domini Episcopi ibidem assensu et voluntate.

Auscultata praesenti Copia, quia illam cum originali concordare inveni, ego Petrus Antonius Notarius, qui supra hic me propria manu subscripsi, sigillique praefati reverendissimi Domini Domini Cardinalis Legati impressione communivi, in praemissorum testimonium et fidem.

Appellatio

F. Martini Lutheri a Papa ad concilium.

1518.

Mart. Lutherus, certus Romae se damnatum iri, quoniam Caietanus Legatus ipse id Friderico Saxoniae Electori scripserat, variisque rumoribus perterritus, ne insidiae sibi inopinanti pararentur, praeveniendum Pontificem ratus nova protestatione forma iuridica usus est et, quoniam papa errare posset, Wittenbergae d. 28. m. Nov. a. 1518 ad concilium generale appellavit ab omnibus quae Pontifex adversus se decreturus esset (cf. Seckendorfii Hist. Luther. I §. 43 sq.). Quibus tamen rebus mens animusque Lutheri tunc permotus fuerit, ipse scribit d. 9 m. Dec. 1518 D. Georgio Spalatino: „Accepi heri ex Nurmberga esse in via Carolum a Miltitz, quem tria Brevia habere pontificia quidam (ut scribunt) fide dignus vidisse dicitur, ut me capiat et Pontifici tradat. Item mandat mihi per Priorem nostrum Eislebensis doctor ille, qui una cum Philippo de Feilitzsch mecum Augustae coram Legato stetit, ut caveam mihi: sese fuisse in itinere, ubi audierit quendam Cortisanum testatum sese promisisse Pontifici me traditurum. Alia quoque audio, quae omnia, sive vera sint sive in terrorem mihi simulentur, non puto contemnenda. Ideoque, ne forte praeventum occidant vel censuris obruant, omnibus dispositis exspecto consilium Dei. Appellavi etiam ad futurum concilium. (Epp. Luth. ed. Aurif. I p. 123, de Wette I p. 191 coll. ibid.

ep. ad Linkium data, Aurif. I p. 124, de Wette I, 192)." Celare voluit hanc Appellationem Lutherus eaque non nisi suo arbitrio et tempore uti, ideoque cum typographo pactus est, ut nullum exemplar distraheret, sed omnia apud se deponeret. At is lucri causa omnia fere nescio et dolente Luthero vendiderat exemplaria, priusquam unum Lutheri in manus perveniret (cf. Seckend. Hist. Luth. l. l.) Itaque ille d. 11. Dec. scribit Wenceslao Linkio (Sinistro): „Edidit impressor noster appellationem meam ad concilium multa et magna displicentia mea, sed actum est. Volui impressam apud me servare, Deus autem alia cogitat; latratores illi mire contra me latrant ubique, sed nihil proficiunt (Epp. Luth. ed. Aurif. I, 124. de Wette I, 193)", et d. 20. m. Decembris Spalatino: „Nec meum nec tuum consilium praevaluit, mi Spalatine. Nam et ego appellationem excudi quidem iussi, sed inito pacto cum librario, ne prorsus ullam ederet, sed omnes apud me deponeret, suo a me accepto pretio, ut quacunque exspectatae furiae Romani iudicii venirent, tum me recedente paratae dispergerentur. At bonus homo suis lucris intentus, cum ego exspectarem, ut afferret, prius fere omnes vendiderat, et ego novissimus omnium tandem editas cognovi. Fui satis in eum stomachatus, sed actum erat: infectum facere nequivi (Epp. Luth. ed. Aurif. I, p. 125. de Wette I p. 198).

„Leo contra decimus papa, inquit Maimburgius Jesuita (cf. Seckendorf. Hist. Luth. I, p. 58), magnum hunc Lutheranum tumultum Bulla compesci posse credens componi illam fecerat, per quam doctrina catholica de indulgentiis exponebatur et confirmabatur secundum constitutionem Clementis VI. Sed cum Legatus hanc in Germania quindecim diebus post Lutheri protestationem (i. e. appellationem) publicari fecisset, et indulgentiae iam valde invisae essent, in Saxonia potissimum, factum est, ut Bulla isthaec saltem pro utilitate Papae et quaestorum edita esse videretur, neque fere esset, qui quidquam pro iudulgentiis solvere cuperet." De

ea Bulla Seckendorfius ibid. haec tradit: „Bulla haec sive Nova Decretalis data Romae V Id. sive d. 9. Novembr. publicata est a Cardinali, ad quem directa erat, Linzii in Austria d. 13. Dec. 1518. In hac caute omissa Lutheri mentione eiusque antithesi tota de indulgentia doctrina, quanta illa qualisque ab immemorabili, ut Pontifex loquitur, tempore, id est, si ab aetate Bonifacii VIII eiusque iubilaeo, quod Clemens VI pro fundamento habuit (priores enim Pontifices eo usque progressi in distributione indulgentiarum non fuerant), calculum ducamus, paulo plus quam a ducentis annis invaluerat, sine omni moderatione, sub poena excommunicationis, quam vocant, latae sententiae, praedicari iubetur.“ Hinc patet Appellationem Lutheri ad Concilium non excitatam esse, id quod nonnulli opinantur (Loescher Ref. Acta II p. 500), hac Bulla Leonis: id enim repugnat tam epistolis Lutheri, quas modo laudavimus, quam appellationis ipsius et tempori et argumento.

Eius Bullae textum supra reddidimus ex ed. Opp. Lutheri Jenensi I p. 217, textum Appellationis recudendum curavimus secundum editionem principem, quae Basileae prodiisse videtur et in bibliotheca Scheurliana Norimbergae asservatur, cuius titulus hic est:

Appellatio FRA. Martini Luther ad Concilium, 4. In tituli pagina nec locus nec annus indicatur atque in fine tantummodo legitur: Finis, in tituli autem pagina inscriptioni ipsi additum est signum typographicum transversi folii, quale in officina Adami Petri Basiliensis inscriptionibus librorum addi solebat.

Vetustissimae huius Appellationis editiones sunt:

Appellatio fratris Martini Luther ad Concilium. Wittenbergae Anno a nativitate Millesimo quingentesimo decimo octavo die vigesima octava Mensis Novembris, 4. (Panzer IX, 71.)

Appellatio F. Martini Luther ad Concilium. 4.

Haec editio, quae ex quatuor foliis form. quartan. constat, quorum ultima pagina nuda est, et quae nec loco nec anno indicato prodiit, ter est

repetita eaeque editiones nisi scribendi ratione et literarum compendiis inter se non differunt.

Haec appellatio legitur Latine in coll. Opp. Luth. Jen. I, p. 217, Wittenb. I, p. 231, in Loescheri Reform. Act. II p. 505, Germanice ap. Walch. XV, p. 797.

Appellatio

F. Martini Lutheri ad Concilium.

In Nomine Domini, Amen. Anno a nativitate eiusdem M. D. XVIII, indictione sexta, die vero solis, XXVIII. mensis Novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Leonis, divina providentia papae X, anno sexto, in mea notarii publici testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, constitutus reverendus Pater dominus Martinus Luther Augustinianus Vuittembergensis, sacrae theologiae magister, ac ibidem lector ordinarius theologiae principalis, ac principaliter pro se ipso, citra tamen quorumcunque procuratorum suorum quomodolibet hactenus per eum constitutorum revocationem, habens et tenens suis in manibus quandam provocationis et appellationis papyri schedulam, animo et intentione provocandi et appellandi apostolosque petendi, dicens, narrans, provocans et appellans, certis et legitimis de causis, in eadem schedula contentis et comprehensis, ad Concilium proxime et immediate futurum, saltem in spiritu sancto legitime congregatum, aliis vero congregationibus, factionibus et concionibus privatis penitus seclusis protestans aliaque faciens, prout in dicta appellationis schedula plenius continetur, habetur et discribitur, cuius tenor sequitur et est talis:

Cum appellationis remedium in subsidium et relevamen oppressorum a iurium conditoribus sit adinventum, et non solum ab illatis, verum etiam ab inferendis, et inferri comminatis gravaminibus et

iniuriis iura appellare permittant adeo, quod inferior de non appellando ad superiorem statuere non possit, et manus superiorum claudere. Sed cum satis sit in professo, quod sacrosanctum concilium in Spiritu sancto legitime congregatum, sanctam ecclesiam catholicam repraesentans, sit in causis fidem concernentibus supra papam, evenit, quod nec papa in causis huiusmodi, ne ab eo ad concilium appelletur, statuere possit, tanquam id agens, quod ad officium suum non spectet ullo modo, sitque appellatio ipsa defensio quaedam, quae iure divino, naturali, et humano cuique competit, neque per principem auferri possit.

Idcirco ego Frater Martinus Luther, ordinis Eremitarum S. Augustini Vuittembergensis, sacrae theologiae Magister indignus, eiusdemque ibidem lector ordinarius principalis, principaliter et pro me ipso, coram vobis Notario publico, tanquam publica et authentica persona, ac testibus hic praesentibus animo et intentione provocandi et appellandi apostolosque petendi et accipiendi, praemissa tamen expressa hac et solenni protestatione, quod contra unam sanctam et catholicam et apostolicam ecclesiam, quam totius orbis esse magistram et obtinere principatum non ambigo, sanctaeque sedis apostolicae autoritatem ac sanctissimi domini nostri papae bene consulti potestatem nihil dicere intendo, si quid autem ex lubrico forsan linguae, sed adversariorum potius irritamento, minus recte, et non ea, qua debeat, reverentia dictum fuerit, paratissimus sum illud emendare.

Sed quoniam is, qui vicem Dei in terris gerit, quem papam dicimus, cum sit homo, similis nobis, ex hominibus assumptus, et ipse (ut apostolus dicit) circumdatus infirmitate, potens errare, peccare, mentiri, vanus fieri, nec sit exceptus ab illa prophetae generali sententia: Omnis homo mendax, nec S. Petrus, primus et sanctissimus omnium pontificum, ab hac infirmitate liber fuit, quin noxia simulatione contra veritatem evangelii incederet, ita ut rigida quidem, sed sanctissima reprehensione

apostoli Pauli opus habuerit corrigi, ut ad Galat. 2. scribitur. Quo nobilissimo exemplo per spiritum sanctum in ecclesia monstrato et in literis sacratissimis relicto fideles Christi erudimur et certi sumus, quod si quis summus pontifex eadem Petri vel simili infirmitate lapsus quid praeceperit vel decreverit, quod contra divina militet mandata, non solum obediendum ei non esse, verum etiam cum apostolo Paulo in faciem ei resisti posse, imo debere, ac velut per inferiora membra infirmitati capitis pia totius corporis sollicitudine succurri. Et in huius exempli praesentem ac perpetuam memoriam non sine singulari Dei consilio factum esse, non obscure intelligitur, ut non solum S. Petrus, sed etiam salutaris eius reprehensor Paulus sanctae Romanae ecclesiae iuxta et simul patrocinarentur, et praeessent, ne scilicet solum literis, sed sensibili quoque monumento huius summe necessarii ac saluberrimi exempli assidue moneremur, tam ipsa capita, quam nos membra. Quod si qua potentium vi armatus tantum praevaluerit, ut resisti ei non possit, unum certe illud praedictum appellationis remedium reliquum est, quo oppressi releventur.

Ad quod et ego Frater Martinus Luther praedictus modo et animo praedictis confugiens dico et propono, quod cum diebus superioribus indulgentiae a quibusdam commissariis (ut asserebant) apostolicis indiscretissime praedicarentur in regione nostra Saxoniae, adeo ut ad exsugendas populi pecunias inciperent absurda, haeretica, blasphema quaedam praedicare, in seductionem animarum fidelium et summum ludibrium ecclesiasticae potestatis praesertim de potestate papae in Purgatorium, ut continet eorum libellus, qui summaria institutio vocatur, cum tamen certum sit ex c. Abusionibus, papam non habere prorsum ullam potestatem in purgatorium, deinde una totius ecclesiae sententia omniumque doctorum consensu indulgentiae sint nihil, nisi remissiones satisfactionis poenitentialis a suo iudice impositae, ut est clarus textus c. Quod autem, satisfactio autem poenitentialis ab ecclesia-

stico iudice imposita aliud non sit, quam opera ieiunii, orationis, eleemosynae etc. ideoque clavibus ecclesiae remitti non possit, quod eisdem non fuerit impositum. Item quod certum est ex distin. XXXV. c. Qualis, quod in purgatorio non solum poena, sed et culpa remittitur. Culpam autem ecclesia remittere non potest, sicut nec gratiam conferre.

Istis autoritatibus nixus, cum disputandi more fuissem reluctatus impuris et insulsis illorum dogmatibus, coeperunt illi, lucri studio furentes, primum publicis declamationibus ad populum declarare me haereticum temeritate impudentissima, deinde apud sanctissimum dominum nostrum Leonem X. per quendam dominum Marium de Perusiis, Procuratorem fiscalem, accusare tanquam haeresi suspectum. Et per eundem dominum tandem impetrantes commissionem citandi mei in personas reverendissimorum dominorum et patrum, Hieronymi de Genutiis episcopi Asculani, causarum Camerae auditoris, et Sylvestri Prieratis Palatii Magistri, per eosdem me citari curarunt ad Urbem, ad personaliter comparendum.

Cumque ego nec Vuittembergae tutus ab insidiis tantum iter perficere non possem, nec Romae tuto consistere, et pauperculus et imbecillis corpore, deinde iudices praefati mihi multis causis fuissent suspecti, praesertim quod reverendus pater Sylvester adversarius mihi fuerit, et dialogum contra me iam ediderat, et in sacris literis minus eruditus, quam ista causa ferre possit, dominus autem Hieronymus in iuribus quoque plus, quam theologia doctus, merito timebatur Sylvestrinae theologiae concessurus, et extra modum suae professionis hanc rem habere, sollicitavi per illustrissimum principem, Dominum Fridericum, Ducem Saxoniae, sacri Romani Imperii Archimarschalcum, Langravium Thuringiae, Marchionem Misniae, ut causa ad partes committeretur, non suspectis, sed honestis et bonis viris.

Tunc illi crassa quadam et insulsa astutia instructi apud sanctissimum dominum Leonem etc. egerunt, ut causa in se ipsos, hoc est, in personam

Reverendissimi domini Thomae, S. Sixti Cardinalis, tunc in Germania sedis apostolicae Legati, transferretur, ut qui de ordine Praedicatorum, et Thomisticae factionis, id est, adversariae vel primarius, facile speraretur contra me pro ipsis definiturus, aut, ut verisimile est, certe ut huius facie iudicis absterritus recusarem comparere, et contumaciam incurrerem. Ego tamen veritate Dei fretus ad Augustam multo labore et magnis periculis veniens humaniter quidem a praefato Reverendissimo etc.[1]) susceptus sum. Qui cum posthabita protestatione mea et obligatione, qua vel publice vel privatim me responsurum obtuli, coram Notario et testibus, denique praesentibus quatuor insignibus viris Caesareae maiestatis Senatoribus, simulque subiicerem me meaque dicta sanctae sedi apostolicae, et iudicio quatuor illustrium universitatum, Basiliensis, Friburgensis, Lovaniensis, tandem et studiorum parenti nobilissimae, Pariensis, me simpliciter ad revocationem urgeret, nec vellet ostendere mihi errores meos, et quibus rationibus vel autoritatibus error a me intelligi posset, nimio scilicet suae factionis fratribus affectus, et iniquitatis faciem assumens, tandem nisi revocarem abiectis precibus et votis discendi, et informationibus petitionis[2]), minas diras ac crudelissimas vigore cuiusdam apostolici Brevis intentavit, ac ne redirem in faciem suam, imperavit.

Quibus gravaminibus laesus, tunc ab eius iniqua et violenta praesumptione et praetensa sibi commissione appellavi ad sanctissimum dominum nostrum Leonem X. melius informandum, prout in schedula huiusmodi appellationis plenius continetur. Nunc vero etiam ista appellatione (ut dixi) contempta, cum usque hodie cupiam non nisi ut ostendantur mihi errores mei, quicunque tandem id possit praestare, de quo denuo legitime protestor, paratissimusque sum revocare, si quid male dixisse fuero edoctus. Deinde totam disputationem meam sub-

1) In edit. Jen.: R. Domino Thoma S. Sixti Card. etc. 2) Ibid.: informationis petitionibus.

iecerim summo pontifici, ita ut nec ego amplius aliquid in ipsa facere habeam, quam exspectare sententiam, quam et usque hodie exspecto.

Nihilominus tamen, ut audio, et idem reverendissimus dominus Thomas S. Sixti Cardinalis scribit ad illustrissimum Principem D. Fridericum etc. in Romana Curia procedi contra me, et autoritate eiusdem sanctissimi domini nostri etc. iudices praetensos causam prosequi in damnationem meam, non attendentes meam fidelem et superabundantem obedientiam, qua tanta difficultate comparui Augustae, nec curantes oblationem meam honestissimam, qua me ad responsionem publicam et privatam obtuli, denique contemnentes ovem Christi petentem humiliter doceri veritatem, et reduci ab errore, sed simpliciter nec audita, nec reddita ratione, mera autem tyrannide et plenitudine potestatis urgere ad revocationem sententiae, quam ex conscientia verissimam iudico, et ad abnegandam fidem Christi et veram apertissimae scripturae intelligentiam (quantum mea capit conscientia) seducere volentes, cum potestas Papae non contra nec supra, sed pro et infra scripturae et veritatis maiestatem sit, nec potestatem papa acceperit[1]) oves perdendi, in luporum fauces proiiciendi, et in errores errorumque magistros tradendi, sed ad veritatem (sicut pastorem et episcopum, vicarium Christi decet) revocandi. Ex quibus me laesum, gravatumque sentiens, cum tali violentia videam futurum esse, ut nullus etiam ipsum Christum audeat confiteri, nec scripturas sacras in ecclesia sua propria profiteri, atque ita me quoque a vera, sana, christianaque fide et intelligentia in vanas et mendaces hominum opiniones violenter protrudi, et in seductorias populi Christiani fabulas urgeri. Idcirco a praefato sanctissimo domino nostro Leone non recte consulto, supraque dictis praetensis commissione et iudicibus, et eorum citatione ac processu, et omnibus inde secutis et secuturis, et quolibet ipsorum, ac a quibusvis excommunica-

1) In ed. princ.: acceperat.

tione, suspensione et interdicti sententiis, censuris, poenis et mulctis, atque aliis quibuscunque denunciationibus et declarationibus (ut praetendunt) haeresis et apostasiae per eos vel alterum eorum quomodolibet attentatis, factis et molitis, attentandis, faciendis et moliendis, ipsorumque nullitate (suis honore et reverentia semper salvis) tanquam iniquis et iniustis, mere tyrannicis et violentis, nec non a quolibet futuro gravamine, quod mihi ex eo venire poterit, tam pro me, quam pro omnibus et singulis mihi adhaerentibus et adhaerere volentibus, ad futurum concilium legitime, ac in loco tuto, ad quem ego, vel procurator per me deputandus, libere adire potero, vel poterit, et ad illum vel ad illos, ad quem seu quos de iure, privilegio, consuetudine, vel alias mihi provocare et appellare licet, provoco et appello in iis scriptis, apostolosque primo, secundo, tertio, instanter, instantius, et instantissime mihi dari peto, si quis sit, qui mihi dare hos voluerit et potuerit, et praesertim a vobis, Domino Notario, testimoniales, et protestor de prosequendo hanc meam Appellationem per viam nullitatis, abusus, iniquitatis vel iniustitiae, et alias, prout melius potero, optione mihi reservata addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, et in melius reformandi, omnique alio iuris beneficio mihi, ac mihi adhaerentibus et adhaerere volentibus semper salvo.

Qua quidem schedula coram me et testibus infra scriptis, ut praemittitur, interposita protestatus fuit, et protestabatur expresse se per se vel procuratorem, non posse ad eum accedere, a quo exstitit appellatum, tum propter metum plurimorum, sibi et vitae suae insidiantium, ac eius, a quo appellavit, tum propter viarum discrimina. Ideoque petiit sibi a me, Notario publico, cum debita instantia apostolos tales, quales sibi de iure deberentur, dari atque concedi. Cui quidem petenti dedi apostolos tales, quales sibi debentur, vel saltem testimoniales praesertim [1]) in-

1) In ed. Jen.: praesenti.

strumento publico extunc exarandos. Super quibus omnibus et singulis petiit a me Notario infra scripto unum vel plura confici atque fieri publicum vel publica intrumentum vel instrumenta.

Acta sunt haec Vuittembergae, Brandenburgensis Diocoesis, sub anno, indictione, die, mense, et pontificatu, quibus supra, regnante Divo Maximiliano Romanorum Imperatore, hora tertiarum, vel quasi, in capella corporis Christi, in parochialis ibidem cemiterio situata, praesentibus ibidem Christophoro Beehr, sacris apostolica et imperiali autoritate vicecomite, Constantiensis, et Hieronymo Papiss, Curiensis Diocoesis Clerico, testibus ad praemissa vocatis rogatisque pariter et requisitis.

Finis.

Leo Papa X. Dilecto

Filio Degenhardo Pfeffinger *), Dilectissimi Filii, nobilis viri Friderici Ducis Saxoniae, Consiliario.

Dilecte **) Fili, Salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto affectu paternoque amore sacratissimam auream Rosam, quotannis a Romanis Pontificibus quarta dominica sacratissimae Quadragesimae consecrari magno mysterio, et alicui ex primoribus Christianorum Regi vel Principi dicari et mitti solitam, hoc anno dilecto filio nobili Viro, Friderico, Duci Saxoniae, utpote suorum clarissimorum Progenitorum more de nobis et sancta apostolica Sede bene merito, utque posthac magis mereri possit, dicaverimus, ex dilecto Filio Carolo Miltitz, Nuncio cubiculario secreto ac familiari nostro, et quaedam, quae nos Sedisque praedictae dignitatem autoritatemque respiciunt, devotio tua plenius intelliget.

Scientes insuper, et merito quidem, quanta sit devotionis tuae apud eundem Ducem gratia, quantive ille salubre ac prudens consilium tuum faciat, Devotionem ipsam tuam hortamur in Domino, ac paterne requirimus, ut pro sua debita erga nos eandemque Sedem devotione et observantia recte considerans, quanto decore quove munere eundem Ducem dignum duxerimus, considerans etiam,

---

*) De Degenhardi Pfeffingeri gente ac moribus legenda sunt, quae Seckendorfius in Hist. Luth. I. p. 67 affert. **) Textus huius et sequentium epistolarum redditus est ex edit. Opp. Luth. Jen. a. 1556.

quam detestabilis sit unius Satanae filii, Fratris Martini Lutheri, nimia temeritas, quae etiam et notissimam haeresin sapit, et tanti Ducis clarum nomen, claram etiam suorum Progenitorum famam denigrare potest, eodem Carolo Nuncio nostro audito, ea eidem Duci suo sano consilio persuadere velit, per quae nostrae et dictae Sedis dignitati, et eiusdem Ducis decori recte consulatur, et dicti Martini temeritas comprimatur, et error, heu nimium gravis, qui in populo plerumque nimium credulo ita seminatur, te uno potissimum rem iuvante teque bono consultore tollatur.

In quo devotio eadem tua Deo Salvatori nostro, cuius causa agitur, rem acceptam, et nobis, qui nihil magis, quam zizaniam loliumque huiusmodi ex agro Domini exstirpare pro posse studemus, gratissimam faciet, pro qua in suis etiam piis votis et desideriis devotio eadem tua nos Sedemque praedictam magis sibi propitios inveniet atque benignos, prout ex eodem Carolo a nobis plene instructo eadem devotio plenius intelliget. Datum civitatis veteris Viterbien. Diocoesis, sub annulo Piscatoris, kalend. Januar. Anno M.D.XIX. Pontificatus nostri anno VII. Evangelista subscripsit.

Magnifico Domino

Degenhardo Pfeffinger, Illustrissimi Saxoniae Ducis consiliario, Amico nostro praecipuo.

Magnifice Domine, Amice noster carissime, cum in praesentia contingat venerabilem Dominum Carolum de Miltitz, sanctissimi Domini nostri Cubicularium, secretum istuc concedere ob quaedam suae sanctitatis negotia, noluimus illum sine nostris ad vestram magnificentiam literis proficisci. Scimus enim, quantum ob egregias eius virtutes et animi dexteritatem apud istum illustrissimum Principem valeat et autoritate et gratia, quantumque semper

rebus sanctissimi Domini nostri et Sedis apostolicae affecta fuerit.

Idcirco rogamus eandem, velit continuo in eadem sententia permanere, ac nacta occasione res huius sanctae sedis apostolicae isti illustrissimo Principi commendare, persuadens excellentiae suae, velit sancta praedecessorum suorum vestigia imitari, qui inimicos sanctae Romanae ecclesiae ubique persecuti sunt nec unquam eorum civitates et loca incolere passi sunt. Quod etiam istum illustrissimum principem facturum et sanctissimus Dominus noster et tota Romana Curia sibi persuadet, nam illud et ipsius nobilitas et candidissimi mores omnibus pollicentur.

Ceterum ipsum Dominum Carolum vestrae magnificentiae enixe commendamus, rogantes eandem, velit illum et negotia sua apud istum illustrissimum Principem fovere. In quo magnificentia vestra et sanctissimo Domino nostro et nobis satisfaciet.

Bene valeat, ex Capite Montis, V. Januarii. Anno M.D.XIX.

Vicecancellarius.

Leo Papa X. Dilecto

Filio Georgio Spalatino, Dilecti Filii, nobilis viri D. Friderici Ducis, Secretario *).

Dilecte fili, Salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto affectu paternoque amore sacratissimam auream Rosam, quotannis a Romanis pontificibus quarta Dominica sacratissimae Quadragesimae consecrari magno mysterio et alicui ex primoribus Christianorum Regi vel Principi dicari et mitti solitam, hoc anno dilecto nobili Viro, Friderico, Duci Saxoniae, utpote suorum clarissimorum Progenitorum more de nobis et sancta apostolica Sede bene merito, utque posthac magis mereri possit, dicave-

*) Conf. ed. Opp. Luth. Wittemb. I, 234 et ed. Jen. I, 220.

rimus, ex dilecto Filio Carolo Miltitz, Nuncio cubiculario secreto ac familiari nostro, et quaedam, quae nos Sedisque praedictae dignitatem autoritatemque respiciunt, devotio tua plenius intelliget.

Scientes insuper, et merito quidem, quanta sit devotionis tuae apud eundem Ducem gratia, quantive ille salubre ac prudens consilium tuum faciat, Devotionem ipsam tuam hortamur in Domino, ac paterne requirimus, ut pro sua debita erga nos eandemque Sedem devotione et observantia recte considerans, quanto decore, quove munere eundem Ducem dignum duxerimus, considerans etiam, quam detestabilis sit unius Satanae filii, Fratris Martini Lutheri, nimia temeritas, quae etiam et notissimam haeresin sapit et tanti Ducis clarum nomen, claram etiam suorum Progenitorum famam denigrare potest, eodem Carolo Nuncio nostro audito ea eidem Duci suo sano consilio persuadere velit, per quae nostrae et dictae Sedis dignitati, et eiusdem Ducis decori recte consulatur, et dicti Martini temeritas comprimatur, et error, heu nimium gravis, qui in populo plerumque nimium credulo ita seminatur, te uno potissimum rem iuvante teque bono consultore tollatur.

In quo devotio eadem tua Deo Salvatori nostro, cuius causa agitur, rem acceptam et nobis, qui nihil magis, quam zizaniam loliumque huiusmodi ex agro Domini exstirpare pro posse studemus, gratissimam faciet, pro qua in suis etiam piis votis et desideriis devotio eadem tua nos Sedemque praedictam magis sibi propitios inveniet atque benignos, prout ex eodem Carolo a nobis plene instructo eadem devotio plenius intelliget. Datum civitatis veteris Viterbien. Diocoesis, sub annulo Piscatoris, kalend. Januar. Anno M.D.XIX. Pontificatus nostri anno VII. Evangelista subscripsit.

Tituli S. Laurentii

In Damasco Presbyter Card. De Medi. S. R. E.
Magnifico Domino Georgio Spalatino, Illustrissimi Saxoniae Ducis Secretario, Amico nostro praecipuo.

Magnifice Domine, amice noster praecipue, cum venerabilis Dominus Carolus de Miltitz, sanctissimi Domini nostri Cubicularius secretus, pro nonnullis eius negotiis ad illustrissimum Principem, Saxoniae Ducem, se conferat, desiderantes sibi, quo possumus, favore et auxilio adesse, visum est nobis magnificentiam vestram, quae plurimum apud eius excellentiam autoritate et gratia valet, enixe hortari, ut non solum eiusdem Caroli rebus favere, sed eidem in nonnullis honorem et dignitatem sanctissimi Domini nostri et sanctae Romanae Ecclesiae concernentibus, quae coram melius explicabit, fidem adhibere et res ecclesiasticas praefato Principi commendare velit, per illius excellentiam praedecessorum suorum more fovendas et tuendas, in quo magnificentia vestra sanctissimo Domino nostro et nobis plurimum satisfaciet, cui nos offerimus, quae bene valeat, ex Corneto.

VII. Januarii. Anno M.D.XIX.

Anno *) a natali Christi M.D.XIX. in Germaniam ad illustrissimum Principem D. Fridericum Ducem Saxoniae, Electorem etc., missus est a Leone Pontifice Romano Carolus Miltitius, natus in familia nobili Misnensi, adferens a Leone X. Rosam, ut vocant, auream, monstratam Romae Dominica quarta quadragesimae, ut consuetudo est ibi. Etsi enim Dux Fridericus non profitebatur se defensorem esse eorum, quae contra Indulgentias ediderat D. Martinus Lutherus, tamen nec iudicem se facere voluit,

*) Haec brevis narratio de Carolo Miltitio reddita est ex ed. Opp. Luth. Jenensi, et composita esse videtur a Casparo Crucigero vel Georgio Rorario, qui Lutheri opera Jenae in vulgus ediderunt.

nec vi opprimere D. Martinum Lutherum rebus neque cognitis neque iudicatis.

Ideo Leo X. conatus est quibuscunque officiis et nunciis missis accendere Ducem Fridericum ad asperiora consilia. Exhibitaque Rosa Carolus Miltitius querelas et mandata Leonis X. exposuit, et deploravit discordiae initia et semina in ecclesia, et aperte culpam in D. Martinum Lutherum, et tecte in Ducem Saxoniae Fridericum contulit, et magnis obtestationibus petivit, ut D. Martinus Lutherus opprimeretur. Haec saepe rediens ad aulam Carolus Miltitius sedulo agebat.

Cum autem deliberaretur de responsione danda Carolo Miltitio, reverendus D. Martinus Lutherus in aedibus D. Georgii Spalatini Aldenburgi haec capita responsionis annotavit.

Primo, arguendum esse summum Pontificem, et in hunc solum totam et summam congerendam accusationem, et omnia argumenta (quorum quinque annotaverat Carolus Miltitius: 1. Populum seductum in opinione indulgentiarum, 2. Lutherum huius seductionis autorem, 3. Johannem Tetzel occasionem dedisse Luthero, 4. Episcopum Magdeburgensem impulisse Johannem Tetzel ad opus studio quaestus, 5. Johannem Tetzel excessisse modum impositi operis). Nam hic pro officio suo debuerat vel prohibere Episcopum Magdeburgensem, ne tot episcopatus ambiret unus, aut certe gratis (sicut accepit a Domino) ei conferre. Nunc quia et ambitionem illius aluit, et suam avaritiam explevit tot milibus pro Palliis et dispensatione, necessitatem fecit Episcopo pecunias isto modo quaerendi et pro Indulgentiis populum Christi foedissime deglubendi. Atque in hoc ipsum iam tertia culpa summus Pontifex eidem consensit.

Ex ista autem necessitate Episcopus coactus est eum hominem quaerere, qui pecuniarum corradendarum et populorum deglubendorum per multos annos exercitatissimus esset artifex, atque ad aliud nihil utilis. Hic tandem, ut et episcopo in vota responderet, sua quoque interim nihilominus curaret,

despumavit virtutes indulgentiarum in eam labem, quam hodie passim orbis abominatur.

Ibi primum populi miserabilem seductionem et exactionem impatienter ferens, impatientissime vero Florentinorum illorum avaritiam, qui simplicis ingenii Pontificem, in quem voluerunt portum, imo naufragium, impellunt. Nam impudentissimorum illorum avaritia pene sexcentis Tartaris insatiabilior cognita est. Ideo data aliquando in Romanam avaritiam occasione non invitus apprehendi, et ea, quae supra excusa sunt, et quae subiicientur, contra indulgentias emisi.

Ad Leonem X.

Lutheri Epistola *).

Beatissimo Patri Leoni X., Pontifici Maximo, F. Martinus Lutherus Augustinianus Salutem aeternam.

Beatissime Pater, cogit iterum necessitas, ut ego faex hominum et pulvis terrae ad beatitudinem tuam tantamque maiestatem loquar. Quare paternas ac vere Christi vicarias aures huic oviculae tuae interim clementissime accommodare dignetur Beatitudo tua et balatum meum hunc officiose intelligere.

Fuit apud nos honestus hic vir Carolus Miltitius, Beatitudinis tuae Secretarius Cubicularius, gravissime causatus nomine Beatitudinis tuae apud illustrissimum Principem Fridericum de mea in Romanam ecclesiam et Beatitudi. tuam et irreverentia et temeritate, expostulans satisfactionem. Ego ista audiens plurimum dolui, officiosissimum officium meum tam infelix esse, ut quod pro tuendo honore ecclesiae Romanae susceperam, in irreverentiam etiam apud ipsum verticem eiusdem ecclesiae ac plenam omnis mali suspicionem venerit.

---

*) Textus redditus est ex ed. Jen. 1556.

Sed quid agam, Beatiss. Pater? desunt mihi consilia prorsus. Potestatem irae tuae ferre non possum, et quo modo eripiar, ignoro. Revocationem expostulor Disputationis, quae si id posset praestare, quod per eam quaeritur, sine mora ego praestarem eam. Nunc autem, cum resistentibus et prementibus adversariis scripta mea latius vagentur, quam unquam speraveram, simul profundius haeserint plurimorum animis, quam ut revocari possint, quin cum Germania nostra hodie mire floreat ingeniis, eruditione, iudicio, si Romanam ecclesiam volo honorare, id mihi quam maxime curandum video, ne quid ullo modo revocem. Nam istud revocare nihil fieret, nisi ecclesiam Romanam magis ac magis foedare, et in ora omnium hominum accusandam tradere.

Illi illi, heu Beatissi. Pater, hanc ecclesiae Romanae intulerunt iniuriam et pene infamiam apud nos in Germania, quibus ego restiti, id est, qui insulsissimis suis sermonibus sub nomine Beat. tuae non nisi deterrimam avaritiam coluerunt, et opprobrio Aegypti contaminatam et abominandam reddiderunt sanctificationem. Et quasi id non satisfieret malorum, me, qui tantis eorum monstris occurri, autorem suae temeritatis apud Beat. tuam inculpant.

Nunc, beatiss. Pater, coram Deo et tota creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle ecclesiae Romanae ac Beat. tuae potestatem ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri, quin plenissime confiteor huius ecclesiae potestatem esse super omnia, nec ei praeferendum quidquam sive in coelo, sive in terra, praeter unum Jesum Christum Dominum omnium. Nec Bea. tua ullis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur.

Et quod unum in ista causa facere possum, promittam libentissime Beat. tuae, istam de Indulgentiis materiam me deinceps relicturum, penitusque taciturum (modo et adversarii mei suas vanas ampullas contineant), editurum denique in vulgus,

quo intelligant et moveantur; ut Romanam ecclesiam pure colant, et non illorum temeritatem huic imputent, neque meam asperitatem imitentur adversus Romanam ecclesiam, qua ego usus sum, imo abusus, et excessi adversus Balatrones istos, si qua tandem gratia Dei, vel eo studio rursum sopiri queat excitata discordia. Nam unicum a me quaesitum est, ne avaritiae alienae foeditate pollueretur ecclesia Romana mater nostra, neve populi seducerentur in errorem, et caritatem discerent posthabere Indulgentiis. Cetera omnia, ut sunt neutralia, a me vilius aestimantur, si autem et plura facere potero aut cognovero, sine dubio paratissimus ero. Christus servet Beatitudinem tuam in aeternum.

Ex Aldenburgo III. Martii, Anno M.D.XIX.

Epistola *) Erasmi

ad Illustrissimum D. Fridericum, Saxoniae Ducem etc.

Illustrissimo Principi Friderico, Duci Saxoniae, Sacri Imperii Electori, Erasmus, celsitudini tuae addictissimus salutem ac fecilitatem.

Illustrissime Princeps, tametsi mihi nunquam

---

*) Redditus est textus huius epistolae ex libro, qui ante disputationem Lipsiae habitam nec loco nec anno indicato typis excusus in vulgus exiit et cuius titulus hic est:

Contenta in hoc libello: Erasmi Roterodami Epistola ad illustr. Principem ac Ducem Saxoniae etc. Fridericum. Positiones Joannis Eckii scholasticae. Positiones Martini Lutherii theologicae. Conclusiones Andreae Carolostadii theologicae. Ad lectorem. Habes hic, lector optime, ad illustriss. Saxoniae ducem, Rom. imp. electorem, Fridericum, prudentissimum principem, Erasmi Roterdami prudentissimi scriptoris epistolam, qua vir ille vere theologus benignissimo studiorum Maecenati primum literas meliores earumque professores commendat, deinde Martini Lutherii causam paucis attingens in re scrupulosa sic ver-

contigit, illustrissimam celsitudinem tuam intueri coram aut alloqui, quod ego sane non in minima infelicitatis meae parte numero, tamen inflammatus omnium praedicatione, miro consensu cum eximias tuas dotes vel summo dignas imperio, tum mirificum quendam animum erga bonas literas provehendas laudibus vehentium, atque in me quoque peculiariter et eximie propensum, ausus sum Caesarum vitas per me recognitas tuo dicare nomini, nihil aliud venans aut captans a sublimitate tua, nisi ut ei disciplinarum optimarum studia redderem commendatiora aliquoque pacto testarer, me tanti Principis ultroneo favori mutuo quodam amore respondere.

Porro, quo minus volumen ad te miserim e Basilea, nam illic opus excusum est, in causa fuit, quod cum iter esset ingens, id enim temporis agebas Vuittenbergae, non dabatur certus quispiam, cui tuto committi posset. Mox vero visum est supervacaneum, mittere librum, qui nusquam gentium non esset evulgatus. Libuit tamen interim hasce literas velut exploratrices mittere, quarum indicio cognoscam, gratane fuerit nostra sedulitas, an secus. Si parum feliciter cessit audacia, dabitur opera, ut, quod hic admissum est errore, alias sarciatur. Neque dubito, quin singularis illa tua et nulli non praedicata clementia culpam eam facile condonatura sit, animo sedulo certe propensoque, cui, si iu-

---

satur, ut nec temeritatem in pronunciando nec praevaricationem in patrocinando calumniari possis, qua parte miraberis Erasmici stili popularem libertatem. Porro Lutheriana causa quorsum sit evasura, forsan patebit ex eventu scholasticae disputationis, quam Lipsiae vicesima septima mensis Junii die fore iamdudum inter partes convenit. Quisquis ergo rari conflictus spectator esse cupis, fac hospes in tempore adsis. Bene vale.

Exemplar huius libri, cuius margines tituli paginae signis typographicis ornati sunt, nobis benignitate D. Adolphi de Scheurl, professoris Erlangensis, ex bibliotheca Scheurliana Norimbergensi ad textum huius epistolae reddendum praesto erat.

dicium defuit, studium non defuit demerendi magnitudinem tuam.

Sin bene cessit, quod ausi sumus, non aliud officii praemium poscimus, nisi ut pergas favere melioribus literis, iam passim per nostram [1]) Germaniam efflorescentibus, atque hanc quoque laudis partem tuis asserere, quae fortassis non minus dignitatis sit allatura, vel patriae vel principibus [2]), quam hactenus peperit bellicae rei gloria. Ea felicitas nobis continget, si et principum benignitas fovebit optimarum literarum professores, ac iuvenum ingenia, quae spem non vulgarem de se praebere videntur, et autoritas adversus μισομούσους istos, ac veteris inscitiae tyrannidem, omnia armorum vi pertinacissime tuentes, sit nobis praesidio. Quid enim non moliuntur hostes devoti bonorum studiorum? quas non technas? quas non sycophantias? quas non insidias comminiscuntur? quibus non cuniculis conantur obrepere? quas non admovent machinas? quae non tela in nos torquent letali veneno tincta? quae conspiratio? quam arctum inter istos foedus ad confligandas [3]) literas? quas, quia pueri non didicerunt, pudet senes discere, quod [4]) minore pene opera discere potuerint, quam impugnant. Quam hic concordes sunt, qui nusquam consentiunt, nisi ad laedendum? quam hic habent ingenium, ad meliora stupidi? quam hic vigilant, ad bene merendum oscitabundi?

Prodiere nuper lucubrationes aliquot Martini Lutherii, simulque rumor allatus est, hominem supra modum gravari autoritate reverendissimi Cardinalis S. Sixti, qui apud Suevos Romani Pontificis agit legatum. Ut hic protinus exsilierunt? ut gestierunt? ut gavisi sunt, occasionem, ut ipsis visum est, maxime optandam [5]) esse datam laedendi bonas literas? Nam, iuxta Graecorum proverbium, improbis praeter occasionem nihil deest, quae videlicet

1) In ed. Jen. additum: etiam. 2) Ibidem additum: ipsis. 3) Ibidem: profligandas. 4) Ibid.: cum. 5) Ibidem: opportunam.

nocendi facultatem praebeat iis, quibus adest perpetua nocendi voluntas. Continuo sacrae apud populum conciones, scholae, conciliabula, convivia nihil aliud crepabant, quam haereses et antichristos. Atque huic tam odioso negotio, praesertim apud mulierculas et indoctam plebeculam, miscuerunt homines callidi trium linguarum, eloquentiae politiorisque literaturae mentionem, quasi aut Lutherius *) his praesidiis fideret, aut ex hisce fontibus haereses nascerentur. Haec impudentia plus quam sycophantica, cum optimis quibusque displiceret, tum [1]) ut bellum inventum probabatur quibusdam, qui se theologiae antesignanos et Christianae religionis columnas existimant. Et vide, quam studio caeci nostris blandimur vitiis, atrocem contumeliam, imo facinus haeresi proximum ducimus, si quis theologum rabulam, quales sunt non pauci, pro theologo ματαιολόγον nominet. Ipsi nobis ignoscimus, cum apud frequentem populum haereticum et antichristum vocamus, cuicunque succensemus.

Lutherius mihi tam ignotus est, quam cui ignotissimus, út suspectus esse non queam quasi faveam amico. Huius lucubrationes nec tueri meum est, nec improbare, ut quas hactenus non legerim, nisi carptim. Certe vitam hominis nemo, qui novit, non probat, quae, cum longissime absit ab omni suspicione avaritiae atque ambitionis, et morum innocentia vel apud ethnicos favorem invenit. Quam non congruit mansuetudini theologicae protinus ac ne perlecto quidem libro tam immaniter debacchari in nomen ac famam probi viri, idque apud imperitam plebeculam, quae prorsus caret iudicio, praesertim cum ille disputanda proposuerit, cum omnium iudicio sese submiserit, quorum oportuit, et quorum non oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo revicit tamen[2]) vociferant[3]) haereticum, seditiosis clamoribus ad lapides provocant. Dicas eos sitire sanguinem huma-

---

*) In cd. Jen.: Lutherus etc.

1) Ibid: tamen. 2) Ibid.: tantum. 3) Ibid.: vociferantur.

num, non salutem animarum. Quo invisius est haereseos nomen auribus Christianis, hoc minus committendum est, ut temere in quemquam impingatur. Non statim quivis error haeresis est, neque protinus haereticum est, quidquid huic aut illi displicet. Neque semper fidei negotium agunt, qui praetexunt huiusmodi splendidos titulos. Imo plerique suum agunt negotium, vel quaestui suo consulentes, vel tyrannidi, quum [1]) praecipiti laedendi studio saepe criminentur in alio, quod ipsi domi probant.

Denique cum tot sint veteres ac neoterici scriptores, nec horum quisquam adhuc repertus[2]) sit, in cuius libris non fateantur inesse periculosos errores, cur reliquos taciti placatique legimus, in unum aut alterum tam atrociter saevimus? Si veritati patrocinamur, cur non ex aequo offendit, ubicunque reperitur, quod veritati repugnat? Sanctissima res est, fidei religionisque sinceritatem tueri, sed sceleratissima res est, praetextu defendendae fidei nostris servire cupiditatibus. Si quidquid in scholis receptum est, oraculum haberi volunt, cur inter se scholae dissentiunt? cur scholastici doctores inter sese pugnant ac digladiantur? Imo, cur in eadem Sorbona theologus a theologo dissentit? Imo, perpaucos reperias, qui consentiant, nisi conspirarint. Ad haec non raro deprehenduntur damnare in recentium libris, quod in Augustino aut Gersone non damnant, quasi veritas cum autore mutetur. Eos, quibus favent, sic legunt, ut omnia torquentes nihil non excusent, quibus infensi sunt, sic legunt, ut nihil non calumnientur.

Optima christianismi pars est vita Christo digna. Quae sum suppetit, non debet esse facilis haereseos suspicio. Nunc quidam nova comminiscuntur fundamenta, sic enim vocant, hoc est, novas leges condunt, per quas docent, haereticum esse, quidquid non placet. Quisquis alterum haereseos accusat, ipse praestare debet mores Christiano dignos, cari-

1) In ed. Jen.: quin — criminantur. 2) In edit. princ.: receptus.

tatem in admonendo, lenitatem in corripiendo, candorem in iudicando, lenitudinem in pronunciando. Cum nemo nostrum careat erratis, cur alienos lapsus tam inclementer insectamur? cur malumus vincere, quam mederi? cur opprimere, quam docere? At ille, qui solus omnium omni caruit errore, non comminuit baculum confractum, nec exstinguit linum fumigans. Augustinus de Donatistis plus quam haereticis agens non vult eos cogi, sed tantum doceri, et ab horum cervicibus magistratuum gladios depellit, quorum sicis ipse quotidie impetebatur. Nos, quorum proprium munus est docere, cogere malumus, quia facilius.

Haec, illustrissime Dux, eo scribo liberius, quo minus ad me pertinet causa Lutheriana. Ceterum, ut tuae celsitudinis est, Christianam religionem pietate tua protegere, ita prudentiae est, non committere, ut quisquam innocens, te iustitiae praeside, sub praetextu pietatis aliquorum impietati dedatur. Vult idem Leo pontifex, cui nihil magis est cordi, quam ut tuta sit innocentia. Pater vocari gaudet nec amat eos, qui sub ipsius umbra tyrannidem exercent. Neque quisquam magis paret animo pontificis, quam is, qui, quod aequissimum est, exsequitur. Quid istic de Lutherio sentiant, nescio. Certe hic video libros illius ab optimis quibusque cupidissime legi, quamquam mihi nondum vacavit evolvere. Bene valeat eadem tua celsitudo, quam nobis diu incolumem [1]) florentemque servet Christus optimus maximus *).

Antverpiae XVIII. Calend. Maias.
Anno a Christo incarnato M.D.XIX.

---

1) In ed. Jen. additum: felicem

*) Nota edit. Jen.: Multae admodum sunt Epistolae Erasmi, in quibus mentionem facit causae Lutheri, quia eas volet legere, evolvat opus epistolarum eius.

Principis Electoris

Saxoniae Ducis Friderici Responsio ad Erasmum Roterodamum *).

Dei Gratia Fridericus, Dux Saxoniae, Sacri Romani Imperii Archimarscallus, Princeps, Elector et Vicarius, Landgravius Thuringiae, et Marchio Misnae, S. P.

Quamvis non dubitemus, Erasme eruditissime, te ex literis nostris Jodoco Jonae ad te nuper proficiscenti datis plane cogniturum, tuam erga nos singularem istam benevolentiam, ut alioqui, ita in dedicatione Suetonii et aliorum historicorum illustrem nobis esse gratissimam, respondendum tamen tuis existimavimus, ad nos Antverpiae XVIII. Calend. Maias scriptis, cum ob alia non pauca, tum quod eruditissimae simul et elegantissimae tuum erga nos, sinceram [1]) et veram Christi eruditionem et evangelicam veritatem studium et amorem pientissimum iam pridem nobis exploratum fecerunt perspectiorem.

Est, ut scribis, mira osorum melioris doctrinae conspiratio in id solum idonea, ut bonis, piis et probe literatis noceat.

Non damnari ab eruditis causam Lutheranam et Doctoris Martini lucubrationes ab optimis quibusque istic cupidissime legi, laetamur, eoque magis, quod plerique bonorum et eruditorum in nostris quoque Regionibus et Principatibus, nedum externis, hominis tam vitam et mores, quam eruditionem miro consensu laudant. Quod enim hactenus in Saxonibus nostris degit, non tam homini, quam causae dedimus, nihil minus unquam conati, quam ut dignos praemiis poena premeret. Neque Deo omnipotente

*) Textus huius responsionis redditus est ex ed. Opp. Luth. Jenensi, T. I, p. 222.

1) In ed. Jen.: tuam erga nos sinceram etc.

iuvante committemus, ut nostra culpa innocens quispiam sua quaerentium impietati dedatur.

Ad haec, Deo autore, bonis literis et rectis studiis, et eorum tam professoribus, quam studiosis non minus in posterum favebimus, quam hactenus favimus. Id quod pro praecipua nostra erga te gratia latere te noluimus in praesentiarum. Bene vale, doctissime Erasme.

Ex Arce nostra Grimnensi, Pridie Idus Maias. Anno M.D.XIX.

Lutheri
Epistola ad Monachos conventus Jutterboccensis
et
Defensio contra malignum Joannis Eccii iudicium

super aliquot articulis a Fratribus quibusdam ei suppositis.

Monachi Franciscani, qui sunt strictioris Observantiae et quos Minoritas vocant, mense Aprili a. 1519 conventum in oppido Jüterbock prope Wittembergam celebrantes theses XIV, quas ex Lutheri scriptis ac sermonibus hausisse se profitentur, tanquam haereticas pronunciaverunt et per litteras ad Episcopum Brandenburgensem detulerunt querentes, quod Lutherus tunicam Christi inconsutilem discinderet. Insuper etiam Bernhardus, Lector horum monachorum Ord. Minorum, episcopi Brandenburgensis Vicario per litteras tradidit, Wittembergae se cum Luthero collocutum esse et ex ore eius octo gravissimos errores suis auribus percepisse. Quibus rebus auditis Lutherus acerrimo scripto, Dominica Jubilate (d. 15. m. Maii) 1519 dato, illis inscitiam et malitiam exprobravit et quaedam ad dicta a Lectore crimini sibi data respondens minatus est, nisi revocarent, quae adversus se vulgassent, se eos ita tractaturum, ut id ordini eorum non futurum esset honorificum (cf. Seckendorfii Hist. Luth. I, p. 70, Walchii introd. in T. XVIII, 97, Loescheri Reform. Act. III, p. 114).

Franciscani ipsi initio quidem quatuordecim tantum articulos contra Lutherum proposuerunt, postea autem Eccius, quum illos in vulgus ederet, his unum addidit, post quintum enim interseruit hunc, cuius verba haec sunt: „Dicit etiam (Lutherus), quod Deus exigeret summam perfectionem a quolibet Christiano et observantiam totius evangelii.“ Quo factum est, ut quindecim articuli a Fratribus Minoritanis Jutterboccensibus in editionibus Operum Lutheri adscripti ei legantur, et Seckendorfius in Historia Luther. I, p. 70 Jutterboccenses quindecim articulos malae, ut putabant, notae excerpsisse narret.

Quatuordecim articuli propositi leguntur in ed. Opp. Luth. Wittemb. I, 239 et in Loescheri Reform. Act. Tom. III, p. 115, quindecim in ed. Opp. Luth. Jenensi I, p. 214. 226.

Epistola Lutheri ad Monachos Jutterboccenses data legitur latine in ed. Opp. Luth. Wittemb. I, p. 238, Jen. I, p. 224, apud Loescher T. III, p. 116 et germanice apud Walch. XVIII, p. 1671 sqq.

Separata huius epistolae editio non prodiisse in lucem videtur: huius itaque textum reddidimus ex ed. Opp. Lutheri Jenensi, in qua, ut supra dixi, quindecim articuli Jutterboccensium leguntur.

Monachi Jutterboccenses, fortasse Lutheri comminationibus perterriti, ad Lutheri epistolam nihil omnino responderunt, sed totam rem Jo. Eccio, a quo ipsi ad impugnandum Lutherum instigati credebantur, reliquisse videntur tractandam. Joannes Eccius igitur hos Jutterboccensium articulos commentatione illustravit ac defendit, et commentationem suam episcopo Brandenburgensi tradidit. Quo audito Lutherus statim contra Eccium et Jutterboccenses defendere se constituit, sed, quum typographia ei deesset, impeditus est, quominus quod volebat extemplo perficeret. Scribit enim ille d. 18. m. Aug. a. 1519 Spalatino: „Ceterum Eccius officium facit neque boni neque liberalis viri in omni loco: dedit Episcopo Brandenburgensi articulos a se commentatos, quos fratres Jutterboccenses in me conflaverunt mendaciter. Homo

est impudens et perfrictae frontis, nihil non asserere, idemque rursus deserere promtus, utut sese aura gloriolae obtulerit. Unum spectat, si per fas et nefas possit Wittembergae nocere, cui iam occurro et sycophantam istum cum suis mendaciis in publicum traham Deo propitio. Interim Episcopus Brandenburgensis altera parte non audita Eccii mendacia invulgat, suoque nomine illis autoritatem apud multos parat, in mei nominis iniuriam, pulchre ostendens, quid animi huc usque in me aluerit. Timeo, quod vix agere possim, ne simul eum involvam ac eius inscitiam et temeritatem Eccianae consanguineam prodam. Cooperantur ei miro modo fratres minores de observantia: nobis solum typographia deest, quo citius invulgemus contraria (Luth. Epp. ed. Aurif. I, p. 206. de Wette I, p. 323.)." Paulo post quae Lutherus secum constituerat erant confecta, nam iam d. 3. m. Sept. 1519 scribit Jo. Lango Erfurdiensi: „Lottherus Lipsiae mihi cudit contra Eccium libellum apologeticum, ubi refello XIII articulos a fratribus Minoribus Jutterboccensibus mihi impositos et per Eccium invidiosissime confutatos in nomen meum: ego rursum eis XXIV articulos impono et fervet negotium (Luth. Epp. ed. Aurif. I, 208, de Wette I, p. 328)."

Monachi Jutterboccenses de Lutheri proposito adversus ipsos scribendi certiores facti illum rogaverunt, ne id faceret, et Lutherus, si iam fieri posset, morem iis gerere non gravabatur. Scribit enim Spalatino d. 22. m. Sept. 1519: „Misit ad me Fratres seu Patres satis spectatos Provincialis Minorum, intercepturus causam meam ad Jutterboccenses, quos iam eunt punituri et a loco moturi. Ego dedi eis responsum, si Lottherum Lipsiae queant exorare aut indemnem eum servare, ego in gratiam eorum libello meo spongiam mitterem. Atque id agitur: nescio, quid efficitur (Luth. Epp. ed. Aurif. II, 3. de Wette I, p. 336)." Monachi sero rem egerunt, nam iam d. 30. m. Sept. Lutherus Francisco Günthero (quem parochum Jutterboccensem fuisse credunt) haec scribit: „Mitto tibi exemplaria contra Eccium

et Fratres illos apud vos: et quamquam apud me fuerint eorum legati, rogantes ut spongiam obducerem huic libello, et ego datis ad Lottherum litteris indulsi quod petebant, nescio tamen quo casu non effectum sit quod voluerunt. (Epp. Luth. ed. Aurif. I, p. 209. de Wette I, p. 338)."

Nos textum huius libri reddidimus ex editione principe, cuius titulus est:

Contra malignum Johannis Eccii iudicium super aliquot articulis, a fratribus quibusdam ei suppositis, Martini Lutheri Defensio. (Paulo inferius in tituli pagina additum legitur:) Errores item haeretici XXIV. Ex Eccii fratrumque dogmatibus consectanei (s. l. et a.). In fine tantummodo legitur: Finis.

Ex formis typographicis, quibus tituli paginae ornati sunt margines, facile colligi potest, hunc libellum ex officina Melchioris Lottheri Lipsiensis prodiisse, et in bibliotheca Scheurliana, ex qua nobis exemplar quod laudavi praesto erat, libris intersertus est, qui anno 1519 prodierunt.

(cf. Panzer Annal. typ. IX, 101. v. d. Hardt Autogr. L. I, 87).

Alia exstat editio originalis huius libri, cuius titulus, nullis marginum ornamentis insignitus, hic est:

Contra malignum Johannis Eccii iudicium super aliquot articulis a fratribus quibusdam ei suppositis, Martini Lutheri defensio. Errores item Haeretici XXIV ex Eccii fratrumque dogmatibus consectanei. 4. s. l. et a. Paginae ultimae dimidium fere nudum est.

Legitur latine hic libellus in coll. Opp. Luth. Basiliensi a. 1520 (m. Jul.) p. 336, in ed. Wittemb. I, p. 356, in Jen. I, 214, in Loescheri Ref. Act. III, p. 856 sqq., germanice apud Walch. XVIII, p. 1679 sqq.

Venerabilibus Patribus

et Fratribus Conventus Jutterboccensis Ordinis Minorum.

Salutem et pacem. Oblatae sunt mihi duae schedulae, venerabiles Patres, quarum una ad Reverendiss. D. Episcopum, dominum nostrum gratiosum Brandenburgensem, a toto conventu missa, meum nomen foedissime conspurcat, et aliquot Propositiones verissimas impudenti temeritate arguit erroneas esse. Ego sane fui satis admiratus, quod vos, qui observantiae titulo inflamini, et populi vos salvatores iactatis et tunicae inconsutilis zelatores, adeo fueritis obliti evangelii, ut non ante Fratrem monueritis, inter te et ipsum (ut inquit*)) solum, ac magis voluistis detractores alieni nominis, tum, quod foedius est, iudices alienae sententiae autoritate propria fieri. Est ista superbia et petulantia religionis vestrae et observantiae modus?

Verum, ne reddam malum pro malo, optionem vobis do. Aut revocate hanc temeritatem, et reddite mihi nomen meum, aut ego publicabo per impressuram hanc vestram schedulam, adiecta confutatione vestrae ignorantiae, quod non erit honorificum Ordini vestro. Vos, qui vestrae observantiae ritu studia contemnitis, et literas sponte vultis nescire, sed tantum visionibus et cogitationibus vestris populum occupare, decebat, ut sileretis, et alios studere permitteretis. Mea doctrina tribus annis in Universitate nostra assidue est agitata, discussa et iudicata, disputando, legendo, docendo, praedicando, scribendo, cum acutissimis et diligentissimis viris, necdum inventa reproba. Et nunc post fornacem vestri conventiculi ab uno aut duobus stertentibus Fratribus, qui magistrum forte viderunt aliquando, et cognoverunt nunquam, debet haeretica damnari? Videte, ne vos inveniamini haeretici, et omnino ta-

*) Matth. 18.

les, qualem me et meos criminati estis. Mihi non erit difficile (Deo propitio) defendere mea dicta contra vos, sed vobis interim et Ordini vestro parcam, donec audiam, quid sitis facturi.

Omitto, quae Lector vester Bernardus, caput ineptissimum, blaterat ad vicarium Episcopi de scissura inconsutilis tunicae, quasi ecclesia ideo sit peritura, si Thomas aut Bonaventura repudientur. Quis servavit ecclesiam, antequam Thomas et omnes Monachi essent in rerum natura? Deinde homo suavis disputationem privatam se habuisse confitetur, in qua solemus libere et familiariter loqui, et tenere, quae etiam non praedicaremus. Et nihilominus hanc ipsam detractor iste in accusationem vertit, et nobis imponit, quod laici quaerunt: Ubi in evangelio dicatur de confessione et ieiunio? Videte hunc venenatum insidiatorem. Cur non et alias quaestiones laicorum mihi imponit, aut etiam vetularum crepitus? Verum, ut dixi, accipite aut pacem aut bellum, ut volueritis. Attamen, ut superabundanter agam, brevibus hic rationem signabo coram eorum, quae cum Lectore vestro audio fuisse disputata.

Primo dicitis fuisse dictum, quod Deus praeceperit homini impossibilia. Respondeo: Cur ergo Paulus Rom. 8. dicit, fuisse impossibile, non tantum nobis, sed etiam legi, ut iustitia fieret? Ideo necesse fuisse, ut Christus moreretur? Legite B. Augustinum de perfectione iustitiae, et invenietis vos potius errorem schismaticum et pestiferum docere, quando negatis, homini esse impossibilia praecepta. Aut dicite, Si sunt possibilia, ad quid necessaria est gratia? Aut illuditis et irridetis misericordiae Dei beneficium?

Denique cur oratis: Fiat voluntas tua, si per vos potestis facere voluntatem Dei? Pudet me tam crassae vestrae temeritatis, quod hanc Christianissimam doctrinam appellatis pestiferos et perniciosos errores.

Secundo errorem dicitis, quod Deus exigit a quolibet Christiano summam perfectionem et totum evangelium.

Primum quaero ab insigni vestra prudentia, quibus sit evangelium datum, lapidibus an lignis? Si hominibus, cur ergo non tenentur praecepta Dei tenere, quando Christus dicit, Ne unum iota praeteriturum? Doleo miro modo vos Inconsutilistas et Tunicastros sic desipere, ut negetis homines esse debitores servandae voluntatis et praeceptorum Dei. Et nunc demum dubitandum ac disputandum sit, an obedire oporteat praecipienti Deo? O furor. Igitur omnes debemus totum evangelium et omnia praecepta, sed quia non possumus, ideo sumus peccatores, et currimus ad thronum misericordiae Dei. Haec est B. Augustini sententia in tota parte octava. Vos autem homines a misericordia trahitis ad iudicium, dum non sinitis eos sese agnoscere peccatores et praeceptorum Dei debitores.

Tertio, quod nulla sunt Consilia, sed omnia evangelii sunt praecepta. Haec invidia et nequitia vestra mentita est. Illi enim sic dixerunt: Praecepta sunt ultra Consilia, et: Praecepta sunt plus quam consilia, quia consilia sunt quaedam media, quibus facilius implentur praecepta, ut virgo et vidua aut caelebs facilius servat praeceptum: Non concupisces, quam coniugatus, qui concupiscentiae aliquo modo cedit.

Quarto, quod Canones docent luxuriam, avaritiam, superbiam, et quod sunt contrariae Scripturis sacris. Et hoc Leviathan vester sic addidit et pervertit. Nihil enim recte accipit unquam invidia. Illi dixerunt, quod Canones et Decretales olent seu sapiunt aliquando superbiam et avaritiam, hoc est, quod ii, qui statuerunt, aliquando quaesierunt, quae sua sunt, plus quam caritatem. Hoc vos dicitis docere superbiam. Rogo vos: Non potest superbus et avarus praedicare veritatem, et tamen sic praedicando olere, quaerere lucrum? Sicut vos in hac schedula, etiamsi vera dixissetis, tamen fraternam invidiam et asininam inscitiam olerent vestra verba. Deinde hoc verum est, quod Canones saepissime abutuntur Scripturis, et torte exponunt in alium sensum quam suo loco habent.

Et quid hoc mirum? Nonne et vos tunicam inconsutilem et ecclesiae unitatem hic accepistis in contrarium sensum? Sed pro vestra stulta opinione, sine qua ecclesiae unitas recte stabit, legite C. translato de constitutione lib. 1. et videte, an recte ibi Papa dicit sacerdotium Christi in Petrum translatum, quod apostolus ad Ebraeos de sacerdotio Aaronis in Christum dicit.

Sed vos nec legitis quidquam, multo minus intelligitis, et adhuc iudicare vultis de doctrinis, idem de libero arbitrio, quod nullum est teste B. Augustino. Non enim potest nisi malum facere, nunquam autem bonum, nisi gratia adiutum. Ergo se solo non est liberum, sed servum peccati, ut Augustin. lib. 2. contra Julianum docet. Sed rogo vos, cohibete temeritatem vestram, ac desistite ab insulsis vestris somniis, nimis nihil sapitis in doctrina Christiana. Estote pro vobis Sermocinistae, sinite nos doctores sanctos legere.

Quinto, quod Laico habenti autoritatem (Scripturae) plus sit credendum, quam Papae, quam Concilio, imo quam Ecclesiae. Hoc etiam Juristae docent, ut Panormitanus c. Significasti. Et adeo est catholicum, ut Augustinus in multis locis hoc pro regula habeat legendi autores. Nec fuit nullus tam foedus haereticus, qui hoc negaret, nisi novi isti haeretici omnium temerariissimi Jutterboccenses Observantini, qui fronte sua meretricia sacratissimas Patrum doctrinas, quas nunquam legerunt, pronunciant pestiferas, absurdas, alienas a catholica doctrina. Nonne haec est in Spiritum sanctum blasphemia?

Sexto, quid Thomas praedicarit, nescio, nisi quod iterum video vestram malitiam prodere se ipsam. Nam cum ille in generali Praelatos carpserit Papas et Episcopos, quod utique non solum licet, sed etiam debet fieri, nisi Scripturas velitis negare et prohibere, ubi Christus fures, latrones, lupos reprehendit. Vos autem ei audetis pro culpa imponere, quod tunc recte fecissetis, si ille aliquem nominasset individualiter. Nunc autem detractatores et ca-

lumniatores estis, quia nihil legitis nec intelligitis. Quidquid autem allegatis, totum secundum cerebrum vestrum accipitis et secure pronunciatis. Quando satisfacietis illi et nobis pro tam gravi detractione?

Septimo, iterum vos proditis, dum Magistrum Franciscum accusatis, quod de literis Confessionalium docuerit stuppae retiaculum facere et prohibuerit bona opera, confessionem et ieiunia. Nec pudescitis ipsi vos fateri, quod talia ipse negavit vobis. Vos autem ad detrahendum accensi, accusatis eum de iis, quae ignoratis, quae ipse negat, quae aliorum relatu audistis. O intolerabilem et pestilentem temeritatem. Cur non exspectastis, donec sciretis? Cur non os virulentum cohibetis, nec ei neganti magis creditis publice, quam aliis narrantibus? Est ista caritas vestra? Didicistis hoc ex Regula vestra? Quid faceretis, si et nos publice vos accusaremus de magnis horrendisque monstris, quae vulgo de vobis iactantur? Novus mos accusandi ex aliorum relatu, ex propria suspicione, ex temerario iudicio Fratrem negantem nec convictum accusare.

Si laici quaerunt de ieiunio aut confessione ex evangelio, recte faciunt. Et vos tenemini ad responsionem, debetis enim scire evangelium. Si non potestis respondere, desinite iis, qui possunt, detrahere.

Ultimo, quod Lector nunc negavit Papam solum esse Vicarium Christi, et Petrum esse principem apostolorum in potestate, et nullum esse casum reservatum iure divino, recte dictum est. Sed, ut video, nescitis, quid sit ius divinum vel ius humanum, et estis in utroque iudices cum fiducia, iure divino (ut D. Hieronymus multis locis probat) apostoli omnes sunt aequales, episcopi omnes sunt aequales. Imo addit idem Hieronymus, quod Presbyter et episcopus iure divino sunt idem. Quid hic facietis? An Hieronymum comburetis? An ipse quoque tunicam inconsutilem scindet vobis? Legite eum in Epistola ad Evagrium et in commentariis ad Titum et Ephesios, et videbitis ve-

stram negligentiam et temeritatem. Igitur Papa solum humano iure est Vicarius Christi, sicut etiam Romae scriptum est in ecclesia, matre omnium, Lateranensi.

In fine exspecto vestram Responsionem quantocius, ut sciam, an cervices vestras velitis inclinare, an erectis contra veritatem pugnare. Ego, ne dubitetis, vos egregie tractabo, et omnibus exponam miram vestram sapientiam. Bene valete, et Dominus det vobis recte sapere et velle, Amen. Si vultis esse amici, ero gratissimus, sin non vultis, age facite quod facitis. Ego nomen meum et verbum Christi non deseram, credite firmiter.

Vuitembergae Dominica Jubilate,
Anno M. D. XIX.
F. Martinus Lutherus Augustinianus.

Articuli

a Fratribus Minoritanis Jutterboccensibus Doctori Martino Luthero adscripti.

I. Nihil tenet de conciliis generalibus, quia non repraesentant universalem ecclesiam.

II. Papam negat Vicarium Christi.

III. Petrum negat principem apostolorum.

IV. Canones dicit institutos propter avaritiam summi Pontificis et aliorum Pontificum, quia nullus esset casus reservatus de iure divino.

V. Nulla dicit esse consilia evangelica, sed omnia, quae in evangelio sint, dicit esse praecepta.

VI. Dicit etiam, quod Deus exigeret summam perfectionem a quolibet Christiano, et observantiam totius evangelii.

VII. Confessionem Sacramentalem dicit non esse de iure divino, sed ex institutione Innocentii III.

VIII. Canones dicit docere avaritiam, superbiam, luxuriam.

IX. Hominem dicit non habere liberum arbitrium.

X. Multos Canones contrarios sacrae Scripturae, eamque extorte exponentes.

XI. Quod plus sit credendum simplici laico Scripturam alleganti, quam Papae vel concilio Scripturam non alleganti.

XII. Dicit non esse necessaria bona opera.

XIII. Deum praecepisse homini impossibilia.

XIV. Christus nihil sibi meruit, sed tantum nobis.

XV. Bohemos esse meliores Christianos nobis.

Contra Malignum

Johannis Eccii Judicium super aliquot articulis, a fratribus quibusdam ei suppositis, Martini Lutheri Defensio.

Errores item haeretici XXIV. ex Eccii Fratrumque dogmatibus consectanei.

F. Martinus Lutherus Bono Lectori S.

Legimus in evangelio, Judaeos, quando Christum perdere quaerebant, nec haberent in quo accusarent, verba eius captasse atque depravasse, et crimina adversus eum mendaciis suis composuisse. Quale est, cum reddenda quae sunt Caesaris Caesari docuisset *), quod homicidae illi in aliam partem rapientes criminati sunt, eum prohibuisse tributa dari Caesari: ita cum illos templum suum soluturos praediceret in signum, illi templum Dei ab eo solvendum et in triduo reaedificandum interpretantes tanquam blasphemum accusarunt.

In tales et ego, mi lector, novos quosdam sanctos nuper impegi, qui eadem invidia languentes, cum Christi verbis per me expositis resistere non possent, coeperunt mendosos aliquot articulos effingere mihique adscribere, ut ipsos veros damnarent.

Et, ut totam noscas fabulam, sunt nobis fini-

*) Matth. 22.

timi quidam fratres, qui cum auditoribus meis ad se vocatis familiariter congressi privato colloquio super doctrina mea contenderunt (nam, ut sunt homines de Deo penitus desperantes, fame se perituros timent, nisi populum suis naeniis ac fabulis, vel a se vel suae farinae fratribus excogitatis, sibi conciliarent). Quos cum neque convincere, neque eorum doctrinae resistere possent, collegerunt articulos, quos ex eo colloquio male apprehenderant, sparserunt eos ubi poterant, obtulerunt sub nomine meo magnatibus, ac iam vulgo quoque me traduxerunt.

Ego qui eorum ruditatem miseratus haec floccifeci, sciens quod non modo citra, sed contra quoque voluntatem suorum, tum maiorum, tum omnium, qui eiusdem professionis sunt, id tentarunt. Scripsi tamen eisdem, primum benevole monens, ut sibi temperarent, ne forte incendium novum contra se ipsos conflarent: aut si fiderent suo ingenio et scientiae, proximam sibi Vuittebergam venirent, disputaturi ac confutaturi errores meos. Simul addidi, qui essent falsi, et qua ratione quique intelligendi. At fratres, non hoc quaerentes, quo veritatem agnoscerent, sed quomodo me detractionibus et calumniis opprimerent, speraverunt fore, ut Ecciana autoritate ex mendaciis veritatem facerent, et quod male ac temere tentarant, illius nomine publice ornarent.

Eccius vero occasionem adversus me insaniendi libentissime pro modestia sua amplexus, informationes effutivit super eosdem velut gaudens ac gratulans, quod me proscindere in tergum neque monitum nec cognitum liceret. Huc enim maligna eius invidia ab initio nominis mei semper spectavit. Similem namque ludum et in virulentis Obeliscis suis iam antea in me luserat, quem ego iam diu benevolentissime nisi ei ignovissem, talem forte orbis Eccium spectaret, ut Silvester meus eius comparatione et doctissimus et speciosissimus haberetur. Nam mihi non est difficile, Eccium Eccianamque

scientiam suis pingere coloribus, qui norim hominem intus et in cute, qui, ut lupus ad philomelam dixit: Vox est, ac praeterea nihil.

Ego vero, etsi indignior sum, quam ut his Christi Domini mei tentationibus conformer, qui inferna millies merui, tamen quando sic placitum est in oculis misericordiae Dei, non abiiciam gratiam eius, et cum invidia invidisque ac malevolis calumniatoribus libenter negotium habebo, non minore fiducia veritatem contra mendacia defensurus, quam illi praesumpserunt mendacia contra veritatem producere.

Quare te, lector carissime, rogo in hac re, nec mihi, nec Eccio, nec fratribus illis faveas, sed purae et simplici veritati purum et a studiis partium alienum animum adverte, solumque id specta, non quam multa illi vel ego adduxerimus, sed quam apte, quam proprie, vel ad sacram Scripturam, vel ad iustam rationis opinionem. Quod a te hoc nomine quam enixe peto, quod mei moris sit, non adeo multa, sed eadem proprie et quantum fieri potest, apte ad rem adducere.

Eccii contra unicus scopus sit, quam plurima eademque tum peregrina, tum pugnantia producere, solum ut multa saliva coacta multum spuat, nulla prorsus ratione habita, unde, qua, quid aut quo valeat quod loquitur, neque enim mihi in istis Sophistis aliud aeque displicet, quam quod dedita opera a verbis sacrae Scripturae fugiunt. Quorum unus mos est dicere: Sancti sic dixerunt, numquid tu maior es patre nostro Abraham?

Tu vero, lector, illud Augustini utrinque adhibeto fidelissimum documentum, quo dicit: Ego solis eis libris, qui canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum scriptorem eorum errasse firmissime credam, ceteros vero, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, ita lego, ut non ideo verum existimem, quia ipsi sic senserunt, sed si canonicorum librorum autoritate, vel probabili

ratione mihi persuadere potuerunt. Hoc est, quod B. Paulus quoque dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete*).

Has sancti spiritus regulas Eccius meus semper et egregie contempsit, verba textus in sacris literis prorsus pro fabulis habens, quo fit, ut neque scripturas ipsas, neque Patrum, quos iactat, sententias recte possit aut intelligere, aut aptare, et hac temeritate impleat illud Pauli 1. Timo. 1.: Volentes esse legis doctores, cum ignorent, neque quid loquantur, neque de quibus affirment. Quae omnia, an vere de Eccio dixerim, iam ecce tu ipse, lector, clare videbis.

Ceterum, quod in Eccium mihi invehendi digna esset occasio, quia pactum, quod tanto tumultu nobis Lipsiae extorsit, ipse primus hoc maledicae scriptionis genere sine causa rupit, interim dissimulabo, contentus, quod foedifrago et maledico calumniatori coactus sum respondere, gaudensque, quod non mihi, sed suae temeritati imputare cogitur pacti laesa iura. Vale, optime Lector.

Articulus primus.

Nihil tenet de conciliis generalibus, quia non repraesentant universalem ecclesiam.

Hunc non esse meum, credo intelligit, quicunque Resolutiones meas et Dialogum contra Silvestrum legerit, quando id unice deploro ac gemo, nos dignos non esse videre legitimum concilium. Ut taceam, quod ipsa fraternalis latinitas, a tropo meae locutionis abhorrens, satis indicat, invidiae commentum esse. Sed Eccius, si boni viri voluisset officio fungi, fratres compescere debuit, aut fratrum Mercurios, et sententiam meam (quam utique noverat) ostendere. Nunc vero, ut ostendat se gaudere alienis malis, addit super dolorem vulnerum, et virulenta mendacia fratrum **) confirmat,

*) 1. Thess. 5. *) Minoritarum in Juterbock.

eo ipso, quo non compescit, praesertim non audita parte altera. Certus enim sum, hoc nolle ipsum a me sibi fieri, quod ipse facit mihi. Neque patiar eum se expurgare, quod meam personam non designatam a se forte dicet. Non enim alio studio nomen meum his suis larvis ineptissimis interseruisse credi potest, quam ut haec monstra mihi inureret, tantus est homini ex maledicta gloria invidiae morbus.

Credo autem auditores meos forte dixisse, concilium generale saepius errasse, et errare posse, tum quod rara sunt concilia illa legitime generalia, quale Nicenum fuit, hoc enim dicentes verissime dixerunt. At illi pro rusticitate sua ex particulari mox intulerunt universalem, omne videlicet concilium reprobatum assumentes. Hoc autem eo facilius credo, quod multa similia mihi ab eisdem impacta sunt, nam cum docerem opera quaedam bona male fieri, mox criminati sunt, quod omnia opera bona negarim. Et cum Sanctos invocari pro pecunia et re temporali parum Christianum esse docuissem, statim invidia magistra iactaverunt, me cum Pighardis negare Sanctorum culturam. Adeo his Eccianis theologis placet error et populi Christiani seductio, ut eos pro ventre suo non pudeat etiam apertae veritati resistere. Ita concilium quodlibet negari a me mentiuntur, ubi aliquod unum vel errasse vel errare posse dixi: digni plane discipuli Eccio magistro.

Articulus secundus et tertius.

Papam negavit vicarium Christi.

Petrum negavit principem apostolorum.

Hic vide, quaeso te, lector, an Eccium meum debeas theologum an sophistam existimare.

Primum fraternalis invidia articulos non integre posuit, omittens hanc partem (iure divino), nam si hanc addas, catholici sunt articuli.

Sed Eccii videamus inaestimabilem et vere Eccianam eruditionem, assumens enim articulos con-

futandos, iure divino, multam sane evomit probationum crapulam, autoritates Scripturae et Patrum sic tractans, ut appareat a convivio, et a calicibus hanc crapulam ab eo eructatam.

Primo probat ex promissione Petro facta, Matth. 16: Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo etc. Hoc est iuxta Eccium, Tu es vicarius Christi, et apostolorum princeps, iste est enim modus Scripturae interpretandae apud Eccium. Neque enim aliter decet eum, qui grammaticam insigni fastidio contemnens grammatistas et pulverulentae scholae magistros appellat, qui suas lamias in sacris literis non adorant. Sed videamus sophistae impias verborum Christi depravationes.

Principio hoc verbum Christi: Tu es Petrus etc. oportet quod habeat unum, primum, principalem et proprium sensum, in quo Christus ipsum protulit. Hic autem vel est iste, quod per petram intelligitur Christus ipse, vel apostolus Petrus, uterque principalis esse non potest, quia ex duobus sensibus nihil probari potest. Si utrumque Eccius confitetur, iam prorsus nihil probat, quia qua facilitate ipse per petram Petrum, eadem ego Christum accipiam. Imo non licet, nisi bono moderamine, quod infra dicam, verbum Scripturae de Christo dictum alteri tribuere. Si autem alterum tantum sequitur, scilicet, quod petra sit Petrus, nec simul permittit alium quoque valere, iam impius depravator est Eccius, quod demonstro.

Primo, quod nusquam in sacris literis Petrus petra dicitur, sed Christus ut 1. Corinth. 10: Petra autem erat Christus, et Matth. 7. comparabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram, et infra: Fundata enim erat super petram. Adducat ergo Eccius etiam vel unum locum Scripturae, ubi Petrus dicatur petra. Plus mihi valet unus locus Scripturae, quam omnes doctores per Eccium adducti, quamquam nec ipsos recte adduxit, ut videbimus.

Secundo, etiam in praesenti loco Christus manifeste distinguit Petrum a petra, nam si vellet per petram intelligi Petrum, dixisset: Tu es Petrus et super te aedificabo ecclesiam meam, at cum repetit

petram, manifeste indicat, aliud esse Petrum et aliud petram, quam per pronomen, hanc, secernit a Petro, demonstrat et exprimit. Et sic ex textu praesenti facile prohibebo, ne Eccius possit ostendere, Petrum esse petram, sed et textum, ipse pessime sibi conscius, ob hoc maxime fugit, quod sentit eum contra se stare, nec posse quidquam ab eo promoveri per ipsum. Ideo ad doctores fugit.

Tertio, quaero, an Petrus sit pars ecclesiae, si est pars ecclesiae, ergo non potest esse petra in hoc loco, quia Christus dicit: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quare Petrus, cum ecclesia aedificatur super petram, et non est petra ipsa, nisi Ecciano interpretandi more idem super se ipsum aedificari garrias. Videsne, quid sit relictis verbis Scripturae Patrum dicta sine iudicio legere? Aut ergo Petrus non est petra, super quam ecclesia aedificatur, aut non est pars ecclesiae, quae aedificatur super petram.

Quarto, verbum aedificari verbum spiritus est, significans per fidem incorporari et crescere in Christo. Ideo non sine pravitate cogi potest ad potestatem regendae ecclesiae, quae sine fide geri potest, nam potest tam papa quam subditus malus esse. Quare prorsus nihil ad rem pertinet tota ista autoritas, quae nihil de primatu aut potestate regiminis (quae sine fide haberi possunt), sed de fide in Christum solum sonat. Sicut et Matth. 7: Fundata enim erat super petram, ubi loquitur de persecutionibus. Sed constat, quod potestas regiminis, qua fundat Eccius ecclesiam, nihil potest in persecutionibus (cum et ipsa patiatur), sed fundatio fidei in Spiritu super Christum servat. Ita 1. Petri 2. docet Petrus, ut super Christum aedificemur domus spiritualis.

Expostulo ergo ab Eccio, ut mihi unum etiam locum ostendat Scripturae, ubi aedificare significet suum somnium de regimine. Quod ubi non fecerit, nihil est, quod Patrum dicta sine textu, sine iudicio profert. Non enim licet claro textui contradicere per quorumcunque autoritatem.

Sed et illam sequelam, qua dialectica didicerit, vellem scire, Ecclesia aedificatur super aliquid (ut Petrum), ergo illud est vicarius Christi, et princeps apostolorum. Ergo, si supra fidem aedificabitur (sicut verum est), fides est vicarius Christi, at hunc vicarium quis videbit? Non ergo Petro hic regimen promissum est, ut depravator caecus errat, sed ecclesiae constructio in spiritu fidei descripta, in cuius Petrus persona confitetur petram, claves accipit, ut unaminiter dicunt S. Patres.

Jam secundo probat, Petrum esse iure divino vicarium Christi, aeque digno Ecciana sapientia argumento, videlicet ex nominatione, quia primus nominatur inter apostolos, Matth. 10. Putasne anxium istum sophistam vehementer gavisurum fuisse, si potuisset invenire, Petrum fuisse primo ad apostolatum vocatum? Nam qua gloria Eccius ex nominationis ordine Petro primatum tribuit, eadem alius ipsum Andreae tribuet ex vocationis ordine, cum sit prior Petro in vocatione, praesertim cum ad hoc autoritas sit Pauli apostoli, qui ideo antecessores et magnos apostolos vocat, quia ante se fuissent vocati. Surgat itaque Andreae aliquis tutor, sicut Eccius Petri, et nominationi Petrinae obtendat vocationem Andreae, et videbis apparere, Andream esse primum.

Doleo theologiae titulos in haec ridicula commenta et aniles nugas descendere, quasi ideo aliquis sit potestate superior, quia nominatur prior, cum sic quamlibet rem mundi oporteat esse altera maiorem, quia potest primo nominari. Nonne inter cardinales, episcopos, imo ut in Scriptura maneamus, Ruben *) prior est inter patriarchas nominatus, et tamen non iure divino eorum fuit maior. Et Stephanus prior nominatur inter diaconos, ergo iure divino rector eorum. Et Lucas ante Johannem in evangeliis, Marcus ante Lucam nominatur, ergo rector eiusdem. Sed et Jacobus post Petrum ante Johannem nominatur, ergo Jacobus rector erit Jo-

*) Gen. 49.

hannis, iure divino. Et ultimus apostolorum a penultimo regetur, quia, quae ratio primi ad secundum, eadem erit secundi ad tertium. Tum vide cahos magnum quaestionis, Petrus, Jacobus, Johannes, suo ordine nominantur frequentissime, at Matth. Andreas locum secundum habet, Philippus tertium, Bartholomaeus quartum.

Sed piget pudetque me tam insulsae dialecticae Eccii, ex ordinis primitate potestatem regiminis inferentis. Quid tum dicet ad Paulum Gala. 2, qui Petrum postponit Jacobo minori, episcopo Hierosolymitano? Ergo Jacobus ex nominatione erit rector, tenet consequentia ab autoritate Eccii, per novam dialecticam. Sed et Johannis 20. Andreas primus et nominatur et vocatur ante Petrum. Itaque vides, quam soleat Eccius ludere in sacris literis, quodvis ibi aliud, quam veritatem quaerens.

Tertio probat Eccius egregius eundem primatum ex solutione tributi, Matth. 17. Nisi esset sibi de errore et defectu veritatis conscius, putasne, tam anxie, tam ridicule quaereret suffragia? Quantis eget mendacium, ut verum videatur. Ista sane anxietas satis magnum argumentum est, se teste conscientia suscepisse mendacii patrocinium. Non eget veritas simplicissima et aperta tam extortis ac violentis suffragiis, sed ipsa sibi satis est.

Ad rem.

Gratias Eccio, quod Petrum solum aequatum Christo dicit in tributo dato, nam nunc discimus, Petrum Christo aequalem, cuius prius didicimus esse inferiorem et vicarium, ita in arbitrio est Eccii, ex Petro facere quodcunque visum est.

Obsecro, cur non vidit aut oblitus est, quod aequalitas passionis, aequalitas miraculorum, aequalitas verbi et multa alia, Petrum non fecit principem, quarum quaelibet multo maior est, quam aequalitas tributi dati? sed et omnes homines aequales sunt in humanitate, quae est omnium summa et admiranda aequalitas, ex qua omnis dignitas hominibus, et tamen nulli ex hac sequitur primatus regiminis.

Quid vero, si aequalitas ista census indicet minoritatem Petri, ut quia apostoli alii liberi a censu fuerunt, ut et textus indicat, quod censum dare sit non filiorum regis, sed servorum et inferiorum, ideo Christus cum Petro se subiecit inferioribus, quod aliis apostolis non praecepit, sed et apostoli, cum idem argumentum conciperent, quod Eccius, suspicantes Petrum ob id primum fore, coeperunt quaerere, quis esset maior. Acceperunt autem solutionem argumenti eiusdem per interemtationem[1]) sequenti capitulo, prohibiti, ne quis maior inter eos esse cuperet.

Apostoli autem solutionem quidem acceperunt, sed Eccius forte maior apostolis, et etiam Christo, inconclusibilis, non est contentus solutione Christi, adhuc versat quaestionem, et determinat partem contrariam Christo, laudabili more Scholasticorum, et invenit cum suis mendacibus Sophistis novum genus illusionis (distinctionis volui dicere) sacrae Scripturae, dicens, Non maioritatem ibi prohibitam, sed ambitionem, cum eadem ratione dicendum sit, non servitutem, sed cupiditatem servitutis praeceptam, quando dicit Christus: Qui vult maior esse, sit vester servus. Iste enim est mos impiorum istorum depravatorum. Itaque autore Eccio non est necessarium, ut serviamus invicem, sed sufficit, ut cupiamus servire, sicut opus est non ambire maioritatem, est tamen maioritas adeunda.

Sed facessant larvae lamiarum et nocturni Eccii lemures, Christus occasionem ambitionis amputavit, tollens maioritatem, et praebet occasionem humilitatis, imponens servitutem. Ille ergo maior est in ecclesia, non qui multa ditione dominatur, sed qui multa humilitate servit. Iste est sensus purus evangelii, si venena Ecciana excluseris, cuius ingenium est Abimelech *) imitari, et caesis de saltu zelmon ramis ignem facere, seu, ut Isa. 44., de ligno Scripturae sibi idolum facere, dum unum lo-

---

1) In ed. Jen.: interpretationem.

*) Judi. 9.

eum apprehendit, praecedentia et sequentia penitus contemnens.

Quis vero non rideat, si Dominus et servus aliquo casu simul capiantur, simul solvunt censum aequaliter, statim hunc servum ceteris omnibus servis Dominum fieri hoc ipso casu. Sed ista mendicitas suffragiorum indicat Eccianam esse causam pessimam.

Quarto probat eundem primatum ex confirmatione ei commissa, et indefectibili fide, Luc. 22: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Nec opus est, ut Eccius verba ista ponderet, quid velint, sed iuxta suam dialecticam inferat, quodcunque voluerit, quia ad necessarium sequitur quodlibet. Quare et hic syllogissat, Confirma fratres tuos, ergo Petrus est omnium princeps, prima pars est necessaria, quare quodlibet sequitur, nova, ut dixi, dialectica.

Obsecro, quid hoc ad primatum Romanae ecclesiae, quod Petri fides non sit defectura? An fides et potestas regiminis sunt idem apud Eccium? ergo quicunque habent fidem Petri, sunt principes, vicarii Christi, habent autem omnes fidem Petri, quia omnes credunt, quod Petrus, sicut Paulus Ephe. 4. dicit, Una fides etc. Non enim de fide Petri personali locutus est Christus, quia haec cecidit, sed de fide ecclesiae, quam Petrus tenebat, nam et ego fidem Petri habeo, et, ut 2. Corinth. 4., habentes eundem spiritum fidei. Haec, inquam, fides nec cadit, nec deficit unquam, quia in Petro deficiens orta est in latrone.

Jam confirmare accipitur dupliciter (ut et ego distinguam), uno modo, ut confirmationem potestatis significet, qua hodie episcopi facta, verba confirmantur. Hoc modo Ecciana larva accipit hoc loco. Alio modo pro exhortari et consolari tribulatos et afflictos, ita hic Christus accipit, quod ex verbo Christi liquet: Et tu aliquando conversus etc. ut scilicet lapsos corroboraret verbo.

Hic patet, quod nulla potestas traditur, sed officium fraternum et caritatis commendatur, quod nemo

illorum quaerit, qui primatum regiminis quaerunt, quod sine primatu ipsum impleri potest, tam ad inferiores quam superiores, et aequales. Ergo generali sententia nos omnes in uno Petro docemur, exhortari infirmos et consolari lapsos.

Sed age, retorqueamus in ipsum autorem ineptias suas nugas. Si per verbum, confirmare, datur primatus Petro, iam nullus est successor Petri, nisi confirmet fratres suos, ipse primo conversus et indefectibilem fidem habens. Aut ergo necessaria erit papae fides, et exhortandi officium, aut his verbis prorsus nihil potest gaudere, nec successor Petri haberi. Et ubi tunc erunt pontifices, qui iam multis annis non confirmaverunt, sed fide et verbo inanes solum fulminibus confregerunt substantias fratrum, bellis, dolis, censuris, plus quam tyranni consumpserunt? Hos necesse est Eccius fateatur non fuisse successores, quare nec pontifices. Ita fit et iusto Dei iudicio excaecentur Eccius et sui discipuli, dum divinas literas de spiritu fidei et officio loquentes trahunt ad dignitatis pompam, labantur in pestilentissimos Donatistarum et Pighardorum errores, ut, si non volunt negare verba Christi, cogantur affirmare malos pontifices non fuisse pontifices, nec successores Petri.

Arrigat ergo aures grammaticae contemptor. Hic Christus apertis verbis Petro, non nisi converso, non nisi indefectibili fide credenti, imponit non dignitatem, sed officium confirmandi. An nova Eccii grammatica docendi sumus, fidem non deficientem significare potestatem regiminis? Quare successor Petri non erit, nisi conversus fideque praestans confirmet lapsos. At quis hominum ab his oneribus non fugiat?

Aliis ergo verbis iste otiosus dignitatis ac potestatis primatus statuendus est, haec verba fidem et officium Petri postulant, quod si Petri et successoris, aut nihil ad eum pertinent. At quis nos certos faciet, quisnam conversus fide praestet? Relinquitur ergo his verbis, generalem omnibus tradi doctrinam, nihil Petro externi principatus conferri.

Quare textus est quaerendus, qui non de fide aut conversione Praelatorum, sed de sola potestate loquatur, quae sine fide esse possit, qualis est illa Roma. 13: Omnis potestas a Deo etc.

Similiter dicemus de tributo, quod Petri successor non sit, nisi qui aequaliter Christo et Petro *) solverit imperatori et principibus mundi tributa. Ubi ergo manent ecclesiarum privilegia? Videsne, quantum impiae Eccii glossae aperiant foramen laicis principatibus? Nam si tributi aequalitas probat primatum in Petro, debet etiam eundem probare in suo successore, ne sit Christo inaequalis et Petro dissimilis. Qua sapientia Eccii quid aliud discimus, quam omnes pontifices fuisse impios et haereticos, qui statuerunt de rebus ecclesiae non alienandis, censu, tributo, vectigali liberis. Denique funditus haec Ecciana sententia subruit ius canonicum.

Aut confitebitur Romanos pontifices Petro inaequales, et per hoc non Petri, nec Christi, sed aliorum potius apostolorum esse successores, qui non solverunt. Ita fit, ut quandoquidem tributi pensio honoris et dignitatis fuisse in Christo et Petro asseritur, successio Petri stare non possit, nisi clerici omnes subiiciantur potestatibus temporalibus, maxime Romanus pontifex, quem prae ceteris convenit aequali honore et dignitate cum Petro fulgere, hoc est, omnium maxime subesse in temporalibus pensionibus.

O Eccium tutorem Romanae ecclesiae, quo clamore me persequeretur, si hoc cahos malorum fuissem adortus contra privilegia Romanae ecclesiae? Adeste ergo, principes terrae, utimini iure vestro, evangelium vobis, autore Eccio, tribuit, ut pontifices Petri successores esse non possint, nisi vobis pendant[1]) tributa, imo auxilio vestro cooperemini, augete dignitatem et honorem illorum, id est, ut plus quam ceteri Christo et Petro aequales sint, plus pendant [1]) omnibus aliis.

Sed huc rotari debet, qui spiritus sancti verba

---

*) Matth. 17.
1) In ed. Jen.: pendeant.

in suas nugas molitur transformare. Vides iam, hac ratione Eccium omnes articulos Vuicleff et Huss, omniumque Bohemorum asseruisse, defendisse decreta, omnesque Decretales evacuasse, concilium Constantiense articulorum damnatorum caput damnasse, et mirabili circulo id lusisse, ut, dum pro ecclesia contra Bohemos pugnat, velut insanus contra ecclesiam pro Bohemis triumphat.

Tertio et illud: Tu es Petrus etc., quando verba Christi sunt aperta, non cuilibet, sed beato Simoni Bariona, qui revelante Patre Christum cognoverat et confessus fuerat, dictum est: Tu es Petrus, Tibi dabo. Non permittam hoc Eccio meo, ut hoc verbum ulli alteri aptet, quam ei, qui similis sit Petro, habens Christi revelationem, et spiritum sanctum. Nam talem successorem Petro haec verba quaerunt, nec quidquam faciunt ad successorem, sine fide Petri, qui aliis quam istis verbis statui debet. Quare iterum Eccius Donatista et Pighardus cogitur dicere, malos pontifices non esse pontifices, aut hunc textum ad malos non pertinere, sed tantum ad bonos; at bonos certos [1]) nemo novit.

Quare in persona ecclesiae ipsa per Petrum dicta oportet intelligi, nec habet Eccius, quod hic obtendat, nisi forte maiores insanias. Cum enim primatus Papae sit res neutra, potens administrari tum a bonis, tum a malis, textus autem hic non de re neutra, sed necessaria, scilicet fide, loquatur, deinde primatus res temporalis et externa, fides res spiritualis et interna, clarum puto cuivis, quam apte Ecciana temeritas haec verba de primatu exponat.

Sed et ipse sentiens Chrysostomum sibi contrarium addit, quod Petrus pro apostolis responderit, tamen os et vertex apostolorum dicitur. Hoc enim volui, quod Petrus sit os apostolorum, et pro apostolis respondet, quod et Hieronymus hoc loco dicit, ergo non in persona sua, sed omnium loquitur. An non Eccius delirat, quod haec pro persona Petri inducit contra me, quae ipsemet fatetur pro

---

1) In ed. Jen.: certe.

me, in persona apostolorum, cum Petro fuisse gesta. sed, ut dixi, Eccio non fuit cura, quam bene, sed quam multa diceret, nec rarum illi est, simul pro se et contra se dicere.

Quinto probat ex Bernardo, quod Johann. ulti. per mare totus mundus significatur, subiiciendus Petro, qui in mari ambulavit.

Quid audio? Mare significat mundum, et Petrus super mare ambulat, ergo est princeps apostolorum et vicarius Christi, imo, quo sit huius dialecticae novae festivior consequentia, Petrus ambulat super mare, ergo successor Petri est dominus mundi.

Primum docendus est Eccius per Augustinum, quod figura nihil probat, quare, sive mare significet mundum, sive coelum, oportet mundi vocabulum expresse poni ad literam, et ibi ostendere, Petrum ambulare super mundum, nisi forte grammaticorum contemptor pro arbitrio suo quodlibet per quodlibet intelligere doceat.

Secundo, Esto, mare mundum significet, vide dialecticum insignem, Petrus ambulat super mundum, ergo est princeps apostolorum. Ex quo sequitur, quod apostoli sunt mare et mundus, quia Petrus super eos ambulat, id est, praelatus est eis. Sic Eccius. Si autem apostoli sunt mare et mundus; Petrus quid est? Nondum, quaeso, frons meretricis pudescit a tam insulsis deliriis suis.

Tertio quid, si verius per mundum significantur vitiosi affectus, quibus inquietamur, velut mare? At hos affectus, hunc mundum, hoc mare, cum quilicet Christianus calcet, et suspenso fidei gradu superambulet ad Christum in littore gloriae stantem. sequetur, quemlibet Christianum esse papam. Et Eccius iterum Donatisabit ac Pighardisabit, papam non esse, qui mare non calcat, id est affectibus mundanis non imperat, quia Petrum non refert, nec sequitur.

Quod si mare conculcare sit aliud nihil, quam super homines dominari, sine affectuum suorum imperio tantum externa pompa fulgere, quid prohibet etiam imperatorem temporalem esse Petri successo-

rem, cum et ipse super mare hoc ambulet, potestate dominante, sic Eccii temeritas, quae ad scripturas perdendas nata videtur, audet.

Sexto probat ex commissis ovibus, Johann. ulti., ubi papam constitutum dicit a Domino, secundum Chrysostomum et Gregorium, hoc est, secundum lemures et somnia Eccii, cum nec nomen papae in Chrysostomo et Gregorio facile invenias, sed videamus, haec enim ultima est Eccii autoritas ex sacris literis perdita (producta volui dicere).

Est enim dialectica eius haec, Christus dixit ad Petrum: Pasce oves meas, ergo Petrus est princeps apostolorum et vicarius Christi. Haec enim enthymemata apud Eccium vel demonstrationibus sunt potiora. Silvestrum et Silvestrinos rudes passus sum, sed eruditos eos reddit Eccius excellentissima rudidate sua.

Dico ergo, pascere oves, significat aliquando id quod dominari, praeesse, regere secure in otio, et oves nihil curare, et sic Eccius grammaticae novae magister accipit. Ita nullus est, qui non optet pascere omnes oves Christi, sicut videmus in Romana Curia ad hoc miris artibus contendi.

Aliquando, imo saepius, significat verbum Dei docere, orare pro ovibus, exemplo bono praeesse, etiam animam suam ponere pro eis, totumque se impendere, ut oves bene habeant. Hoc modo nullus est hodie, qui non in plurimam partem sollicitudinis, imo totam sollicitudinem velit vocari quam plurimos, et totum primatum hoc modo libenter cedere. Pro hoc primatu nemo certat, nemo ad hunc aspirat, quem omnes libenter admittimus cuicunque et non invenimus, qui admissionem nostram curet. Qui contra hanc scriberet, bene tutus esset a censuris ac homicidis istis Romanis adulatoribus, imo nec tantum possumus, ut huius primatus commissionem vel super tres animas dignentur acceptare. Cur ergo nos persequuntur? Asserimus primatum, optamus petimusque, ut Romanus Pontifex pascat omnes oves, tantum abest, ut nos vel unguem latum hanc potestatem ei imminuere velimus, ut unice

ploremus, quod ne unguem quidem latum ipsi dignantur eam acceptare.

Quare iterum Eccius depravat verba Dei, aut si integra relinquit, Donatistarum haeresim revocat statuens, pontificem non pascentem non esse pontificem, quia haec verba Christi incorrupte servata officium imponunt (sane omnium maximum et periculosissimum, scilicet verbi docendi, et moriendi pro animabus), aut nihil ad pontificem faciunt. Jam enim erat Petrus quod erat, apostolus scilicet et primus, quando audivit officium pascendi sibi impositum.

Addit tandem Eccius Coronidem his dictis, dicens, Si sancta mater ecclesia canit: Tu es pastor ovium, princeps apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi. Primam particulam scilicet, Tu es pastor ovium, Eccius satis constanter parvi pendit. sicut et ii, quos palpat, quam si servarent, primum, ut dixi, nemo principatum omnium non tribueret, verum neque pasturam, neque principatum hunc, neque regna mundi hoc modo tradita ullus pontifex affectat, sed exhorrent omnes.

Quare sicut verba Christi sunt spiritualia, ita et ecclesiae. Omnia regna mundi tradita sunt Petro, ut doceat. Cui Petro? non uni personae, sed ecclesiae et apostolorum, in cuius persona, ut diximus, audivit: Tibi dabo claves regni coelorum. Eccius vero tradita regna mundi intelligit, ad dominandum, non ad serviendum.

Post haec inducit Patrum dicta (nam in hac materia multum laborat), primo Cyprianum de simplicitate Plaelatorum depravatissime inducit, ita ut malitiam plus quam inscitiam Eccii [1]) suam prodat. Cyprianus ibi contra Novatianos haereticos [2]) loquitur, ubi Eccius malitiose decerpit, quae pro se videntur stare, ceteris tacitis. Verba Cypriani sunt haec: Quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et

1) In ed. Jen.: Eccius. 2) In ed. princ.: novatione[s] haereticis.

dicat *), Sicut misit me Pater et ego mitto vos, si cui remiseritis peccata, remittentur illi: tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.

Ubi hic Petrus princeps constituitur apostolorum, sicut depravator infelix garrit, sua nobis pro Cypriani verbis inculcans? Cyprianus parem honoris et potestatis gratiam palam asserit, sed quia unitas ab uno venit, ideo hanc potestatis parilitatem dicit inceptam ab uno Petro, quando dixit: Tu es Petrus, ut unitas ecclesiae monstraretur.

Vix similem et pulchriorem interpretationem vidi. Claret enim mentem S. Martyris esse, non Petrum esse principem apostolorum in regimine, quia clare dicit: Hoc erant ceteri apostoli, quod Petrus, sed quod potestas haec omnium aequalis sit primum data Petro, ut ab uno Petro non potestas Petri (ut Eccius delirat), sed unitas ecclesiae monstraretur. Non vult originem potestatis a Petro venire in apostolos, sed sicut unitas multorum ab uno venit, ita exordium a Petro inciperet, licet aequaliter omnia omnibus donarentur.

Merum ergo et frivolum commentum est Eccii, apostolos omnes fuisse pares in apostolatu, non in regimine. Tunc enim ceteri apostoli non fuerunt quod Petrus, nec parem habuerunt potestatem et honorem, ut Cyprianus dicit. An non est aliud regere, et aliud regi? Nonne inaequalis potestas et honor recti et regentis?

Etiam erroneum est, apostolatum esse aliud quam regimen, quia apostolatus officium regiminis est omnino. Distinctio ista nata est, quod coepit distingui inter dignitatem et officium, quod iuridicum est, non theologicum. Alioquin Cyprianus fuisset haereticus, qui sine autoritate Romani pontificis episcopos creavit, concilia habuit, et ordinan-

*) Joh. 21.

dorum episcoporum regulas praescripsit. Quae omnia Eccius nequissime tacet, ad statuenda mendacia sua contra veritatem.

Igitur vult Cyprianus, quod haeretici sunt cavendi, qui scindunt unitatem ecclesiae, non semper Romanae, sed cuiuslibet, in qua oriuntur, nam quaelibet est una, et tota universalis est una, quam totius et particularis cuiuslibet unitatem dicit monstratam in unitate Petri, qui sua unitate, velut origo sit cuiuslibet unitatis et totius unitatis, non disponens autoritate sua, sed Christi (inquit) sic disposuit. Verum legat lector Cyprianum, et videbit Eccium esse Cypriano per omnia contrarium. Non ergo Cyprianus contra scissores primatus, sed unitatis ecclesiasticae loquitur, quae in unaquaque ecclesia scindi et servari potest. Aut si per unitatem Eccius omnino potestatem intelligit primatus, caecus ille natus Joh. 9. etiam papa erit, quia sua unitate similiter unitatem ecclesiae repraesentavit, et quotquot alii, qui singuli a Christo sunt curati.

Secundo Augustinum inducit super Johannem, cuius ecclesiae Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebât personam. Obsecro, quanta est Eccii hebetudo? Augustinus dicit (quod ego semper volui), Petrum gessisse personam ecclesiae, quod Eccius intelligit principatum ecclesiae. Quis enim negat apostolum Petrum primum fuisse, primatum apostolatus habuisse, etiam principem apostolorum esse? Quid haec ad rem? non per hoc potestatem super eos habuisse probatur, quos paris potestatis fuisse dictum est a Cypriano. Nunquid ipse Augustinus a Romano episcopo fuit ordinatus? Ergo haereticus Augustinus, si intellexit primatum potestatis, et tamen egit in vita, ut solum primatum honoris deferret Romano pontifici.

Eccius dedita opera, sicut scripturas depravat, ita et dicta Patrum, ubi illi Petro tribuunt primatum honoris et ordinis, hic mox suo Leviathan autore addit, et nobis interpretatur potestatem, nec advertere prae crassitudine cerebri sui potest, quam S. Patres hanc potestatem nunquam agnoverunt.

Simul hoc quoque notandum, quod multa dicuntur in laudem S. Petri, quae nequaquam conveniunt eius successori ullo. Sic nonnulli S. Patres illud, Tu es Petrus, et: Tibi dabo etc. Petro tribuunt, quia certum erat ipsum esse sanctum, ideo ea verba ei aptari possunt, sed non mox ad successorem etiam pertinent, neque de successoribus ea ullus Patrum intellexit, sicut faciunt novissimi Scripturae depravatores, omnia sine iudicio Romanis pontificibus inflectentes, quaecunque de Petro legere possunt.

Sic Petrus potest petra dici, quemadmodum semel Augustinus facit, et Ambrosius, quia revera, quidquid de Christo ipso dicitur, mox de quolibet eius membro vero et proprio dici potest. Si quilibet Christianus est agnus, iustus, sanctus, petra, fundamentum etc. Verum haec, quia verba spiritus sunt, non mox successori aut Romanae ecclesiae aptanda sunt, cum successor Petri nesciatur, an sit membrum Christi.

Hic tamen sensus non est primus et principalis, quia de Christo omnia primo dici debent et proprie, de ceteris vero nequaquam, nisi pia digressione et abusu modesto, in quo, etsi non pugnant in contentione (nec consequentibus conveniunt), tamen sine periculo fidei sic intelliguntur.

Error ergo est, quod quaecunque de Petro ut sancto locuti sunt Sancti, nostri palpones mox de successore Petri intelligant. Quamquam secundum rei veritatem non solus Romanus pontifex sit Petri successor, sed omnes episcopi, quos ipse instituit, ideoque successor Petri longe minor est, quam ipse Petrus. Nec sequitur (etiamsi verum esset), Petrus fuit super universum orbem, ergo etiam Romanus pontifex est super universum orbem. Petrus in Romana ecclesia non relinquere potuit apostolatum suum, quem a Christo acceperat, sed episcopatum, quem ipse instituerat. Quare Romanus pontifex non plus habet a Petro, quam quilibet alius episcopus ab eodem Petro institutus.

Et huius argumentum est, quod Chrysostomus,

Augustinus, Ambrosius, et quicunque sancti Patres, qui S. Petrum super omnes extollunt, honoris quidem ornant praeconio, sed nec potestatem ei super omnes tribuunt. Nec ipsi in vita Romano pontifici subditi fuerunt, nec unquam de primatu Romani pontificis aliquid meminerunt, quod tamen Eccius suis foedis adulationibus et depravationibus statuere quaerit.

Tertio Hieronymum inducit contra Pelagianos, quid Platoni et Petro? Ut ille philosophorum princeps, ita hic apostolorum fuit, super quem ecclesia Domini stabili mole fundata est.

Respondeo, placet similitudo, sed nunquid Plato, philosophorum princeps, mox super philosophos dominatus est iure potestatis? Non, sed excellentia doctrinae et honoris. Ita Petrus princeps non potestate, sed honore primatus. Et quod super eum adificatam ecclesiam dicit, verum est sensu secundario, ut supra dixi, alioquin et ipse Petrus primario sensu, cum sit pars ecclesiae super petram, non super se ipsum aedificatus est. Abusus est verbo evangelii Hieronymus hoc loco, qui alibi contrarium dicit, evangelium interpretans ex animo.

Quarto Chrysostomum Matth. 16. Quid igitur Petrus, omnium apostolorum os et vertex totius consortii, sublimiora ipsum sapere fecit, et ecclesiae futurae pastorem constituit, et infra, hunc universo terrarum orbi Christus praefecit.

Haec si intelligat de potestatis iure, sine autoritate dicuntur, quia verba Christi hoc non habent, ut supra dixi.

Secundo, quia Chrysostomus ipse non servavit, ordinatus episcopus a Theophilo Alexandrino, non a Romano.

Tertio, quia etiamsi Petrus talis esset, non ideo Romanus pontifex talis esset, tum quod apostolus, ille episcopus, tum quod sanctus, ille forte peccator. Quare sensum Chrysostomi, ne cum praecedentibus pugnet, probo et accepto, quod Petrus os apostolorum fuit, ac per hoc non in sua persona locutus est, et audivit, Tibi dabo etc., ita praefec-

tus est toti orbi honore, et in ecclesiae persona, quae est mater omnium nostrum.

Quinto inducit Leonem, c. Beatissimus Petrus a Domino accepit primatum, verum est, sed non successor Petri idem. Sed cum Decretis nihil ago, quia frigidissime tractant verba Dei. Quod vero Bernardum inducit, non pugnat. Beda plus pro nobis facit, Petrum confidens apostolorum personam gessisse, ideo subdole solum nomen eius Eccius retulit, metuens eius sententiam sibi noxiam, adeo sycophantisat theologus.

Jam et Dionysium cap. 3. de divinis nominibus [1]) adducit, quasi hic de papa vicario Christi et Petro, super omnes ecclesias constituto, dicat, cum nihil illorum uspiam sit in Dionysio. Displicet mihi Ecciana ista audacia, quae tam contemptim de omnium ingeniis et studiis sentit, ut speret se universis, non secus ac stolidis et stupidis morionibus, posse abuti, allegans quae nusquam sunt, depravans, quae usquam sunt, omniaque pro mera libidine tentans. Quod si omnino placet, nomina autorum coacervare, consilium dederim, ut martyrologium aut calendarium apprehenderet, ne interim tot mendaciis Patrum et Scripturae verba conspurcaret.

Sexto Cypriani locum, quem Lipsiae non potuit indicare, nec modo audet nominare, nisi quod lib. 1. Epistolarum citat: adeo non ipse legit autores, sed per compilatores excerpit dicta, quae suo serviant errori quacunque specie. Respondeo tamen, quod est Epistola tertia lib. 1. ad Cornelium, quam Lipsiae nescio ad quem esse somniavit [2]).

Post ista (inquit) adhuc insuper pseudepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent, et ad Petri cathedram atque ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est etc. Tunc infert Eccius: Ergo Romanus pontifex iure potestatis omnibus superior est. Sic enim perpetuo delirat, quidquid voluerit in Patrum dictis intelligens. Cyprianus

1) In ed. princ.: de di. no. 2) Ibid.: somniant.

hic contra haereticos unitatem ecclesiae tuetur, non potestatem Romani pontificis, principalem vocat ecclesiam, et bene, quia primus apostolorum ibi Petrus, et inde orta est in alias ecclesias unitas (inquit) sacerdotalis. Unde? a Petro scilicet, secundum superiorem autoritatem eiusdem Cypriani, non quod Petrus omnes sacerdotes fecerit, sed quod Christus apostolis parem potestatem tribuens, ab uno Petro incipiens, unitatem ecclesiae monstraret.

Errat ergo Eccius, qui hoc verbo putat sacerdotes omnes ex urbe Romana venire, et debere haberi. Sic enim nulli apostoli ordinassent episcopos. Et ipsemet Cyprianus non ex urbe suum retulit sacerdotium, nec ullus Africae et Orientis episcopus Quod Eccius fortiter transit, solum in literis et syllabis sophistica pertinacia haerens, quo faciat nobis Cyprianum haereticum, cuius verba pro iure suo divino contra vitam eiusdem torquet.

Septimo Hieron., ad Evagrium, Nec altera urbis Romae, altera totius orbis existimanda est ecclesia. Vide hunc audacem et impium impostorem, D. Hieronymus id agit ea epistola, quod omnes episcopi sunt aequales inter se, et presbyteros eosdem, quos episcopos esse. Breviter, haec epistola vel sola funditus evertit adulatorium dogma Eccii de primatu Papae, iuris divini, ita ut Lipsiae per eandem a me petitus coactus sit confugere ad commentum distinctionis suae inter apostolatum et regimen. Clare enim ibi dicit Hieronymus, episcopum altero superiorem fieri potentia divitiarum, non sacerdotii dignitate. Eiusdem meriti, inquit, est episcopus Romae et Eugubii etc.

Plane ergo patet, Eccium his larvis aliud non quaesiisse, quam ut illuderet simplicium et rudium animabus, et S. Hieronymo imponeret suas impias depravationes, dum ea allegat, quae maxime contra eum pugnant.

Sed neque quid velit possum divinare, quando dicit: Non est altera urbis Romae, altera totius orbis ecclesia. Hieronymi sententia clara est, orbem esse maiorem Urbe, sicut ibi dicit, ergo id sentiri

in Roma, quod in toto orbe, cum sit una ecclesia, nec Roma [1]) divisa ab universali ecclesia. Eccius autem pulverulentas grammatistarum scholas fastidiens suasque dialecticas sequens, hoc vult, Non est altera Romae, altera totius orbis ecclesia, ergo Papa est vicarius Christi, et princeps episcoporum (nam hanc suscepit probandam). Et consequentia est clara, si modo insanire licet, et phrenetico capite syllogisare. Aut forte hoc voluit, Non est ecclesia dicenda, quae non est sub Romana ecclesia. Verum haec Eccius, non Hieronymus dicit, imo Hieronymus contrarium dicit. Vide epistolam.

Quid ergo mirum, si sophistae eiusmodi Scriptorum discerptores prorsus nec sua néc aliena intelligant, cum quidquid apprehenderint, suis afforment somniis, et contaminent ludibriis?

Eundem Hieronymum ad Damasum quoque citat, sed nomine-tenus, facturus lectori simplici suspicionem de re, quae in Hieronymo non habetur. Nam id Eccius quaerit solum, ut qua potest arte lectorem subvertat potius quam erudiat. Hieronymus ibi cum piscatoris successore loqui se dicit, et Romanam ecclesiam commendat, quod nunquam sit haeretica pravitate contaminata sitque docente Christo supra petram aedificata. His dictis Hieronymi verissimis Eccius addit adverbium, tantum, quasi haec soli Romanae ecclesiae conveniant, quando Christus totam ecclesiam suam (quae non est sola Romana) super petram ardificaturum se promittat. Verum, quid Eccio et Christo?

Octavo Ambrosium adducit ex Decretis, nam non vacat legere originalia. Non habent haereditatem Petri, qui fidem Petri non habent. Obsecro, quis haec unquam negavit? An est altera fides Petri et Pauli et omnium apostolorum? Aut altera fides Romanae ecclesiae, et totius orbis? Habet totus mundus fidem Petri et Romanae ecclesiae, imo, quod Eccius miretur, Romana ecclesia habet fidem

---

1) In ed. Jen.: Romana.

meam. Quid ergo? habet fidem Petri, ergo Petrus est dominus omnium, iuxta novi huius dialectici regulas. Sed et prophetae in vetere Testamento habuerunt fidem Petri, sicut Paulus dicit 1. Cor. 10: eandem escam manducaverunt, ergo fuerunt sub potestate Petri, aut Eccio magistro haeretici fuerunt.

Jam, si habere fidem Petri est sub Petro esse, quam fidem habet Petrus ipse? aut sub quo Petro erit ipse? Ita si habere fidem Romanae ecclesiae est sub Romana ecclesia esse, sub qua ecclesia est ipsa? an sub se ipsa, quia habet suam fidem?

Credo te, lector, iam diu saturum esse insulsissimarum istarum naeniarum Eccii, quas vides, quam sola grammatica potuisset Eccio diluere, quam ridet dici utilem ad sacram Scripturam magis, quam sua sordida phantasmata.

Eundem iterum allegat: Typum Romanae ecclesiae in omnibus sequimur. Et nos sane, quantum ad fidem attinet. In aliis Ambrosius non sequebatur, nam sabbatho non ieiunabat cum Romana ecclesia, et habet illa eadem ecclesia Mediolanensis usque in diem hodiernum alium typum in ritibus, quam ecclesia Romana. Nihil ergo est fumus iste Eccianae loquacitatis: Sequimur typum Romanae ecclesiae, ergo Romana ecclesia est super omnes ecclesias. Sufficit, quod Eccio ista probentur, qui nec dignus est melioribus duci rationibus, quia sponte errorem sequitur.

Nono iterum Augustinus: In Romana ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus. Manhu, Eccii Augustinus ecclesiam Romanam habere dicit principatum apostolicae cathedrae, qui et alibi, ut lib. 2. cap. 8. doctrinae Christianae ecclesias apostolicas ceteris solet praeferre. Eccius vero de suo addens principatum apostolicae cathedrae intelligit principatum universalis ecclesiae, per cathedram ecclesiam, per apostolicam catholicam: accipiens nimirum beneficio grammaticae contemptae.

Post haec dicit, se omittere Decreta, et bene facit, quia sunt contraria sibi ipsis. Nam ea, quae

a sordidis notariis consarcinata, definiunt pro Eccio, quae autem a doctis pontificibus, ut Pelagio, Gregorio, statuunt pro me, ut ostendi in Resolutione mea novissima.

Sed et conciliorum nomina recitat, quia nihil in iis pro sua sententia statutum est, excepto Constantiensi, quod tamen hic tacet, quia novit et ipsum esse dubium, imo contra se. Ego pro me habeo Nicenum et Africanum, imo sex prima et celeberrima, ut in Disputatione Lipsica videbitur. Nihil ergo quaerit Eccius nominum istorum cumulo, quam ut lectores idiotas et ignaros stupefaciat et illudat.

Cetera, quae ad hanc materiam pertinent, vide, lector, in Resolutione, ut dixi, novissima, et disputatis Lipsiae.

Articulus quartus.

Canones dixit institutos propter avaritiam summi pontificis et aliorum pontificum, quia nullus esset casus reservatus iure divino.

Hunc erroneum probaturus Eccius multa consarcinavit ex Decretis. Nam apud Eccium ius divinum in Decretis humanis residet, quod apud nos in Sacra Scriptura regnat, ideo, quidquid ibi blaterat, omitto. Optime scio, non esse praecepta apostolica et statuta maiorum contemnenda, sed hoc quaeritur, an iure divino sit ullus casus reservatus? Hoc Eccius nunquam probabit. Quia supra probatum est, episcopos omnes esse aequales iure divino, quare nullus poterit casum alteri excipere iure divino, imo nec episcopus plebano.

Unde Cyprianus Episto. 3. lib. 1. reprehendit eos, qui alibi circumcursant, quam in ecclesia sua, ubi peccaverunt, dicens: Cum statutum sit ab omnibus nobis, et aequum sit pariter et iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare, nec episcoporum cohaerentem concordiam sua

subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint. Haec ille.

Vides unicuique pastori portionem gregis adscriptam. At nunc unus grex quatuor, imo centum pastores vel depastores habet. Vides nullum casum reservatum, sed in sua ecclesia quemque debere poenitere. Si hoc est contra ius divinum, Cyprianus est haereticus in hoc dogmate, quod et Nicenum concilium constituit.

Nec est quod garrit Eccius disciplinam Christianam everti hac sententia. Cur Cyprianus eam et Nicenum Concilium non evertunt? imo per Romanam curiam et casuum reservationem disciplina evertitur. Si servaretur hoc Cypriani et concilii Niceni decretum, minus impunita esset peccandi hodie licentia. Plebani nullam habent potestatem, paulo maiorem episcopi, totam Romana curia. At illic nemo disciplinatur, sed pro pecuniis omnia peccata venduntur, ubi est urbs meris indulgentiis, id est, disciplinae eversionibus, plena usque ad clamorem in coelum.

Miror autem, quod Eccius priorem partem articuli praeteriit, an verum credat, nescio, canones institutos propter avaritiam. Hoc enim Fratres, isti discipuli Ecciani, addiderunt, vere enim observant non suam professionem, nec se ipsos, sed alios tantum, ut detrahant et criminentur.

Dictum est autem, canones hodie et reservationes casuum prorsus nihil esse, nisi laqueos avaritiae, non suo vitio, sed Romanensium tyrannorum. Impudentissima enim avaritia est Romanae curiae; si dederis pecuniam, canones et omnia venalia habes. Si non, casus est reservatus, etiam si promptus sis omnibus canonibus satisfacere, et omnem disciplinam Christianam ferre. Hi sunt ergo casus reservati, hi canones, qui evertunt disciplinam Christianam, et serviunt avaritiae.

Post haec recitat egregius Dominus Doctor, Juris et Theologiae et Dialecticae magister, articu-

los Constantiae damnatos, asserens eos plenos erroris, scilicet hos:

Papa non est immediatus vicarius Christi et Apostolorum. Decretales epistolae sunt apocryphae.

Non est de necessitate salutis credere, Romanam ecclesiam esse super alias.

Petrus non est nec fuit caput ecclesiae sanctae catholicae.

Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput ecclesiae particularis sanctae, vel Romanus pontifex caput Romanae ecclesiae.

Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiae praeter expressam autoritatem sacrae Scripturae.

Hos Eccius omnes erroris plenos vocat, tanquam Dominus super concilium et ecclesiam sanctam, cum concilium non omnes erroneos iudicarit, quod ego ex verbis ipsius concilii probabo, et probavi Lipsiae.

In fine dicit, Petro commissam plenitudinem potestatis, quam habet suus successor, alii vocati in partem sollicitudinis, sicut dicit sanctus et humillimus Gregorius. Respondeo: Ergo est iure divino potens. Tenet consequentia ab autoritate Gregorii, cuius verbum apud Eccium est ius divinum. Quam crassa autem astutia dissimulat Eccius, quod Gregorius idem, quod hic semel dicit, decies ferme aliis locis contrarium dicit. Justumne est, ut Eccio credamus, unum locum ambiguum Gregorii adducenti, et decem alios locos certissimos eiusdem negemus? De quibus in Resolutione mea. Quanto rectius hic unus locus, praeter intentionem dictus, ad decem alios locos exponetur, quam quod Eccianis somniis obtemperemus?

Dicit Gregorius in Epistolis, Primatum fuisse a Synodo Chalcedonensi oblatum Romanis pontificibus, et tamen a nullo assumptum. Si fuit iure divino primatus, utrique impie egerunt, illi, quod ob-

tulerunt, quod non erat eorum offerre, sed reddere, hi, quod non assumpserunt. Jus enim divinum etiam per mortem assumi debet, et nulla causa relinqui. Sed, ut dixi, Eccius, qui in lucidis scholis versatur, alia curat, quam ut grammaticam discat. Ideo ignoscendum inscitiae eius, quod, neque quid sit, neque quomodo servandum sit ius divinum, noverit.

Articulus quintus et sextus.

Nulla dixit esse consilia evangelica, sed omnia, quae in evangelio sunt, dixit esse praecepta.

Dixit etiam, quod Deus exigeret summam perfectionem a quolibet Christiano, et observantiam totius Evangelii.

Fratres, qui ex me audierant, non esse hunc articulum ab ullo dictum, nihilo secius effinxerunt, saltem priorem partem. Verum, Eccio eram ignoturus, quod alieno mendacio fuisset seductus, nisi viderem suis naeniis sese ostendere ignarum tam praeceptorum quam consiliorum. Ponam ergo articulum integrum. Sic dictum est: Consilia evangelica non sunt supra, sed infra praecepta, hoc est, consilia sunt quaedam viae et compendia facilius et felicius implendi mandati [1]) Dei. Ideo etiam servatis consiliis nondum impletum est praeceptum Dei, nam Rom. 7. apostolus dicit, se servire legi peccati et habere peccatum in carne sua (quod utique est contra praeceptum Dei), et tamen vivebat in summo gradu consiliorum.

Non ergo distinctio est inter consilium et praeceptum, quod consilium plus quam praeceptum sit, sic enim errant et nugantur theologi, sed quod sunt media commodiora ad praeceptum. Facilius enim continet, qui viduus aut virgo est separatus a sexu, quam copulatus cum sexu, qui concupiscentiae aliquid cedit.

Proinde, quae Eccius ex apostolo *) adducit,

---

1) In ed. Jen.: mandata.
*) 1. Cor. 2.

qui loquebatur sapientiam inter perfectos, neque quid ibi apostolos per sapientiam, neque quid per perfectos intelligat, novit. Idem sapit de statu perfectionis, et satis ridicule argutatur, quod omnes oporteret fieri monachos et virgines, si ad perfectionem summam teneremur, quasi monachos et virgines perfectos faciat status perfectionis (id est, vocabulum perfectionis).

Quaeram ego ab Eccio, cui sit datum praeceptum illud: Non concupisces? An virginibus tantum? Si omnibus hominibus, ergo omnes obligantur ad summam perfectionem, quia non concupiscere est summa castitas, quam nec apostolus Paulus se habere dixit, sed nec virgines eam habent, et tamen omnibus praecipitur in communi decalogo. Quid hic faciet? An coniugium tollet de medio, quod sine concupiscentia stare non potest? at concupiscentia est contra praeceptum Dei. Bulla theologus, audi ergo, Deus requirit ab omnibus non concupiscere, ad quod proxime accedunt vidui et virgines, nullus autem attingit, omnibus autem ignoscit propter gemitum, quo dolent sese non posse attingere, et dicunt: Quis liberabit me de morte corporis huius *)? Ubi es ergo, Ecci, qui propositiones istas temerarias et seductivas ausus es asserere, videsne, te non adeo saltem profecisse, ut unum praeceptum decalogi intelligas.

Articulus septimus.

Confessionem sacramentalem dixit non esse de iure divino, sed ex institutione Innocentii III.

Hunc Eccius eximius noster errorem Graecorum vocat et Ebraeorum, et probat per [1]) Augustinum, Ambrosium, Origenem, Petrum Alexandrinum. Obsecro te, si petat gentilis ius divinum, et tu ei hominum verba reddas, insanumne te, an sanum iudicabit? Tot annis Eccius theologus est, et orbem fatigare promptus est, necdum scit, quid sit ius divinum. Cyprianum miror, quod omiserit, qui

---

1) In ed. orig. deest: per.

*) Rom. 7.

omnium fortissime exomologesin asserit, sed eius compilator grammaticam contemnens forte exomologesin graecam non intellexit latinam confessionem significare.

Dico ergo: Confessio illa, quae nunc agitur occulte in aurem, nullo potest iure divino probari, nec ita fiebat primitus, sed publica illa, quam Christus Matth. 18. docet: Si peccaverit in te frater tuus, et Paulus *): Adversus Presbyterum accusationem etc. Tunc enim testibus et accusatoribus crimina examinabantur, sicut supra ex Cypriano adduxi, donec confiteretur convictus. Haec, inquam, confessio est iuris divini, ab apostolis et sequentibus servata, de qua scribunt Patres, per Eccium nihil intelligentem inducti. Non tamen damno istam occultam, nisi quod doleo ipsam esse in carnificinam quandam redactam, ut cogantur homines confiteri, et scrupulos facere de iis, in quibus nullum est peccatum, aut veniale tantum.

Jam videamus Scotistam nostrum, quomodo iure divino probet confessionem, Johann. ulti.: Quorum remiseritis peccata etc., ibi, inquit, Christus posuit apostolos et successores eorum iudices, absolvendo et ligando; modo iudex non potest pronunciare, nisi causa cognita, quod fit per confessionem. Vide, ut reptat languens iste Sophista.

Cuius fabula est haec, nullum peccatum remitti, nisi confessione publicetur, cum vero nullus hominum nosse possit omnia peccata, fiet, ut ad impossibile obligetur. Nam hinc venerunt torturae istae conscientiarum, quod discussionibus et diligentiae adhibitionibus confitendi nullus fit finis, inde confessionalia cum nepotibus, filiabus, speciebus, generibus peccatorum, ut ipsorum etiam memoria magis sit laborandum, cum sola conscientia in hac causa esset consulenda.

Christus non dixit: Quorum vos non remiseritis, non erunt remissa, et quorum non tenueritis, non erunt retenta. Plura remittit et retinet Deus,

*) 1. Timoth. 5.

quae sacerdos nec retinere nec remittere potest, licet, quae remiserit, remissa sunt. Non sequitur: Ego ignosco tibi omnia, quae mihi male fecisti, ideo Deus omnia tibi remisit. Ita non sequitur, ecclesia remisit tibi, quae confiteris, ergo omnia remissa sunt, sed reliquum est illud: Delicta quis intelligit? et illud Job *): Verebar omnia opera mea. Non est in ecclesia negotium, quod aeque ut istud confessionis et poenitentiae indigeat reformatione. Nam hic omnes leges, quaestus, vis, tyrannis, error, pericula, et infinita mala omnium animarum, et totius ecclesiae grassantur pleno impetu, quod pontifices parum curant, et sophistis animarum tortoribus relinquunt. Quod interim cum inscitia Eccii transeat in tempus suum.

Articulus octavus.

Canones dixit docere avaritiam, superbiam, luxuriam.

Clarum est, fratres istos esse mendaces. Quis enim ita insaniat, ut haec dicat? Nisi forte ista fuerit disputatio, quod lex est virtus peccati, et per legem peccatum augetur. Atque sic fratres verbum docere posuerunt, pro caussam esse. Nam hoc verum est, quod multiplicatis legibus multiplicantur peccata; ideo infelicissimum genus administrandi est, legibus multiplicatis ecclesiam Christi liberrimam onerare. Neque enim Romana curia alia re magis nocuit ecclesiae Christi, quam multitudine et varietate legum suarum, quae mihi videntur esse novissima et omnium maxima persecutio, ut in qua tot irretitae conscientiae pereant irrecuperabiliter, ut turpissimum quaestum sileam, qui legibus istis alitur.

Articulus nonus.

Hominem dixit non habere liberum arbitrium.

Hunc haeresim Manichaeorum vocat Eccius,

*) Psalm. 19. Job. 9.

ego autem invidiam Eccianam toto corde detestor, quae tantum candoris non habet, ut permittat eum pure et aperte docere veritatem, etiamsi eam noscat, sed involucris gaudet, delectatus, quod alii in errore maneant, ut discipulos habeat in utraque parte contradictionis. Vae tibi gloria maledicta, et maledicat tibi omnis creatura.

Scito ergo, lector, et certus esto, Eccium nihil prorsus in hac re dissentire mihi, nisi ad meram vocem et speciem. Quod ut noscas, adverte. Eccius Lipsiae concessit, liberum arbitrium ante gratiam non valere, nisi ad peccandum. Ergo non valet ad bonum, sed tantum ad malum. Ubi ergo libertas eius? Nam omnis homo, saltem rudis, audiens liberum arbitrium, intelligit ipsum aeque posse in bonum et in malum, prorsus non cogitans, quod solum possit in malum. Inde procedit in fiducia sui, praesumens, posse se ad Deum ex suis viribus converti.

Haec esse impia Eccius bene novit, nec tamen fratres erudit, sed eorum errori impiissime cooperatur. Dico ergo, quod homo habet liberum arbitrium, non quia sit modo, quale fuit in paradiso (de quo loquitur Eccle. 15. per Eccium inductus), sed quia fuit liberum, et potest fieri per gratiam iterum liberum, alioquin vere est servum arbitrium. Non ergo liberum arbitrium tam a facto esse, quam a debito esse dicitur. Unde Augustinus lib. 2. contra Julianum vocat ipsum servum arbitrium. Et Christus*): Qui facit peccatum, servus est peccati; et iterum: Nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum fuerit e coelo, Johan. 3. Sicut ergo civitas vastata vel collapsa domus habet quidem nomen et titulum, quem prius habuit et posterius habebit, non tamen idem potest quod prius, ita liberum arbitrium.

Quid autem cum indoctissimis fratribus agam? Eccius respondeat, Si liberum arbitrium est liberum, cur in potestate Pauli non fuit, Roman. 7, facere quod volebat? Cur servit peccato, quod odiebat?

*) Johan. 8.

Ecce in gratia apostolus captivum se dicit in lege peccati, et tu homini peccatori tribuis liberum arbitrium? Sed iterum, Si liberum est arbitrium, cur oramus: Sanctificetur nomen tuum? Fiat voluntas tua? An, ut facilius possimus, sicut Pelagiani dixerunt? Si oramus, impossibile est quod oramus, ac per hoc nullo pacto in libertate nostra. Quid moror? Augustinus dicit contemnendos esse, qui ex malitia resistunt veritati, docendos, qui ex ignorantia. Eccius autem haec non ignorat, ut dixi. Quando ergo S. Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis eius praedicant, quod scilicet verti potest ad bonum per gratiam Dei, et fieri revera liberum, ad quod creatum est.

Articulus decimus.

Multos canones contrarios sacrae Scripturae, eamque extorte exponentes.

Hunc iniuriosum in summos pontifices dicit Eccius et erroneum et nomine meo interserto reprehendit me, quod in actis Augustensibus idem scripserim, et iniquissime ibi iudicarim. Deinde confutaturus Acta mea et defensurus Canones dicit, B. Cyprianum exposuisse illud: Tu es Petrus etc. quomodo Pelagius exponit distin. XXI. Similiter et B. Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Bernardum, Bedam, Glossam ordinariam, omnes per Petrum exposuisse petram. De his quidem superius satis est dictum, arti. II et III, quod maior pars Sanctorum Petrum gessisse personam apostolorum et ecclesiae dicit, et abusive Petrum intelligi per petram. Nec verba evangelii posse per consequentiam pati hanc expositionem, quod absurdum sit, Petrum aedificari super se ipsum, ideo eos potissimum Patres esse sequendos, qui principalem et proprium sensum evangelii sequuntur, ut Augustinum, Hieronymum, Bedam, Origenem.

Recte ergo dixi, Pelagium violenter exponere evangelium, non quia per Petrum petram intelligit, quod hic Eccius peregrina sectatus causatur, sed

quod personam Petri ibi non pro apostolorum persona intelligit. Hoc enim tunc agebam, non an Petrus esset petra. Deinde, quod per petram sibi potestatem super totam ecclesiam vendicarit, quod verba evangelii non patiuntur. Ista debuit Eccius confutare, et non illic ignem exstinguere, ubi nullus ardet, nisi quod, ut dixi, Eccio multa dicere fuit propositum, quam apte autem et recte, stupidis lectoribus sciebat non esse necessarium, qui enim vulgi iudicium et famam aucupatur, etiamsi deliret (modo sit copiosus), facile obtinebit.

Similiter et illud quam theologice confutat, quod Decretalis, quae habet verbum Pauli *): Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat, dicit me potius glossam quam textum (ut qui sit Augustini et Pauli) improbasse. Ridiculum caput, quasi textum improbarim, quando Pelagium improbavi, in praecedenti puncto, ac non potius abusum textus, et extortam expositionem, nunquid enim toto hoc negotio textus improbo, quando depravationes impias Eccii persequor?

Ita hic non fuit propositum meum, textum improbare, sed quod pontifices hunc textum male traherent ad suum sacerdotium et leges suas, ut cuilibet patet legenti. Nam alias non potest dari causa, cur in eo loco de constitutionibus hunc textum Pauli adduxerint, nisi pro legibus suis, sicut glossa dicit. Eccius iuris Doctor est, et nescit ex titulo intelligere scopum legis, in eodem positae. An est iuris sorbilis forte Doctor magis quam intelligibilis?

Articulus undecimus.

Quod plus sit credendum simplici laico scripturam alleganti quam papae vel concilio Scripturam non alleganti.

Hanc Eccius (licet Gerson fortiter ei resi-

*) Ebrae. 7.

steret) *) procacem, tum promotivam haeresis, augmentativam pertinaciae, generativam singularitatis, inobedientiae et rebellionis contra summum Pontificem et sacra concilia, et sic similia pulchrae latinitatis ornamenta ex grammatica contempta.

Tu vero, lector, hic Eccium observa (ut Букciano more insultem), an non intus et extra, a planta pedis ad verticem usque perfusus totus sit haereticissima pravitate, una cum suis discipulis Fratribus. Quid putas boni sentit, qui Scripturae sanctae non credendum asserit? Quis unquam auditus est haereticus, qui verbo Dei non credendum docere praesumpsisset? Sic debent cadere, qui fraterna invidentia et adulandi furore perditi non nisi perniciem et ecclesiae et veritati pro maledicta gloria sua quaerunt.

Quid hic faciet? Scriptura sancta est verbum Dei; quod si asina diceret, audiendum est, etiam prae omnibus angelis, si verbum Dei non haberent, nedum prae papa et concilio, sine verbo Dei agentibus. O furor, verbo Dei non credendum, sed humanis verbis docet Eccius Doctor sacrae theologiae (id est, verborum Dei). Docent idem sui discipuli, viperae viperina genimina. I nunc Ecci, et doceto, quod audire verbum Dei et credere Scripturam sanctam alleganti sit promotivum haeresis, generativum singularitatis, inobedientiae et rebellionis.

Obsecro, ubi nunc est zelus Romanae curiae, ubi principes, ubi pontifices, haec monstra ferre potestis? Ego tot patior hostes, propter hominum opiniones neglectas, hic gloriam habet, hostis verbi Dei, abnegator Scripturae sanctae.

Articulus duodecimus.

Dixit non esse necessaria bona opera.

Hanc haereticam pronunciat Eccius, et bene probat. Sed nonne suam prodit malitiam et invi-

*) In ed. collect. Basil. a. 1520 hic intersertum legitur: dicit.

diam, cum sciat me ita non sapere, et tamen a malignis fratribus hanc libenter acceptans, ostendit se malle, ut tam insigniter errarem, quo liceret ei contra me gloriari, quam ut vera saperem. Quam pulchra fuisset modestia Ecciana, si istis fratribus restitisset, dicens: Falsum vos dicitis, Martini scripta legi, non ita sapit, sed iuxta Bernardum. Hoc pro Eccio.

Ceterum, huius propositionis originem puto esse, quod saepius docui, bona opera, quae extra gratiam fiunt, nihil esse: deinde, soli fidei, sine operibus legis, iuxta Paulum tribui iustitiam. Tum fratres illi, neque quid opera legis, neque quid opera bona significent, docti, pro operibus legis, quae necessaria non sunt, imo noxia sunt, posuerunt opera bona. Nam quid de lege aut operibus legis scirent, quibus professio est nihil velle discere, nihil scire, sed visiones capitis sui pro pugillo hordei et fragmine panis (ut Ezechielis verbis dicam) miserrimo populo inculcare.

Stat ergo sententia:

Non sunt necessaria, imo sunt noxia opera legis cuiuscunque,

sed necessaria sunt et salubria opera bona quaecunque.

Articulus tertius decimus.

Deum praecepisse homini impossibilia.

Hic multas convehens autoritates Scripturae, in quibus iugum Christi leve, Matth. 11., mandata non gravia 1. Johan. 5. Quae, dispeream, nisi simulet, aut penitus ignoret, quid velint. Dixi supra Eccium mecum sentire, quod liberum arbitrium sine gratia non valet, nisi ad peccandum. Obsecro, quae tandem est tabes tanta invidiae hanc nostrae miseriae et impotentiae scientiam abscondere a fratribus nostris? Si non valet nisi peccare homo, quomodo non sunt impossibilia ei omnia mandata Dei? Pereat ista maledicta sophistarum simulatio, et dissimulatio,

quae aliud nihil facit, quam quod aliud hic, aliud ibi dicit ad seducenda corda simplicium.

Dico ergo: Mandata Dei, etiam levissima et minima sunt homini impossibilia per se ipsum, sed cum gratia Dei sunt facillima, ut Apostolus *): Possum omnia in eo, qui me confortat; qui alibi dicit: Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis. Cur enim oramus: Voluntas tua fiat, si sunt possibilia nobis? Recte ergo dicit Hieronymus anathema esse, qui dixerit impossibilia esse mandata Dei, sed non negavit nobis esse impossibilia, Deo omnia sunt possibilia, nobis nihil est possibile. Sicut dicit Psal. 139[1]: Nec sermo est in lingua, quanto minus opus est in manu mea?

Hanc elucidationem potuit Eccius dare, sed noluit, ne non haberet quod in me criminaretur et calumniaretur. Plus eum delectat invidiam mihi movere, quam proximos veritatem docere, malletque omnes homines in errore perire, quam tabidam suam invidiam non explere.

Transeo illud Deut. 30: Non est trans mare etc. quod tanta inscitia tractat, ut insanire verius videatur, quam loqui. Suo haec tempori.

Articulus quartus decimus.

Christus nihil sibi meruit, sed tantum nobis.

De hac propositione ipse adhuc dubito, quia omnia erant Christi, ab instanti primo suae conceptionis; ideo meritum hic aequivoce accipi oportet. Sed nec scio, an unquam hunc dixerim; hoc scio, quod quidquid Christus fecit et obtinuit, nobis fecit et obtinuit, ad implendam voluntatem Patris, nihil enim sibi quaesivit. Et hoc sensu, si ab aliquo meorum auditorum dictum est, recte dictum est, nam id me in populum concionatum esse certus sum. Est ergo sensus: Christus merendo non sibi,

---

1) In ed. origin.: 137.

*) Philip. 4. 2. Cor. 3.

sed nobis servivit, sicut dicit Isa. 43: Servire me fecisti in peccatis tuis.

Verum haec propositio ideo offendit fratres ruditatis, quod ipsi populum soleant seducere, et ad magna merita cumulanda exhortari, maxime operibus a se doctis et electis; quo faciunt, ut homines assuescant quaerere, quae sua sunt in Deo, et propter merum commodum Deo servire; cum ad exemplum Christi, qui propter nullum suum lucrum aut meritum, sed propter solam voluntatem Dei ad nostram salutem omnia fecit, et nos non propter ullum commodum debeamus Deo servire, nec cogitare, quam magna mereamur, sed quam bene voluntati Dei placeamus.

Hanc sanam doctrinam isti insani fratres et pseudoprophetae non intelligentes mundum replent erroribus, et infernum damnatis animabus, dum hominibus magis inculcant meritorum vocabula, quam divinae voluntatis memoriam. Quod Christum non sibi meruisse dixi, qui nec, quid mereri sit, unquam cognoverunt, neque cognoscere possunt. Mereri enim non est animo merendi bona facere (ita enim solent isti mentium deceptores populum Christi illudere), sed simplici corde, nullo meriti aut praemii respectu, solo gratuito affectu gratis divinae voluntati obtemperare, caritas enim non quaerit quae sua sunt, merita vero et praemia sua sponte sine nostro studio sequuntur ad obedientiam divinae voluntatis.

Articulus quintus decimus.

Bohemos esse meliores Christianos nobis.

Hunc Eccius fotivum haeresis derogantem sacro concilio Constantiensi dicit. Nihil habet pannosus hic et penuriosus theologista, quod iactet, quam concilium Constantiense, quod alias satis dixi et errasse, et multa non pro haereticis nec erroneis statuisse, quae Eccius haeretica et erronea de proprio cerebro pro sua temeritate statuit. Aposto-

lus hic audiendus est. Tu quis es, quis iudicas alienum servum? suo Domino stat aut cadit.

In fine articulum de canonisatione Sanctorum non satis expressit, ideo nihil possum adhuc dicere, nisi quod dicit, ipsum esse scandalosum, et derogativum papalis potestatis sibi traditae. Valde vellem scire, ex quo loco scripturae tradita sit potestas papae Sanctos canonisandi? Deinde, quae necessitas Sanctos canonisandi? Tandem, quae utilitas Sanctos canonisandi? Sed, quia ipse hic transiit, transeam et ego, nihil dicens, nisi quod mihi non satis placet canonisatio Sanctorum, more, quo vidimus multos canonisari, qui optime se ipsos canonisassent, licet non damnem: Canoniset quisque quantum volet.

Vidisti (inquam), lector carissime, quam inique et malitiose me Eccius et Fratres quaesierint, ut, cum mea calumniari non possent, sua mihi figmenta imposuerunt, ut calumniandi libidinem utcunque explerent, in qua re si me non prohiberet Christiana professio, utrosque mirifice possem tractare.

Verum, ne me tam stupidum arbitrentur, quasi eorum nequitias deprehendere nequeam, tentabo et ipsis non mea, sed sua venena proponere, et cogitationes eorum revelare, ut habeant tam otiosi criminatores negotium, quo occupentur. Producam ergo hic per ordinem articulos haereticos et errores, quos ex praedictis eorum calumniis collegi, et videbunt, quanto sit difficilius propria tueri, quam aliena carpere.

Articuli

Haeretici Johannis Eccii et quorundam Fratrum, ex illorum assertis et negatis per Martinum Lutherum deducti.

I. Nicenum concilium cum quatuor sequentibus est haereticum.

II. Africanum concilium est haereticum. Pro-

batur ex Eccianis dictis, quia determinaverunt contra Constantiense concilium, Romanum pontificem non esse universalem episcopum super omnes ecclesias, nec episcopos ex urbe Romana confirmandos.

III. Orientalis ecclesia fuit plus quam per mille annos haeretica. Patet, quia vixit secundum statuta Niceni, contra concilium Constantiense.

IV. Africanae ecclesiae cum Cypriano matyre fuerunt haereticae. Quia vixerunt in eodem puncto secundum Nicenum concilium.

V. Augustinus, Ambrosius, S. Martinus, S. Nicolaus sunt haeretici. Quia non fuerunt ordinati a Romano pontifice contra concilium Constantiense.

VI. Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Basilius Magnus fuerunt haeretici. Quia secundum Nicenum Concilium contra Constantiense egerunt.

VII. Romani pontifices omnes usque in hodiernum diem sunt haeretici. Quia approbaverunt statuta Niceni concilii, contra Constantiense concilium.

VIII. S. Gregorius Magnus fuit haereticus cum suis praedecessoribus. Quia oblatum a concilio Chalcedonensi primatum recusarunt, et sic iure divino restiterunt, contra concilium Constantiense.

IX. Tota universalis ecclesia est haeretica per totum orbem, excepto Eccio et Fratribus. Quia tenet Nicenum concilium evangelio aequale.

X. Decreta Romanorum pontificum plurima sunt haeretica. Quia determinant, Nicenum concilium evangeliis comparandum, contra Constantiense.

XI. Papa malus non est papa. Quia verbum Christi, Tu es Petrus etc. ei non convenit, cum non sit petra, nisi qui Petro similis sit, quoniam per Eccium isto verbo papae autoritas probatur. Hic est Donatistarum et Pighardorum articulus.

XII. Papa non praedicans evangelium non est papa. Quia verbum Christi, Pasce oves meas, non servat, quo Papa constituitur iuxta Eccium. Idem, Si non confirmat Fratres suos lapsos et tribulatos, per eundem Eccium.

XIII. Papa non diligens Christum non est papa. Quia iuxta Eccium Petrus papa constituitur per

verbum, Pasce oves meas, ubi prius dilectio requiritur a Christo.

XIV. Praecepta decalogi non sunt data, nisi iis, qui sunt in statu perfectionis. Quia praeceptum, Non concupisces, nulli convenit servare, nisi in statu perfectionis, multo minus alia graviora.

XV. Peccata non posse remitti, nisi cognita et confessa. Patet ex Johann. ultimo, Quorum remiseritis, et ex glossa Eccii, sed hoc est erroneum et haereticum, cum sint occulta et oblita.

XVI. Liberum arbitrium sine gratia esse liberum, ac non servum. Contra Paulum Rom. 6: Servi fuistis peccati etc.

XVII. Romanum pontificem esse haereticum. Quia exemplo Christi et Petri (quibus est aequalis) non pendit tributum.

XVIII. Clerus totus est haereticus. Quia non solvit Principibus secularibus tributum, patet per idem.

XIX. Jura de privilegiis et immunitate ecclesiarum, et rerum, et personarum sunt haeretica. Quia contra Christum et Petrum solventes tributum, quibus debent aequari, cum per aequalitatem illam Eccius probarit Romani Pontificis potestatem.

XX. Reges et Principes evangelio obediunt, si accipiant maiores pensiones a papa et clero, quam a laicis. Patet per idem.

XXI. Verbo Dei non est credendum, sed verbo hominum. Quia laico Scripturam habenti credendo dicit Eccius fomentum haeresis fieri.

XXII. Concilium est supra Scripturam et verbum Dei. Quia Eccio Magistro plus eis credendum, etiam sine Scriptura, quam laico cum Scriptura.

XXIII. Papa est peior, quam Lucifer et antichristus. Quia Lucifer et antichristus tantum aequalitatem Dei quaerunt, sed Eccius papae tribuit superioritatem Dei, dum eum praefert verbo Dei.

XXIV. Praecepta Dei sunt homini possibilia, et per consequens gratia Dei non eget, sicut Pelagiani dicunt.

Hos pestilentes et blasphemos errores protestatur Martinus Lutherus contineri in Eccianis et Fra-

trum articulis cum earum declarationibus, et promittit eos convicturum et probaturum se de his omnibus [1]), nisi revocarint sua pessime dicta.

Haec autem, lector, tentavi non curiose, longe plura inventurus, si Eccii et Fratrum more ad vivam, quod dicitur, cutem ea sim examinaturus, quae ipsi in papyrum exspuerunt, quae omnia in suum tempus reservo confutanda, nondum enim Eccium tractavi, quomodo me semper tractat. Erit autem forte, ut canem dormientem irritet, et patientiae meae abusum semel solvat. Vale et ora, ut Eccius meus sanus fiat, et liberetur a miseria insanae adulationis et gloriae, Amen.

Finis.

---

[1]) In ed. Jen. legitur: promittit eos convicturum se de his omnibus et probaturum.

Corrigenda.

In T. I p. 29 leg. in nota: Epp. XXIII, pro XVII!.
„ „ „ p. 66 leg. in nota: die S. Joannis Evangelistae.



